HIERONYMI SERIPANDI S. R. E. CARD.

IN D. PAVLI EPISTOLAS AD ROMANOS, ET GALATAS COMMENTARIA.

QVIBVS ET HÆRESES DOCTISSIME' refelluntur, & Apoſtoli ſenſus pura elegantia aperitur.

INDVSTRIA FR. FELICIS A' LAVRINO Theologi, Congregationis S. Ioannis ad Carbonariam de Obſeruantia ex Ord. Erem. S. Aug. Vicarij Gener.

Ad Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.

D. ROBERTVM S. R. E. CARD. BELLARMINVM.



Ex legato Illustriss: Poccini.

NEAPOLI.

Apud Io. Iacobum Carlinum, Typog. Curiæ Archiep. MDCI.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. ROBERTO S. R. E. CARD. BELLARMINO.

F. FELIX LAVRINENSIS.

VO primùm fuère, Illustrissime Domine, quae manum meam excitarũt, vt Seripandi Cardinalis Commentaria in D. Pauli Epistolas ad Romanos, & Galatas, praelo traderem: alterum; quòd in illis id fulget diuinae sapientiae lumen, ea germani sensus interpretatio, is Christianae eloquentiae spiritus, vt iacturam,

nedum iniuriam Fidelibus inferre viderer, nisi ea omnium oculis, singulorum vtilitati exponerem: quippe qui in sapientiae intellectu doctrinam; in interpretationis medulla scientiã; in eloquentiae delectu, atque ornatu non inanem, ac futilem; sed plenam, ac frugem inuenirent suauitatem: quibus, instar Pauli, vsque ad tertium sublimis intelligentiae coelum raperentur. Alterum; quòd cùm Hieronymus è mea esset Congregatione, cuius hisce temporibus clauum, Deo protegente, teneo; & mihi, & Fratribus meis deficere existimarem, si tanti Viri Opera conticerem; quae vno omnium desiderio, vno ore, expectantur, & celebrantur: si eius scriptiones in elinguibus vmbris, atque torpentibus delitescere permitterem; in eadem praesertim Bibliotheca, quam ipse ad coeterum Doctorum, & Congregationis suae splendorem, ac vitam, prouidus instituerat.

Duo item potissimùm, vt Nomini Tuo ea inscriberem, effecerunt: tum quia Marcelli Ceruini Pont. Max. cuius memoria in omnium animis, nulla subsecutura obliuione, remansit, ex Sorore Nepos prodijsti: cui cũ Seripando non vulgaris intercedebat necessitas: inprimis cùm hic Eremitani Ordinis Prior Generalis, ille Protector, Augustinensem Familiam ea vigilantia, & studio gubernarent; vt gubernando lau-

dabili

dabili quadam aemulatione cõcertarent, vter esset altero vel amando ardentior; vel tutando promptior; vel exaltando exercitatior, atque vtilior. Quadere tunc vehementius salutiferam Crucem amplexabatur mea Religio, cùm à Cardin. Sanctae Crucis protegeretur: tunc Eremum colebat delectabilius; cùm sub hoc Hieronymo, illius Stridonensis exemplo, duceret vitam. Ad vtrumq; erat facile subditorum refugium, patens accessus: clarissimi ambo Patres, ac Pastores ambo: vnus in vtrisq; animus, quibus semper erat pietas vna; doctrina vna; vna morum concordia, & comitas; hinc assidua inter eos consuetudo; hinc singularis in vtrisq; abseruantia, in quibus & singularis relucebat humilitas. Testatũ hoc faciunt sexcentae litterae familiares, ferè coactae in sarcinas; quibus, etsi quouis scribendi genere vteretur, admixtus tamen semper inerat cum maiestate lepor; rerum gerendarum, locorũq; difficilium, tum maximè cùm Tridentinũ haberetur Concilium, mutua collatio, consilia mutua, exagitationes, adhortationes mutuae. Testatur & alia Epistolarum monumenta Politiani in Conuentu D. Augustini à me, cùm illius loci, annis proximè actis, regimen haberem, magna iucunditate perlectarum, & inter alias superstites scripturas honorificè asseruatarum.

tarum. Immo haec ipsa Commentaria probationi sufficerent, & confirmationi; quae ipsemet non alij, quàm suo Ceruino dicauit: modoq; si nobiscum viueret, quòd tam subitò ademptus esset Auunculus, dicaret Nepoti. Tũ verò (si rem ipsam consideremus) quia contra Haereticos, Lutheranos praecipuè, totus ferè sermo dirigitur, atq; inuehitur: in quos, caeterosq; temporis nostri Tu Dux primarius strictũ rotasti ensem, mucronem omnem exacuisti: à quo ingenti negotio licèt saepe à florētissimae Societatis Tuae praefecturis, aliquando ab aliarum Ecclesiæ functionum oneribus, itineribus, obsidionibus interciperēris; nũquam tamen inde manũ amouisti, tanto labore aequè infatigabilem, ac solicitam: qui sanè magis ab hæreticorum lingua, & calamo; magis ab eorundem fremitu, ac sanie; quàm à bellorũ armis, atq; clangoribus vrgebaris. Vicisti.n. doctissimis, ac peregrinis Quaestionibus Tuis, quibus Petri Nauis nullo peritura naufragio, piratarum incursus, scelestorum cautes, furentiũ obruptas procellas, atq; immanes, ad tutissimã vsq; stationem (diuino spiritu afflante) euasit: quando, etsi alij breuem soporem interdiu haurirent, Tu excubabas semper; & in lucubrationibus Tuis tunc quiescebas, cùm humiliatis, atq; deletis fallacibus insidiosorum va-

fra-

framentis, expunctisq; captiosis insultantium obiectionibus, catholicā veritatem concludebas. Velint, nolint perditissimi illi praedones, qui etiam in Christi tunicam inconsutilem discepantes, irruere non verentur, Te semper reperient, cominus eminus propellentem: liceèt semper aculeatis calamis, vt venenatis sagittis, aebriosi inuadant Dominicam arcem; semper tamen in Quatuor Tomos Disputationum Tuarum, tanquam in Dauidica propugnacula, siue in aeratos Machabaeorum clypeos retundentes, tela dabunt: non innoxio Fidelium sanguine, sed turpi iacientium rubore foedata. Quamuis tertiam ipsi moueant linguam, vt commoueant multos; Tu tamen doctrinis Tuis, sacro, ac mystico Quaternario fundatis, stabilies omnes. Quare eis aut ad maternum Sanctae Ecclesiae sinum, à qua impiè, ac tumultuariè defecerunt, citissimè deflectendum erit, iucundè excipiendis; aut tanquam cum pugnacissimo colluctatore, & euersore, ad casum vsq;, talipedandum: vel dicam potiùs, tanquam sub bipenni Thermodontiaca subitò corruendum, ac sine spe pereundum. Te modò humanissime Princeps Hieronymum meum (meum inquam iure gētium, quem ab annorum edacitate; velut è medijs hostibus, officioso discrimine, eripui) beni-

benignissimè excepturum vel ideo non ambigo; quia vt successione quadam haereditaria ad Te attinet: vel quia ingenua illa Humanitas Tua, qua Muricem decoras, humiliora, & proinde maiora, pollicetur, & facit. Ego verò vbi minus ob meam tenuitatem, operam meam, ad animum meum Tibi significandum, praestare potero; aggrediar hoc vnum precatiunculis meis, vt saltem ad haereticos profligandos, diutissimè, ac felicissimè & viuas, & valeas. Neap. x. Kal. Septemb. M.D.C.I.

HIERO-

HIERONYMI SERIPANDI VITA

EX EIVSDEM EPHEMERI, MANVSCRIPTIS, ac litteris familiaribus; ex Chronica Ordinis, Garimberto, Petramellario, & alijs,

A FRATRE FELICE MILENSIO, Ord. Erem. S. August. Theologo, & Congreg. S. Ioannis ad Carbonariam de Obseruantia Vicario Gen. collecta.

ERDINANDO Seripando, & Loisiae Galeotae ex illustrissimo Equitum Neapolitanorum Sedili, quod Capuanum vocant, Troiae, quae est celebris ad Apuliam Ciuitas, anno 1493. mense Maio, die sexto 1493.
filius nascitur: cui locus ipse ad sacras baptismatis aquas nomen indidit, vnde Troianus appellatus est. Huic adhuc vagienti pater moritur, & Tristanus frater, ei per aetatem ignoti: immo & mater ipsa citissimè Christiano fine quiescens, adimitur. Adimit mors parentes, relicta in puerili ingenio senectute; concessitque Francisco patruo, & Antonio fratre, quorum carissimi sinus Troianum fouebant. Sequenti anno ad litteras datur: Grammaticam, caeterasq; proximas artes sub Francisco primùm de Leioia, tum sub Iacobo Caietano, qui Charon dicebatur, triennio discit: mox sub Ioanne Traiectensi, & alijs quibusdam Iureconsultis, legum studia aggressus, biennio sic proficit; vt admirationem pareret, quomodo seriores litterae, ferè vnico haustu, à tam immaturo ingenio ebiberentur. At quo spiritu ageretur, patefecit in dies. Anno enim quintodecimo natalis sui, quod ab infantia desiderium Regularis vitae habuerat, perseuerat ardentiùs: apertoq; animi sui consilio, ob egregiam indolis speciem, expetitur à multis: praesertim ab ijs Dominicanis Patribus, qui Diuae Catherinae coenobium, quod ad Formellum vocant, claro vitae testimonio incolebant: adeo vt etiam à consultis eorum Patribus vna omnium voce ad Religionis ingressum approbaretur. Duo tamen ad Eremitarum Ordinem Sancti Augustini, adolescentis animum adegerunt: fama primùm Fratrum Obseruantium eius Congregationis, quam Sancti Ioannis ad Carbonariam dicunt; qui iamdiu eremitica vitae asperitate, & magno sanctimoniae exemplo in Campania florebant: alterum Ægidij Viterbiensis, eiusdem Congregationis alumni, nomen, & sermones facundissimi: qui eo temporis ob insignem doctrinam, praeconis elegantiam, & longam rerum gerendarum experiētiam Prior Generalis, anno verò 1517. à Leone X. S. R. E. Cardinalis creatus est. Anno igitur 1507. mense Maio, die sexto, Ægidio excipiente, nouum hominem in- 1507.
duens, Neapoli Congregationem Carbonariam ingreditur, & Hieronymus nominatur. Eodem mense, ac die renatus Christo, quo natus Mundo.

† A viro

A viro cucullatus, sacro murice redimiendo, vt vterque ortus clarissimis emicaret parentibus. Eo nomine appellatus, quod sacram legem significat, qui sacrae legis eximius futurus erat Praedicator, Commentator, Defensor. In ea tandem Congregatione, quae ab ipso institutionis exordio Beatum pepererat Christianum, qui posteris sanctitatis aditum signato calle aperuit. Ibi neq; ieiuniorum viliores cibi; neq; agrestia ad cubandum stramenta, vel noctis intempestae pro matutinis horis excubiae, adolescentis animum defatigabant: immò haec eadem, & monasticarum correctionum assidua exercitatio; & rude, instar sacci, vestimentum; & clausura; & solitudo; & silentium; caeteraquè id genus, quibus mirnminmodum sodalitas illa incumbit, & quae Hieronymum ab instituto reuocare potuissent, excitabant alacriùs, & compellebant velociùs. Pulcherrimum sanè erat, dignumq; Angelis, nedum hominibus spectaculum, tantam in iuuene spectare religionem, & perspicuam illam, omnis pudicitiae ornamentum honestatem, atq; modestiam; praesertim in mutuis, cùm liceret, sermonibus: qua in re singulare cum natura, tum ingenio nactus erat donum, vt vel pauca excuderet verba, & illa quidem grauibus, & expolitis accommodata sententijs. Iucundumq; sanè in tanta rerum omnium humanarum despicientia, illum (quod dicere consueuerat) audire; Mihi autem adhaerere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Portat fama loquax adolescentem, & renascenti anno, mense Februario, Romae expetitur: mox mense Maio à Carbonarijs suis desideratus excipitur, vt sub Paulo Genetzanense, instituendae iuuentutis gratia ab illis accito, bonis artibus operam daret: sub quo Graecae linguae, & Dialecticae rudimenta paucis mensibus consequutus est. Docuit etiam primas litteras Antonius de Padilla Hispanus, vir probitate, & eruditione insignis. At quia sancta illa (vt cum Hieronymo loquar) Patrum rusticitas, cilitijs assueta potius erat, & calathis, sportisq; texendis, quàm sophorum paralocismis, studia protinus ita friguère, vt proprio marte progredi succedenti anno conaretur. Meminit interea Generalis
1510. Aegidius studentis indolem, & proximo anno 1510. mense Maio Romam aduocat, inde in Cyminios Suriani deductũ, Graecas litteras; Romamq; reuersus, Dialecticã docet. Ipse verò reuocatus Neapolim, deinde Suessam, quam Augustinus Niphus decorabat, annis duobus, studijs vacat, & Aristotelis Praedicamenta à Ioanne Bruno Phisico, Peryermeniã verò à Francisco, qui postea Ordinem ingressus, Ciprianus appellatus est, discit: quan-
1513. do & Subdiaconio, & Diaconio initiatur. Anno 1513. decimum nonum agens aetatis, Sacerdos (nondum enim contrarium Ecclesia cautum fuerat) Romam petit, & Analitica à Ioanne Barolitano, Regente; & Philosophiam ab Augustino Pedamontano, & Ioanne Ariminensi, tanto profectu discit, vt sequenti anno Magister Studij simul, & Ordinis à secretis
1515. crearetur. Anno 1515. cum Aegidio Generali, visitata Hetruria, atq; Bononia, ne tantum ingenium tandiu à litteris ociaretur, Senas Lector mittitur, & Theologiae sedulam sub Theophilo Regente, Doctore conspicuo, operam nauat. Iamq; animo litterarum schola erudito, tempus erat,
1516. vt qui sibi profecerat, alijs proficere exordiretur. Quare anno 1516. Surrenti praedicare incipiens, Quadragesimales habuit conciones, Hieronymo dignas. Crescit fama, vix orta, de verbi Dei precone, qui & elegantiam sermonis, & gratiam enunciationis, & oratoriam maiestatem, & puram

& puram doctrinam magno spiritus feruore ornabat; & (quod supremum est) sancto vitae exemplo auscultantium animis imprimebat. Proinde perpaucae extant ex maioribus Italiae Vrbes; vbi non Hieronymus Quadragesima in clarioribus Templis praedicauerit: cui nec infra annũ silere, nec (quamuis itinere fatigato) quà transibat, discedere permittebatur, nisi audito. Clarebat enim non minus Latinis, quàm Italicis sermonibus; eloquens Orator; elegans Concionator: vt adhuc quaeratur (quam vim scripta ipsa illius, quae circumferuntur habent) num Italico, num Latino magis placeret eloquio. Hinc veum Seripandum Carolus Quintus audire se velle dicebat, ad quem sexcentas habuit & conciones, & orationes: vt ab vno Apelle Coo mandabat Alexander depingi; ab vno Lysippo Sycionio sculpturae dari: de quo eam habuit sententiam, vt cùm illustres eius aetatis in omni genere viros ternario partiretur, primo loco inter sapientes viros Theologos Hieronymum collocaret: quicum sermonem familiariter protrahere periucundum saepe ducebat: quem, licèt laudatum, & honoratum, nunquam non aequè humilem agnoscebat: è cuius ore, venerãda maiestate suffuso, eae scatebant sententiae, quae aureis litteris traderentur posteritati. Propterea etsi Vicariatus Generalis munijs à Paulo Pontifice sufficeretur; mandat tamen Pontifex, vt Margaritae Austriae, suaeq; nepti quandoq; praedicet: quod consueta facundia, & laude, Romae in templo Sancti Spiritus effecit. Immò in itinerarijs ipsis laboribus visitare simul Religionem, & Christum praedicare, supplici ferè omnium hortatu, cogebatur. Quod de concionibus attigisse est satis. Ad Anniuersarium redeamus. Anno 1518. studia Senis prosequitur; seq; Baccalaureum ab Aegidio, Romae declaratũ, audit. Interpretatur interea Logicales, ac Philosophicas disciplinas, qui adhuc (tantum in eo erat sciendi desiderium) à Doctorum ore, praesertim Petri Pomponatij Philosophi, ac Alexãdri Bononiensis Theologi, pendebat. Sequenti anno Regẽs Bononiae à Gabriele Veneto Generali, deligitur: tantaq; doctrina, & laude, primum Sententiarum librum interpretatur, vt eodem anno, v. Idus Octobris Pontificia auctoritate Magister crearetur. Perseuerat in lectura: & in concionibus interdum, interdũ Methaphisicalibus, ac Theologicis interpretationibus vacans; scientijs caeteris, ac exterarum linguarum studio incumbit. Cumq; & in moderandis animis, & in legibus adimplendis, iudicium ostenderet acre, experientiam facilem, anno 1523. v. Idus Maij à Gabriele Generali Romam accersitus, Neapolim ad Carbonariã Vicarius Generalis mittitur: Capitularem Synodum magna omnium pace habet; vnoq; omnium desiderio, ac plausu pro biennio, vt moris est, ad eum Magistratum eligitur: quo tẽpore Congregationem suam ea prudentia gubernat, vt à nemine non amatus. Diffinitiones condit, quae adhuc eius calamo apud Patres asseruantur. Cedit officio, elapso biennio. Postea grassante pestilentia, per Congregationis Conuentus vsq; ad annum 1528. concionando vagari cogitur. Ea deleta, Neapolim se confert; studijs vacat; & frequentatus à necessarijs, ac praeclarioribus eius tẽpestatis viris, vt litteris luculentiùs ocietur, Pausilypum, quod est amaenissimum Neapolis promontorium, & frequentissima villa, accedit. Anno verò 1531. Prid. No. Nouembris, Antonij fratris obitũ audiens, ad Carthusianos, qui ab eo doceri saepiùs procurauerant, secedit: digna quidem anxio maerore iactura ornatissimi viri, qui litterarum candore, morum gratia, sanguinis genere, tum omnibus eius temporis studiosis carissimus

1518. 1523. 1528. 1531.

rissimus fuit, cũ Principibus; praesertim Elysio Cardinali Aragonio, ortu, & doctrina praestantissimo. Proximis mensibus exacerbat vulnus, Ægidij Cardinalis, Protectoris obitus. Aequo tamen, quo poterat animo, vtramqꝫ aerumnam ferens Hieronymus, ad Congregationem suam, quasi arbiter, redijt; à qua nunquam vel vnguem dimouisset, nisi concionatũ vocatus; vel Religionis negotia apud Farnesium Pontificem moderaturus: quicum persaepe de ea sermonem habebat, cuius propemodum clauum se habiturum merita promittebant. Quamobrem anno 1538. Pausilypi inter librorũ de-
1538. licias suas quiescens, Ioanne Antonio Theatino, 4. Idus Septembris emortuo, Vicarius Generalis suae vniuersae Religionis, Pauli Tertij Pontificis
1539. Diplomate, xiij. Kal. Octob. sufficitur: & sequenti anno ix. Kal. Iun. Neapoli in Conuentu S. Augustini, ingenti omniũ laetitia Prior Generalis pronunciatur. Statimq; clementi coelo, visitationem aggreditur; Italiae primùm, mox Galliae, & Hispaniae; à Patribus desideratus; à Principibus munificentissimè exceptus. Curat interea compescendam inprimis Lutheranã haeresim, quae eò erat nocentior, quò viuo Haeresiarca recentior, ac pestilentior; qui vtinam priùs faedissimam animã egisset. Hinc, vix Generalis coetus, de rebus Lutheri, Senatusconsultum fecit, & contra eiusdẽ, & sceptarum doctrinã decreta promulgare iussit; quae sequenti Capitulo Romae renouata sunt. Hinc Paulus Tertius xvij. Kal. Dec. eiusdem anni, per litteras Cardinalis Rodulphi Protectoris, ei concessit, vt doctioribus sui Ordinis Patribus licentiam dare posset Lutheranos libros, aliosq; prohibitos legendi. Hinc Petrus Aurelius Venetus librum contra Lutheranos edidit, quem, Soli Deo, nominauit, adeo vtilem, vt multis praelis imprimeretur. Hinc Ioannes Hoffmeysterus Sueuus, sanctimonia, doctrina, & eloquẽtia illustris, ita Lutheranis factus est infensus, vt à plerisq; Antelutherus diceretur. Adeoq; proficuus fuit, tum Christianae Ecclesiae, tũ Augustinensi Ordini Hieronymus; vt duobus succedẽtibus Capitulis Generalibus (fiebat enim in quatriennium) & Romae, & Rechanaeti incredibili omnium gaudio in magistratu confirmaretur. Ipso regente, pro reformatione Religionis de censura Constitutionum agitur, & quinqꝫ Magistris Patribus datur prouincia: qua tandem in ipsum Generalem reiecta, & ab ipso retusis, examinatis, moderatis antiquis, nouas promulgat, ac typis tradit. Interea
1550. anno 1550. Neapoli super aram fornicatam ad templum S. Ioannis ad Carbonariam, ab Antonio fratre gentilitijs suis erectam, aedificat Bibliothecam, librisq; locupletat varijs, & selectissimis, tum suis, tum eiusdem Antonij. Auget & suis Ioannes Franciscus Lombardus Neapolitanus, Canonicus, Seripandi familiaris, vir suauis consuetudinis, integer vitae, Graecarum, sacrarumq; litterarum peritus, & hac inscriptione dedicat.

Cùm tibi Lombardus seruijt Seripande Tridenti,
Hos libros libris adijcit ecce tuis.
Quò noscant homines quantum tibi debeat: omnes
Agnoscant pariter, quàm tibi charus erat.
Quò monachi Aurelij, quos Regula iungit in vnum,
Dum sacrum peragunt, sequè, suosquè iuuent.

Aspirant tanto regimini Protectores Ordinis, cũ primis Marcellus Ceruinus Politianus Cardinalis S. Crucis, magnae doctrinae, & sanctitatis vir, tum

tum Pontifex eodem nomine appellatus. Aspirant & Sūmi Pontifices, præsertim Paulus III. concedens, vt Superiores Ordinis Apostatas cogere, & mulctare etiam cum auxilio brachij secularis possint: vtq; imponendarum decimarum tantùm dimidiū soluere Fratres Ordinis teneantur: prohibetq; Conseruatoribus, ne eosdem à sententijs, & censuris suorum Superiorum absoluant. Idem, ac Iulius III. Motu proprio res arduas inter ipsum Generalem, & Congregationem Lombardiae magna ipsius Seripandi laude, & illorum Patrum tranquillitate, moderantur. Quodq; admirandum erat, in tanta rerum congerie, eam cadere intercapedinem, vt cum Bononiae, tum Tridenti seriores Concilij res demandatas dilueret: qua in re longum esset singula recensere. Negotijs igitur, itineribus, ac studijs eneruatus, in continuum ferè aegritudinis exercitium incidit, & se magistratu abdicare consulens, sustinuit, distulitq; ad Generalē Synodum Bononiae, anno 1551. 1551. coactam: ad quam internuncios cum sigillis Generalatus, ac litteris abnegationis officij, suo digito scriptis, mittit. Moerent Patres, praesertim audito Aurelio à Rocca publicè commissa verba, Generalis nomine, recitante: & moeruissent magis, nisi Christophorus Patauinus, Procurator Ordinis, clementia, litteris, regimine insignis, Hieronymo successisset. Eodem ergo anno Pausilypi, quò rerum omnium humanarum curis abdicatis, se contulerat, ad illius Philosophiae studium, quod Platonicum nonnulli, nos Christianum affirmamus, quia tantùm in mortis meditatione, & desiderio positum est, vacans quieti, à Carolo Episcopus Aquilanus sine vlla pensione, honorificè nominatur: & Idibus Iunij ab Augusta ad Pontificem praesentationem mittit. Dolet senex de oblata tiara; Proregem petit; aetatis, ac valetudinis suae defectum, illiusq; regionis, ac aeris rigorem exponit: Quadere Caesari humiliter gratias agens, per litteras iij. Non. Iulij renunciat. Ea tamen erat de Hieronymo vna omnium probata opinio, vt etiam renuentem, ac impotentem ad maxima Reipublicae negotia supplices compellerent. Vrget Neapolitana Ciuitas; orat vt pressa, exorat vt Patria; vt ad Caesarem pro Vrbe, ac pro Regno eat. Aliena quippe est omnis Legatio ab ingenio eius, & ab ea vitae institutione, quam biennio antè inceperat: at quid Patriae, quid consanguineis, quid amicis non debemus? his senecta, his morbus, his itinera quamuis praeardua, & penè inuia, cedunt, ac mansuescunt. Iturus, reliquijs medetur infirmitatis; obit tandem; ad Belgas peruenit; & iiij Non. Augusti ab Adriano intimo Caesaris ostiario in priorem aulam introductus, & interrogatus, an cum Caesare loquēs, sedere vellet, meminit enim sedentem eum Neapoli concionari solitū, proinde ab illo vsq; tēpore eum fortè pedibus laborare; respondit, nec decere, nec oportere eum, praesente Caesare, sedere; qui & probè nosset, quanta ei esset aduersus eum Regē, in cuius ditione natus esset, reuerentia exhibenda: & pedibus, atq; omnibus corporis viribus adeo firmis, diuino munere vti, vt stare, & loqui pulcherrimè posset. Adit Carolum, & in Oratore, ac Principe contendit cum maiestate humilitas. Quandoquidem hic in postremo inuentus cubiculo, nulla loci eminentia; nullo corporis ornatu; nullo nobilium, aut saltem cubiculariorum comitatu, Caesaris personam, ac tāti Imperij decus referebat; sed solus humili sella sedens, pedibus ad humiliorem aliam eleuatis, ante quā paruus erat abacus, serico vndulato opertus. Eaq; vi, & gratia pro Ciuitate sua rem habet, vt immunitates, priuilegia, & confirmationes multorum Capitum pro Regno Neapolitano, ac

pro

pro priuatis viris impetraret, quae iuxta originale typis traduntur: extantq; litterae Imperatoris ad Vrbem Neapolim, sub datum Bruscellis xij. Kalendas Ianuarij 1553. quibus fusè declarat se carissimè excepisse Hieronymū in Legatum; ac libentissimè se effecturum quicquid Hieronymus postulauerat: eoq; libentiùs se eius Ciuitatis fidelitatem, atq; amorem audiuisse, quò eò mediante Legato: tanti Hieronymum faciebat. Immo licèt multa essent, grauiaq; commissa negotia; quae ne Principum aures diutissimè occupent, alijs committi solent audienda, ac referenda; adeo tamen Carolo Hieronymum audire iucundum erat, vt ab ipso omnia exactè, & immediatè exquireret. Cumq; pro Caesaris maiestate, ac pro Legati modestia, breuibus saepe sermonem concluderet, compellebatur à Principe, vt proloqueretur: regium quippè, & fidele de eius doctrina, & facundia testimonium: nam cùm alijs Regni Neapolitani Oratoribus ne sui quidem conueniendi potestatem vllam vnquam fecisset, Seripando difficillima oranti, & petenti, non modò concessit; sed penè vltrò obtulit, quasi beneficium accepisset, non dedisset, eius flexanima, & regina oratione, liberalitatis, & benignitatis ianuas coactas patere sensit. Cogit tunc Carolus, vt Salernitano Archiepiscopatui praesit, cui partim pro iubentis auctoritate; partim pro Ciuitatis illius tēperie, & ad Neapolim vicinitate; tum verò quia eam Metropolim & sanctissimi, & illustrissimi viri semper rexerunt, respuere nequiuit. Neapolim, plaudente Ciuitate, excipitur: à Iulio III. Caroli designatio confirmatur; & in Vrbe Roma in maiore Cappella Palatij Apostolici à Ioanne Michaele Cardinale Saraceno, Petro Antonio de Capua Archiepiscopo Hydruntino, & Ioanne Iacobo Barba Neapolitano Ord. Eremit. S. Aug. Episcopo Interamnense, & S. D. Papae Sacrista, anno 1554.
1554. Idibus Maij consecratur. Eodemq; anno vij. Kalen. Octob. Carolus Quintus, Ioanna mater, & Carolus filius, eum Cappellanum regium creant: &
1556. anno 1556. ix. Kal. Apr. item à Philippo II. declaratur. Sponsam ergo sibi commissam, continua residentia custodiens, Christi oues, diuinae veritatis pabulo, admirabili doctrina, ac pietate pascit. Ecclesiam, Archiepiscopale palatium, & atrium labans, vt vir non sanguinum, sed pacis, reparat. Chorum facit quatrilaterum ex tabulis nuceis, & Sacristiam, affabrè concinnatis. Paramenta alba, & rubea ex serico, auroq; contexta, & multa argentea vasa ad altaris ministerium, Ecclesiae donat: & vita, & doctrina, & regimine, & pietate eò peruenit, vt sanctioribus praedecessoribus suis cederet successores. Non.n. subditorum sanguinis bibulus, sed ipsius Christi, pretiosi, perinde ac largus pincerna erat, & propinator: nam moriturus, de accipienda potius, quàm de relinquenda cogitabat haereditate. Ex qua (humili quidem) in Conuentus Sancti Ioannis inferiori peristylio
1560. pilas lapideas, & arcus Marcellus nepos erexit. Anno autem 1560. xij. Kal. Maij, Pius IIII. ei indulsit, vt quotiescunq; pontificiū sacrum faceret, posset omnibus tunc praesentibus decē annos, & totidē quadragenas in forma Ecclesiae consueta, indulgent. concedere. Quo anno vij. Idus Sept. idē Pontifex eum Romam honesto diplomate vocat; vocaturus priùs, vt asserebat, nisi eius valetudini, & aestiuorum mensium labori pepercisset, cum eo de de rebus magnopere ad sanctam Sedem pertinentibus acturus. Diligentiùs pharmacis pro vehementi pituita vsq; ad Prid. Non. Octob. vacat. iij. Idus Romam peruehit, xiij. Kal. Nou. ad Pontificem accedit; qui ei per Datarium Episcopum Pisauriensem, cum nummis aureis quingētis morem gerit.

Ad Tri-

Ad Tribunal inquisitionis eum deputat. Congregationibus annumerat. De serioribus Concilij negotijs cum eo agit, & anno 1561. iv. Kal. Mar. die Mercurij ab eodem Pontifice, decem & octo Cardinales creante, Cardinalis enunciatur. Prid. Kal. Mar. datus est Pileus octo Cardinalibus, qui Romae erant, Simonettæ, Angolemo, Gambarae, Empsio, Iesualdo, Gonzaghae, Amulio, & Seripando. vi. Idus Martij dati sunt tituli, & anuli, & Seripando contigit Sanctae Susannae. Idibus Tridentini Concilij Legatus à Pontifice declaratur; mandatque mittens ad illum nummos aureos mille, vt intra paucos dies Tridentum versus, iter arripiat. xvi. Kal. Aprilis in Consistorio secreto data est illi, & Smonettae Crux, eam cum Christo Domino portaturis. viij. Kal. eiusdem Tridentinum iter aggreditur, & xvi. Kal. Maij Tridentū peruenit: qua in Legatione biennio viuens, etsi chiragra interdum, stomacho, pituita, febri, dentium elisione laboret; valet tamen mente, & ea acerrimi iudicij selectione, & in praeardius enodandis maiestate, qua semper pollens; innumeros Concilij casus (vt ex eiusdem collecta Farragine de rebus Concilij, doceri possumus) ad Spiritussancti nutum deflectens. Anno autem 1563. viij. Id. Martij febri tabidus, è Tridentino ad Coeleste Angelorum Concilium aduocatur. & xvi. Kal. Apr. postquam conuocatis suis sermonem de Sacramentali viatico irriguus lacrymis edidit, supremum diem ea animi praeparatione clausit, qua semper fuerat: qui continuo (vt Christianum hominem decet) mortem intuens, vt moriturus viuebat. Anno enim eodem, quo Cardinalis creatus fuerat, paucis post diebus de testamento cogitans, testari posse à Pontifice impetrat. Sepelitur in templo S. Marci Ord. sui, & hoc sculpto elogio honoratur.

1561. (margin, beside first lines) 1563. (margin, beside "Anno autem 1563")

Hieronymo Seripando Card. Conc. Trid. Legato, Christophorus Patauinus Sodalitij Er. Magister p. Vix. annos 70. men. 5. dies 11.

Si quis bonos tumuli quantum Sol lampade lustrat,
Terrarum, Coeliquè tuum est Seripande sepulchrum.

Quod verò translatum fuisse corpus Neapolim in Ecclesia S. Iacobi de Carb. in Petramelario legatur, typographorum error censendus est: patet enim vel exteris, Ecclesiam Carbon. Eremitarum non Sancti Iacobi, sed Sancti Ioannis titulo dici. Sicut & in Garimberto, mater, Isabella nominatur, quae verè Loisia dicta est. Et in quibusdam Chronicis, quòd 13. Mar. decesserit, qui tamen 17. decessit.

Multa scripsit: quae verò manus nostrae contrectauerunt, haec sunt.

Constitutiones nouas Ord. Erem. cum Ordinario Ecclesiastico, & Commentario rerum Ordinis à S. P. Aurelio Aug.

Orationem acceptissimam in funere Caroli V. Neapoli vi. Kalend. Mar. 1559. habitam; quam (vt Auctor ad Placidum de Sangro scribit) Cardinalis de Cueua Prorex Neap. optauit Italico sermone dici, Latino imprimi; & lingua & calamo ex vtroq; idiomate laudatissimam. De qua Paulus Manucius, summa admiratione, faleratas litteras scribit. Scribit & Antonius Portius, Patauij 6. Idus Iunij. 1559. asserens vnum omnium Patauinae Accademiae sensum fuisse; quòd si Carolo, dum vitam ageret, funebria Iusta curae fuissent, vt erat graui, & singulari iudicio, testamento sibi cauisset, vt Seripando, hoc munus deferretur. Nouerat enim verè imperatorios

tories suos labores, nullam nisi vnius Hieronymi oratoriam artem, illustremq; eloquentiam postulare;& quasi propriam, debitamq; efflagitare.
Volumina quindecim, quorum sex appellauit, In memoriae subsidium: in quibus varia Philosophica, Historialia, Platonica, Scripturalia, & Theologica leguntur.
Septimum super Simb. Apost. Nicenum, & Athanasij, sermonibus distinctum, quos ad suos habuit Archiepiscopus.
Octauum de Iustificatione hominis.
Nonum de Iustitia, & libertate Christiana.
Decimum de libris sacrae Scripturae. De peccato Originali De Sacramentis in genere. De Baptismo. De Confirmatione.
Vndecimum Orationum, ab ipso, vt ferebat occasio, habitarum.
Duodecimum, quod intitulauit, Collecta, & excerpta varia ex D. Augustino, & alijs.
Tertiumdecimum,& quartumdecimum in Epistolas ad Rom.& Gal. quas modò impressioni tradimus.
Quintumdecimum Farraginem Concilij de his, quae Tridenti, & Bononiae sub Paulo III. tractata sunt: seriemq; Tridentinarum actionum, anno 1545.
Librum decem & nouem Concionum super Orationem Dominicam.
Tractatum de Gratia, Libero arbitrio, & Praedestinatione ad Marcum Antonium Flaminium.
Commentaria in Epistolas ad Corinthios, & ad Thessalonicen.
Sermones multos, qui desiderantur: constat enim ex Diario eius concionum, atque itinerum, composuisse illum sex saltem Quadragesimalia; & innumeras scripsisse, & habuisse infra annum conciones.

Et quod incredibilis fuisse laboris, ac studij animaduerti, ferè omnes Bibliothecae suae libros, annotationibus, correctionibus, glossis, scholijs marginalibus, ac interlinearibus illustrasse.

IN-

INDEX RERVM.

D

E

L

P

Sti-

QVAE-

QVAESTIONVM INDEX.

Quaestio

Vtriusq; Indicis, rerum, ac Quaestionum finis.

AD

AD LECTOREM
FR. FELIX.

OTERAM sanè, amice Lector, duas hasce D. Pauli Epistolas, ad Romanos primam, alteram ad Galatas, duobus distribuere Voluminibus; vel vt commodiùs; vel vt copiosiùs in manibus tererentur: non autem ab re, ab hac discessi sententia: tum quia eiusdem fuit consilij Commentator noster, qui in ea, quam vno titulo Dedicatoriam Praefationem nominauit, vtramq; complectens Epistolam, vtrisq; asserit deseruire appositas Quaestiones: tum quia nec copiae elaborandum erat Additionum, ne a Cõmentariorum puritate aberrararetur: illud enim scribendi genus, quod Seripandus, magna omnium laude, est assecutus, ociosis quibusdam scriptitationibus inuoluere, vel ambitiosi fuisset ingenij, vel arrogantis. Etenim tantum habent Commentaria haec suauitatis simul, ac maiestatis, vt ornithoboscion sint. vbi quiuis intellectus, quamuis aliter, vberem inueniet ad pascendum, atq; explendum animum frugem. Commoditati verò Lectorum, chartarum paucitate, non erat consulendum; qui huius generis libros in Studijs potiùs à puluere excutere, quàm sub vmbra in pomarijs volutare delectantur. Quod autem ad Orthographiam attinet, nec prorsus Pauli Manutij, qui Seripandi coetaneus fuit, & admirator, accuratissimam scribendi rationem; neq; illam Antiquorum punctionem, quae simplicitatem redolet seculorum, & latebrosam sensuum obscuritatem parit; sed infra haec medium canonem, quo sacra, & scholastica à nostris Doctoribus distingui solent, sum prosecutus. Verùm vt sine Indice prodirent (& hoc enim permittebat antiquitas) non sustinui; ne tanquam occlusis aerarijs, inutilia sine claui laterent aera: neque multiplicem congessi, & exuberantem; ne Indicibus Opera ipsa (vt quandoq; accidit) superarem. Videor tamen effecisse satis, cùm tibi Hieronymum restituerim. Tu, si quid pro laboribus rependere satagis, hoc vnum cura, vt ambo in Domino valeamus.

AMPLIS-



AMPLISSIMO PATRI MARCELLO CERVINO CARD. SANCTAE CRVCIS, ET SANCTAE APOSTOLICAE Sedis in Concilio Legato.

F. HIERONYMVS SERIPANDVS, Eremitarum Augustin. Magister Generalis, Dei Gratiam, & Pacem.

NTER caetera, quae in familiari sermone de me quaerere solitus eras, cùm Tridēti sederemus ociosi (multa enim in dies singulos intercedebant impedimenta, ne oecumenicum Cōcilium, quod Paulus III.

Quaenam Auctoris sententia de haereticorum commentarijs.

Pont. Max. vocauerat, & cuius gratia conueneramus, inchoaretur) praecipuum illud esse semper duxi, quidnam ego sentirem de huius temporis haereticorũ in libros sanctos, & Pauli inprimis Epistolas Cõmentarijs: non quidem, quòd ad illorum dogmata, vel haereses potius pertineret, quas à me semper, & vbiq; reijci, & confutari sciebas; verùm quòd ad verborum interpretationem, & perspicuam, ac dilucidam sententiarum explanationem, obscurorumq; & ambiguorum, atq; explicatu difficiliũ locorum illustrationem faceret. Mirari Te affirmabas, quamobrẽ doctis quibusdam, & ingeniosis Viris tãtopere probarentur, vt priscorum etiam Patrum, & Sãctorum illorum, Catholicae Ecclesiae Luminum Commentarijs anteponerẽt, atq; impensè dolerent, cùm Catholicae ipsi Veritatis essent studiosissimi, in talibus, & tanta eruditione, linguarum peritia, in interpretandisq; sanctis scripturis solertia praestantibus hominibus, adeo turpes, & ignominiosas haesisse labes, vt non tam veritatis ignoratione, quàm deprauatae mentis vitio peccare, & de rectae religionis via decedere viderẽtur. Ego autem quanquam illorum non solùm commentarios, sed quaecunq; ad eam diem extarent

Clementis VII. concessu, &

rent opera, Clementis VII. cõcessu, & Pauli. III. mandato, cuius Tu mihi verbis saepenumero edixeras, vt ad Concilium paratus essem, attentissimè legissem, atq; diligentissimè examinassem; imparatus tamẽ quicquid mihi tunc in mentem venire potuit de hac quaestione respondi, in quam vocandum me, abs Te praesertim, summo ingenio, & acerrimo iudicio Homine, nũquã omnino cogitaueram. Audisti Tu quidẽ quaecũq; à me dicerentur, vt semper consueuisti, benignè, & attentè; addo etiam (vt mihi videbatur) cũ assensione quadam, & approbatione. Nam cũ dicẽdi finem ego fecissem, pluribus egisti mecum, vt ea omnia, & si qua praeterea ea de re cogitanti mihi occurreret, literis mandarem: non eò credo, quò tu illis indigeres, cui multò meliora de rebus omnibus, quae in dubiũ venire possunt, domi nascuntur; sed vt diligentiùs existimares, põderaresq; omnia. Non potui statim Tibi morem gerere; cùm paulo pòst, inchoato Concilio, alijs in rebus operam Tibi meam, & studiũ nauauerim. Nunc verò Bononiam trãslati, cùm, nescio quo, vel diuino, vel humano consilio, rursus ferè ociemur, quotidie disputantes, nunquam autem quippiã decernentes; quae poscenti Tibi Tri-

Pauli iij. mãdato legit omnia haeretico-rũ opera.

Scribendorũ Cõmentariorum ratio.

Dicendorum Praefatio.

Haereticorum fallaciae, et mẽdacia.

dẽti receperam, ea scribere aggressus sum, ac Praefationis loco esse volui in meas ad Romanos, & Galatas Epistolarum Commentationes, quas ad Te quoq; scripserã. Nõ praestant, vt ego semper sensi, in suis commentarijs haeretici, quod pollicentur; non agunt quod profitentur: pollicẽtur purum, ac simplicem, & germanum diuinorũ voluminum sensum tradere, & verborum vim interpretari; quae si efficerent, nihil profectò esset, quod ab illis iure desiderari posset, neque ad veritatis notitiã salubriùs; neque ad vitae, & morum institutionem vtiliùs: quorum altero proprium humanae mentis alimentum continetur; altero vitae sanctae, ac laudabiliter gerendae ratio. Verùm nihil omnino est, quod minus agant: cùm non auctorum, quos explanãdos suscipiunt; sed quos ipsi somniauerint sensus, lectoribus obtrudãt. De verbis autem nõ id modò agunt, quod D. Hieronymus de sui temporis hominibus quibusdam non sine stomacho querebatur, qui ad suos sensus scripturam trahebant impugnantem: verùm nouae, atque elegãtioris colore, aliam ex Hebraeo (vt ipsi aiũt) vel Graeco scripturam, suo quidẽ arbitratu, vel temeritate potius pariũt, quae neque cũ Hebraeis, neque cũ

Graecis, neque cū Latinis consentiat. Videre hoc est in omnibus sed maximè in nescio cuius Aretij Felini in Psalmos, & Martini Buceri in Pauli Epistolas, & Euangelia Cōmentarijs. Illud autem nō in istis tantùm, sed in omnibus est haereticis animaduertendum, quàm pauca sint, quae afferant ad sanctorum librorum explanationem pertinentia; quamuis ingentia conficiant volumina, quorum exigua profectò pars ad id, quod dixi, spectat. Hoc autem callidè omnino faciunt, & astutè, ne si multum in sanctorum verborum clarissima luce commorentur, veritatis, non simplices, & aperti (vt videri volūt) cultores; immo dolosi aduersarij comprehendantur. Sed quid est, obsecro, quod in tot voluminum immensa mole, tanta loquacitate faciunt? posteaquàm perpauca quaedam de sancti sermonis cōtextu, atque intelligentia, tāquam ad aliud properantes, attulerunt, ad sua pestilentissima dogmata latiùs, fusiùsquè corroboranda digrediūtur: in quo (bone Deus) quot, & quāta sunt, quae faciliter, & malitiosè cōgerunt? quàm prodigi sunt verborum? quam largi, & liberales, in eruēdae è tenebris, atque illustrādae veritatis pollicitationibus? cum tamen earum, quae sanctis literis, quas tractant, continetur

Felini, ac Buceri versuta temeritas.

Cur haeretici ingētia volumina congerant eisdemque ventosā loquacitatem admisceāt.

netur

netur, multa verborum palea confundant, atque operiãt,ne cõſpiciatur. Id certè de ſanctis literis faciunt,quod ſummus veritatis pa-
Matth.7. tronus Dominus noſter IESVS CRISTVS de ſancto dato canibus; & margaritis,dixit, proiectis ante porcos. Nam & horum more conculcant eas pedibus ſuis, & illorum conuerſi miſerè lacerant ſuos auditores. Alios quoque nihilo ſpecioſiores cãpos habent, in quibus euagãtur longiùs,cõtumelias,& conuicia, quibus Eccleſiam Catholicam, eiuſq; doctrinam, & mores vexant; nullius aetatis, ordinis,eruditionis, ſanctitatis hominibus parcentes; de priſcorum Patrũ, Conciliorum, Doctorũ, ſanctorumq; Virorum auctoritate, quantum poſſunt,detrahentes: vt ſe ſolos ſapere iactent,& oſtentent; caeteros,vmbra-
Lib. 10. Odiſſ. rum modo,vagari, quemadmodum de Tireſia ſcripſit Homerus. Quantopere autem laborant,cũ à Catholica Eccleſia officioſè perquiruntur, peramanter admonentur,aſperiùs obiurgantur, piè damnantur; vt eadem ſibi nunc contingere perſuadeant,quae primis illis ſummis, ac propè diuinis veritatis Praedicatoribus, Prophetis, atq; Apoſtolis accidefunt. Non illorum ſimiles,non ſectatores;ſed pares planè,& aequales haberi volunt. Inter-
dum

um quoq; in eruenda (vt aiunt) e densissimis
nebris veritate, se illis anteponunt. Quis.n.
nquam Prophetarum, aut Apostolorum tā-
m sibi tribuere ausus fuit, quātum sibi ipsis
ī vendicant? qui quotquot ab initio nascē-
s Ecclesiae ad hanc vsq; aetatem fuere Do-
tores prae se floccipendūt; se solos Euange-
um illustrare; veterem Theologiam instau-
are; nouam corrigere, & emendare; nanci-
endae iustitiae, & felicitatis viam docere ia-
ānt; mille deniq; & plusquam quingētis an-
is neminem toto terrarum orbe reuera fuis-
Christianum, cùm ea, quae ipsi de doctrina
hristiana finxêre, somniauerit nemo. Non
a certe CHRISTVS, non ita Apostoli
cêre; qui omnes ad vnum quicunq; à mun-
i incunabulis iusti, & sancti fuere homines,
eram Euāgelij notitiam, & certam fidei ra-
onem habuisse, amplexosq; esse testantur.
luc pertinent, quae de Abel, Noe, Abrahā,
Ioyse, Dauid, caeterisq; sanctis Patribus di-
ere. Mittamus praeclara quaedam, uera, &
udabilia, quae tanquam sua uenditant, ex
omnium nostrorū libris dolose excerpta,
ad suos usus detorta: mittamus & alia,
nae falsò nobis abscribunt, nunquam à no-
ris ne cogitata quidē. Haec à me sunt, insti-
gante

Haereticorum arrogātia, atq; iactantia.

Haeretici quaedam nostra sibi; ac multa sua nobis dolosè ascribunt.

gāte Te, uberiùs disputata Tridenti, ut ostēderem deformasse haereticos, non ornasse (ut nonnulli autumant) sanctarum literarū studia, deque eis pessimè meritos esse. Ad meos nūc uenio in Pauli Epistolas Commētarios, Te potissimùm auctore institutos. In ijs hanc ego interpretandi rationem sequutus sum. Quanta maximè potui uerborum breuitate, & pspicuitate, Pauli mētem dilucidè explanare conatus sum; verba quaerens, quae haud scio, an inuenerim, quā vsitatissima, & quàm maximè apta, idest res ipsas declarātia, quas ornatè velle dicere, puerile est: satis superque fuerit si planè, & pspicuè expeditae fuerint: rebus.n. grādioribus orationis ubertas adhiberi non potest; ipsae nanq; de uerborum ornatu, & copia cogitandi locū rapiunt. Meas igitur partes esse existimaui, nō in uerborum delectu elaborare, sed sentētiarum, & rerum mirabilem quandam, & perpetuam in Paulo continuationem, seriemq; demōstrare, ut alia ex alia nexa, & omnes inter se aptae, colligataeq; appareant, ad id tendētes, quod agit, & quò spectat diuinus Apostolus. Hoc illud est quod σκοπὸν Graeci vocant, à quo aberrare, & non statim reuerti, uitiosum est. Digressiones à proposito, atq; de recta uia declina-

Commētariorū, ratio, & via.

Difficilium praesertim sacrorum, locorū explanatione, ornatè velle dicere, puerile est.

In quo Auctor elaborauerit.

Digressiones aliquā-

clinationes, tanquam eas, quae proposito, & rei institutae plurimũ officiant, deuitaui; lõgè magis cõducibilem, & salutarem esse existimans, cũ ad eruditionem, tum ad pios animi affectus permouendos, sancti unius uerbi, aut sententiae frequentem retractationem, ac quasi ruminationem, quàm ingentium quorumlibet commentariorum, quantumuis lõgum, assiduum, & diligens studium. Quamobrem nũquam ego magnifeci amplos quorundã, & prolixos in cuiusuis disciplinae auctores, commentarios: in quibus seipsos potius ostentant, quàm auctores explanant. Cuius rei gratia, ne altissimis quidẽ illis quaestionibus abstinent, quas auctores ipsi, tanquam ad eum locum nihil omnino faciẽtes praeteriere. Aemulantur, opinor, Macrobium in somnium Scipionis, aut in Porphyrij Εἰσαγωγὴν Burleum nescio quem. Disputationum autẽ aduersus haereticos maximum illud, ac stabile fundamẽtum esse duxi, si Pauli verba omnia ad eius mentem, atq; ad id, quod agit, dirigerem, ac ita explanarem, vt nihil omnino illorum causae, aut disciplinae fauerẽt. In hoc praecipuè elaboraui. Assequutus autem sim, necnè; aliorum sit iudicium. Volui quidem certè. Sed cũ in disputationibus limetur ve-

do officiũt.

Quare auctores prolixos non magnifecerit.

Disputationũ in haereticos maximũ fundamẽtum.

ritas subtiliùs, nihilquè obsit cum haereticis disputare, quinimmo multum prosit, si firmissima praecedat Catholica Fides (Augustini verbis vtor) hac vna tectus, & armatus, ne luctari quidem cum illis, & congredi recusaui. Verùm ne disputando interpretãdi munus interrumperem, & diuinorum verborum lucem obscurarem; id totum in finem Cõmẽtarij Epistolae, quae ad Galatas est, reieci, vbi pauca quaedam sunt, de quibus lectorem admonendum esse existimaui: haereticorum argumẽtationes, quas in principio cuiuslibet quaestionis collegimus, quanquam non illorum sed nostris fuerint verbis contextae, bona tamen fide fuisse recitatas. Quòd autem non eorum quoq; verba reposuerim, illud in causa fuit, quod non ab vno duntaxat, sed pluribus & libris, & auctoribus vnum in locũ collectae, & comportatae sint. Eas praeterea ipsi verborum multitudine obruunt, & oratorio more, aperta quasi manu dilatãt, & ornant, ad occultandas fallacias, & sophisticas ineptias. Ego verò tametsi ad dialecticas regulas eas non contraxerim, neque pugno quasi cõpresserim; ita tamen proponere conatus sum, ut reiectis omnibus uerborum ornamentis, omnibus artificijs, quid earũ quae-

De natura & gratia, cap. 20.

Quaestiones in finẽ adiecit, ne interpraetationẽ interrumperet.

Cur iisdem haereticorum verbis nõ sit vsus.

que

que peccaret, patefacerem. Cùm autẽ eadem frequẽter inculcent argumenta, & iiſdem de rebus ad necem vſque, vt crambe repetita, ſaepiſſimè agant, neceſſe fuit ea in re mihi quoque ineptire, & iiſdem de rebus perſaepè quaſi dictata decantare, quod quidem ſciebam lectori moleſtum fore, & odioſum, cùm praeſertim ὁμοειδεῖς ἀνθηρογραφεῖσθαι non adeo poſſint, ut delectent: uerùm cum haec illorum repetitio, & crebra rerum earundem inculcatio artificioſa ſit, & eò tendat, ut ſuas haereſes, ſuorum animis imprimant; cur ego ad veritatem noſtrorum hominũ pectoribus inſerendã, eadem ſaepiùs iterare, & quaſi confirmare uererer, artemq; arte refellere? Quãquam autem ut ueritatem in omni quaeſtioſtione explicarem, plurimum operae, ſtudijquè poſuerim; nihil tamen in eo ſpei, quod ad haereticorum ſanitatem attinet, collocaui. Hoc enim non ab vllis humanis ſtudijs, ſed à diuina miſericordia petendum eſt, & expectandum. Quam verò ſingularem ego, & vnã eſſe exiſtimem aduerſus peſtilentiſſimas has haereſes medicinam, audebo fortaſſe in fine quaeſtionis aperire. Qua de re cũ mihi Tecũ iam conuenerit, & vtriuſq; noſtrum ſemper idem iudicium fuerit, quid alij dicturi ſint,

Haereticorũ ad ſuas haereſ. animis imprimẽdas, eadẽ frequẽter inculcant argumenta.

Quaeſt. 67.

nihil omnino pertimeſcã. Vale: & quod amplè, magnificeq; facis, incredibili iſta tua, ac prope ſingulari, & diuina ingenij vi, impoſitam Tibi perſonam exorna, & ſuſtine.

DE

DE PAVLO, ETVSQ. EPISTOLIS PRAELVDIVM.

ANTEQVAM Pauli ad Romanos Epistolae Argumẽtum proponerem (id, quod primo loco fieri consueuit) quantum Petrus Apostolorum Princeps Paulo tribuerit, & quid de omnibus communiter eius Epistolis senserit, atq; praemonuerit, explanandum duxi. In cuius verbis nescio certè, quid magis admirer; Pauli nè auctoritatem, quae tãta fuit, vt Petrus eius graui, & firmo testimonio, quae scribit, confirmare, & corroborare voluerit; an Petri mansuetudinem, qui cùm alterius testimonio nulla ratione egeret; eo tamen vti voluit, vt vnam concordem, & consentientem omnium CHRISTI Discipulorum doctrinam esse ostenderet. Vtrumq; certè magnam habet admirationem. Quam aptè verò Petri doctrina cũ ijs, quae in Pauli Epistolis, quarum testimonio sua confirmare voluit, sparsa leguntur, congruat atq; cohaereat, videamus. *Nouos* (inquit Petrus) *coelos, & nouam terram, & promissa Domini expectamus, in quibus iustitia habitat.* Nouos expectandos esse coelos, nouamq; terram, vbi qui iustitia nunc praediti sunt, filij Dei, cum Deo patre, eorum spe, nunc habitant, re verò ipsa perpetuò postea commorabuntur, & viuent; sic Paulus expressit. *Ipsa creatura*, coeli nempe, & terrae, *liberabitur à seruitute corruptionis.* Haec scilicet eius erit renouatio, ab omni dissolutione, interitu, atq; etiam mutabilitate liberam esse. *In libertatem gloriae filiorum Dei.* Quò formam habeat domicilium suis habitatoribus cognatam, & decoram, qui pro mortali conditione immortalitatem consequentur. Monet deinde Petrus, quid sub hac expectatione vitam ducentibus

Pauli auctoritas.

Petri mansuetudo.

nobis

nobis agendum sit. Inquit autem. *Propter quod charissimi, haec expectantes, satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.* Prima haec admonitio, vt studeamus, eo tempore, cùm nouum coelum, nouaq; terra venient, pacati, nullis criminum maculis aspersi, ab omni reprehensione liberi, à verissimo, & sapientissimo iudice inueniri: in Paulo legitur, adhibita quoq;, ne tanta de re diffideremus, diuini auxilij promissione. *Confirmabit* (inquit) *vos Deus sine crimine vsq; in finem in die Domini nostri Iesu Christi.* Quod etiam alio loco his verbis precatur à Deo. *Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.*

Prima Pauli admonitio.

Pergit monere Petrus, cum ad ea quae dixit, adiungit. *Et Domini nostri Iesu Christi lõganimitatem salutem arbitremini.* Quam quidem secundam admonitionem, vt tantam Dei lenitatem, tam longam in puniendo moram, ac tarditatem, salutarem nobis esse existimemus; breui hac interrogatione complexus est Paulus. *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* Quanti verò Pauli testificationem Petrus aestimauerit, attendamus. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his.* Fratrem appellat charissimum: quo nomine quod potest esse amabilius? sapientiam diuinitùs ei tributam affirmat: omnes deniq; eius Epistolas approbat. Sed quae in earum lectione nobis potissimùm animaduertenda sunt, iam explicat. Inquit enim. *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, & instabiles deprauant, sicut & caeteras scripturas, ad suã ipsorum perditionẽ.* Re profectò ipsa experimur multos esse in Pauli Epistolis locos obscuros ad intelligendum, & difficiles ad interpretandum: quod cùm ex vocabulorum quibus vtitur, nouitate, & significatione obscura, & difficili proficiscitur; tum verò ex frequentibus hyperbatis, siue, vt Latinè dicam, transgressionibus; praeterea ex continuis ferè translationibus: eas Graeci metaphoras appellãt. Sed omnium maximè difficultatis huius rationes duae sunt: Sermonis series, & ordo, qui non videtur cohaerens, constans, perpetuus; & dicendi formae, figuraeq;, Latinis, Graecis, fortassis etiam Hebraeis auribus inauditae. Verum enimuero omnes istae rationes, tãquam leuissimae, silentio praeteriri

Secũda admonitio.

Quãti Petrus Pauli testificationẽ aestimauerit.

Quid in Epistolis Pauli animaduertẽdum.

Cur plerique locorũ in Pauli Epist. obscuri, atq; difficiles.

Ob vocabula.

Transgressiones.

Trãslationes.

Sermonis seriem, & figuras.

Potissima ratio.

teriri

riri poterat, vna tantùm explicata: Quòd ad Pauli lectio-
em pauci sint, qui accedant eo spiritu, quo scripsit ille;
āquillo scilicet; ab omni animi perturbatione vacuo; sim-
icis veritatis amico; & vnius salutis, cùm propriae, tum
iorum studioso: verùm animo potius hostili, vt eius dictis,
aut armis quibusdam suam sententiā pugnacissimè tuean-
r, aduersus eos, quos tanquam hostes prostrare, fundere,
rdere quaerunt. Erga quos si ad Epistolarum Pauli diui-
m planè sensum penetrare cupimus, eodem certè animo
ectos nos esse oportet, quo erga nos ipsos. Deprauatos
niq;, & à vero, ac germano sensu ad commentitias quas-
, futilesq; nugas detortos fuisse ab indoctis, & leuibus ho-
ribus diuersarum haeresum auctoribus, nonnullos Pauli
os, nemo est qui possit ambigere. Sed faciamus nihil ha-
ius tale accidisse: dubitare ne possumus, non vnum, aut
erum Pauli locū, sed vniuersas eius Epistolas, immo scri-
ras omnes sanctas hoc nostro misero, & calamitoso tem-
e ab his haereticis, à quibus Ecclesia Catholica vexatur,
gnis, & impudentibus mendacijs contaminatas fuisse, &
inatas? Quamobrem (vt ad Petrū redeamus) si vnquam
s, hoc certè tempore necesse est, eum hac de re monen-
, & haec pericula denunciantem audire. Is enim post ea,
paulò ante recitauimus, verba; *Vos igitur fratres, in-*
, praescientes, custodite, ne insipientium errore traducti,
latis à propria firmitate. Praecipit deinde, quibus ma-
rebus in Pauli, & Sanctorum omnium librorum lectio-
ti oporteat; cùm inquit. *Crescite verò in gratia, & in*
tione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Hoc
studio, hoc animi ardore, hac augendae gratiae cupi-
e, & agnoscendae verae salutis via, non nostro ingenio,
iuinae opis auxilio freti, Pauli ad Romanos Epistolam
diamur. Cuius Argumentum non meis, sed Augustini,
, omnium iudicio, atq; sententia, ad interpretandas
literas, summa omnia fuere, verbis proponendum.
Is enim (quanquam aliud agens) totam huius Episto-
usam, sic breuiter, & absolutè complexus est.

Quo animo esse debem' pro captu Epistolar.

Pauli Epistolae, omnesq; sanctae scripturae, ab haereticis īquinatae.

Quibus rebus niti oporteat in sanctorum librorū lectione.

Concludit.

D. August. summus sacrarum literarum interpres.

ARGV-

ARGVMENTVM.

De diu. q. ad Simpl. lib. 1. q. 2.

PISTOLAE ad Romanos intentio est, vt de operũ meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitae gloriari, quod datae sibi legi seruiissent, & ex hoc Euangelicam gratiam, tanquam debitam meritis suis, percepissent: quia legi seruiebant. Vnde nolebant eandem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi Iudaica sacramenta susciperent. Quae orta quaestio in Apostolorum Actis soluitur. Non enim intelligebant, quia eo ipso, quo gratia est Euangelica, operibus non debetur: alioqui gratia non est gratia.

Act. 15.

IN D. PAVLI AD ROMANOS EPISTOLAM COMMENTARIA.

PAVLVS.

VLTA Paulus, diuinae huius Epistolae Auctor, inter nomen suum, & eorum, ad quos scribit, quosq; Epistolae initio pro more salutat, interijcit; necessaria illa quidem, & ad rem magnopere facientia: qua ratione fit, vt haec salutatio nonnihil obscura & videatur, & sit. Sed diuini luminis fulgore, mentis nostrae tenebras illustrante, aperta omnia, & manifesta erunt. Primùm itaq; de seipso loquens, inquit. *PAVLVS.* De quo nomine praeter ea, quae dicta sunt ab his, qui hactenus scripsère, nihil mihi dicendũ sese obtulit. *SERVVS IESV CHRISTI.* Peculiarem habet Paulus rationem vocandi se seruum IESV CHRISTI, praeter eas, quae illi cum omni genere humano communes erant. Ea est, quòd in eius potestatem, tanquam seruus, vel mancipium potius peruenit, singulari ab eo certamine superatus. A' qua seruitute nunquam se redemit: quinimmo viuere in ea, gloriari, & mori, pulcherrimum duxit. Ibat Paulus Damascum, vt Christi Discipulos vinctos perduceret in Ierusalem: quem in itinere diuina lux fulgurauit, & deiecit in terram; Christi vox stupidum reddidit, & tremebundum: sub cuius potestatem non repugnãter se subiecit: *Domine*, inquiens, *quid me ius facere?* Et hac fortasse ratione potius, quam quauis alia, se vinctum Christi non semel appellauit. *VOCATVS APOSTOLVS.*

SALVTATIO.

Cur obscura videatur haec Salutatio.

Paulus cur peculiater seru' Christi vocatur.

Act. 1.

Eph. 3. & 4

2. Timot. 1.

Apostolicae seruitutis genus, legatio fuit. Seruitutis genus explicat, & modũ. Genus est legatio. Vtebatur enim Christus Paulo pro legato, & nuncio, quemadmodum & alijs Apostolis: de quo in alia Epistola: *Pro Christo,* *2. Cor. 5.* inquit, *legatione fungimur.* Modus autem, quo id ei seruitutis genus commissum fuit, diuina vocatio est, ita vt par sit *Legationis modus vocatio.* reliquis duodecim Iesu Christi Discipulis Paulus: Apostolus sicut illi; & ad id munus diuina voce accersitus, quemadmodum & illi. Non modò autem par illis extitit in genere ser- *Paulus par reliquis Apostolis.* uitutis, & modo ad eam deueniendi; sed & in opere, & negotio, cuius causa legatus ad gentes missus est. Id verò est, Euangelij praedicatio, de quo inquit. *SEGREGATVS* *Act. 13.* *IN EVANGELIVM DEI.* Gentibus scilicet à Iu- *Gal. 1. et 2.* daeorum lege alienis praedicandum. Paulus ergo huius Auctor Epistolae, perinde vt duodecim illi insignes Christi Discipuli, à Deo vocatus est; & de rebus maximis, atq; vniuerso generi humano salutaribus, legatus designatus est; deniq; missus ad Euangelij praedicationem.

QVOD.

Cur Apostolus Salutationi quasdã interposuit traiectiones. SI Paulus nulla facta traiectione, post illa quatuor, quae de seipso dixit, statim addidisset, *Omnibus, qui Romae estis, &c.* planè loquutus fuisset, & apertè, moremq; sequutus esset salutandi per Epistolã vsitatum, tritum, quotidianum; sed multa tacuisset mysteria: quae propterea interposuit, vt duo illa, quae de seipso dixerat, explicatiora euaderent. Quorum alterum est. *SEGREGATVS IN EVANGELIVM DEI.* Alterum verò. *VOCATVS APOSTOLVS.* Quorum declarãdorum gratia, quasdam *Prima traiectio.* interposuit traiectiones. Prima necessaria fuit. Nam facta mentione Euangelij, ad quod praedicandum se segregatum fuisse dixerat, cùm nouum tunc esset Euangelij nomen, & non multùm auditum, quaedam de Euangelio ipso aperit, quibus ostendatur, quae vera sit Euangelij praedicatio, di- *Euangelij vera praedicatio.* cens. QVOD. Euangelium Dei, siue quam praedicationem Euangelij Dei. *ANTE PROMISERAT.* Longè antequam Euangelij praedicandi tempus esset, Euangeliũ Deus ipse promiserat. *PER PROPHETAS SVOS.* Qui non proprio, sed diuino afflati spiritu vaticinabantur.

IN

IN SCRIPTVRIS SANCTIS. Sāctas eas appellat scripturas, quae sancto dictante spiritu descriptae sunt; ac propterea verissimae, in quibus nihil falsum, nullum possit esse erratum. Vt autem ostenderet quidnam haec diuina promissio contineret, quam Euangelij felices, faustiq; nuncij factam iam esse, & impletam nunciarunt; inquit. *DE FILIO SVO.* Pro hominum videlicet salute mittendo. Collige igitur ex hoc loco duo. Alterum est: Perinde esse dicere, Paulum missum fuisse ad praedicandum Euangeliū, atq; dicere, Paulum missum fuisse ad nunciandum, Deum effecisse id, quod per Prophetas promiserat de Filio suo: ita vt eandem omnino rem intelligas, Prophetas Dei nomine pollicitos fuisse futuram, quam Apostoli exhibuere praesentem. Alterum verò est, quòd Euangelium praedicare, aliud non sit, quàm nunciare, Deum fecisse, quod de Filio suo ad humani generis salutem de caelo mittendo, per Prophetas suos olim spoponderat.

Sāctae scripturae, quae sancto spiritu descriptae.

Euangelij praedicatio quae.

QVI.

HÆC est altera traiectio, & ea quoq; necessaria. Nam cùm dixisset, Euangelium esse de Filio Dei, tanquam de eo, quem mūdi Seruatorem à Deo missum fuisse nūciat; tria annectit, quibus quaenam de Filio Dei credenda, ac praedicanda sint, aperiuntur. Nomina primùm ipsius Filij Dei, quae vltimo loco posuit. *IESV CHRISTO DOMINO NOSTRO.* His enim nominibus celebrādus est Seruator, Rex, & Pontifex, ac Liberator noster. Quomodo deinde missus à Patre intelligi debeat, exponit, & inquit. *QVI FACTVS EST EX SEMINE DAVID SECVNDVM CARNEM.* Haec fuit missio, secundùm carnem generari ex progenie Dauid, purissima scilicet, & sanctissima Virgine. Carnis autem nomine perfectam accipe, & integram naturam humanam: qua etiam ratione eo nomine Ioannes vsus est, cùm scripsit. *Verbum caro factum est.* Quomodo deniq; declaratum fuerit, & ostensum, eum esse Filium Dei, de quo inquit. *QVI SECVNDVM SPIRITVM SANCTIFICATIONIS.* A quo omnis est sanctitas, omnis vera pietas, omnis perfecta mūditia.

Secunda traiectio.

Carnis nomine integra natura humana accipitur.

Ioan. 1.

Christus trib° præsertim demõstratus est Filius Dei; Spiritussancti opere; miraculorum potẽtia; & resurrectione à mortuis.
Ioan. 1.
Ioan. 15.
Act. 11.
Matth. 7.

ditia. *DEFINITVS EST FILIVS DEI.* Spiritussancti opere demonstratus est, & declaratus Filius Dei: Primùm quidem Ioanni Baptistae, qui dixit. *Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam, de coelo: & mansit super eum.* Deinde Apostolis: quibus quod Christus ipse promiserat, testimonium de Christo perhibuit. Vniuerso deniq; terrarum orbi per Apostolos, cùm repleti sunt omnes Spiritusancto, & coeperunt loqui varijs linguis, prout Spiritussanctus dabat eloqui illis. Neq; verò hac tantùm ratione, & via patefactum est, eum esse Filium Dei; sed, *IN POTENTIA.* Quam non solùm miraculis ostendit, verùm etiam sermonibus. Docebat enim sicut potestatem habens, & non sicut Scribae Iudaeorum. Qua verò maximè re diuinam, quae in eo erat potentiam, notam, ac manifestam fecerit, illo verbo declarat. *EX RESVRRECTIONE A MORTVIS.* Quo facto, & rerum omnium praepotẽtem magnificè se, & admirabiliter ostendit; & Deum esse, non hominem solùm, genitum ex semine Dauid secundùm carnem. Qua de re Paulus: *Crucifixus est (inquit) ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.*
2. Cor. 13.

PER QVEM.

Tertia traiectio.

HAC tertia traiectione illud declarat, quod de seipso dixerat. Vocatus Apostolus. Declarat autem sic. *PER QVEM.* Iesum Christum à morte iam excitatum. *ACCEPIMVS GRATIAM.* Qua condonata sunt nobis peccata, & Christiani sumus. *ET APOSTOLATVM PRO NOMINE EIVS.* Legationem scilicet, quia omnia, quae annunciamus, praedicamus, scribimus, non tanquam nostro, sed eius nomine dicta, accipienda sint, à quo vocati, & missi sumus. *IN OMNIBVS GENTIBVS.* Non ad Iudaeos tantùm, sed ad omnes totius orbis terrarum nationes: quemadmodum & alij Apostoli, quibus mandauerat Christus; *Euntes docete omnes gentes.* *AD OBEDIENTIAM FIDEI.* Quae vna ad veram salutem via omni nationi est; & totius nostrae legationis summa, & finis: per quam intelligo fidem, quae est donum Dei; & quod cum fide coniunctum semper esse oportet: id autem

Apostolatus, idest Legatio.
Matth. vlt.
Obedientia Fidei, finis Apostolicae legationis.

autem eſt, diuinis obedire mandatis. Haec enim Apoſtolorum omnium legatio continet. Nam ad fidem pertinet illud. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti*. Ad obedientiam verò, quod ſequitur. *Docentes eos ſeruare omnia, quaecunq; mandaui vobis*. Diuinus ergo hic omnipotentis Dei legatus, non inuitabat gẽtes ad aliquod Deo munus offerendum, ſed ad Dei ipſius munera ſuſcipienda, fidem, & obedientiam. At Moſes Iudaeos ad obedientiam legis vocabat, cuius mandatis abſq; fide obtẽperari nulla ratione poteſt. *IN QVIBVS*. Inter quas gentes. *ESTIS ET VOS*. Cum illis loquitur, ad quos ſcribebat. *VOCATI IESV CHRISTI*. Ad Ieſum Chriſtum vocati: vt hac via fidei, & obedientiae ad ſalutem aeternam proficiſcamini.

Eph. 11.

Pauli, Moſiſq; Legatio in quibus diſſimilis.

OMNIBVS.

POST traiectiones iſtas magnopere neceſſarias, vt Epiſtola haec, tanquam Apoſtolica, Euangelica, & veram, ac ſanctã doctrinã continens exciperetur; agnoſcereturq́;, non eſſe priuati alicuius hominis, ſed legati Ieſu Chriſti, Salutationem perficit; oſtendens primùm, ad quos ſcribebat, cũ inquit, *OMNIBVS, QVI ROMAE ESTIS*. Tam Iudaeis, quã alijs Gentibus: *DILECTIS DEI*. Cuius beneuolentiae, & amoris quodnam maximũ eſſet, & praecipuum argumentum declarat adiungens. *VOCATIS SANCTIS*. Ad ſanctimoniam, & perfectam ab omni labe munditiam à Deo accitis. *GRATIA VOBIS*. Eam precatur Romanis gratiam, quae diuinorum omnium numerum fons eſt, & origo, qua Deo placent homines, & verè Chriſtiani ſunt, qui Chriſtiani nuncupantur. *ET PAX*. Precatur interiorem animi trãquillitatem, ab omni perturbatione, & aegritudine ſolutam, & liberam: quam illi poſſident, qui eam neq; in ſeipſis, neq; in mundo quaerunt, ſed in Deo, & à Deo. Propterea duo haec Romanis optat, & precatur. *A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO*. Gratiam autẽ, & pacem omnibus, ad quos ſcribit, optare Paulus, & precari cõſueuit, quia dignoſcendae veritati magnopere neceſſaria ſunt.

Salutationis pfectio.

Praecipuũ diuinae dilectionis argumẽtũ vocatio ad ſãctimoniã.

Gratia, diuinorũ munerũ fons.

Pax, interior animi tranqllitas.

Cur gratiã et pacẽ ſalutando optare cõſueuerit.

PRI-

PRIMVM.

CAPVT I.

VASI nouum post Salutationẽ capit exordium, quò ostendat quanto desiderio, Romanorum, ad quos scribit, salutem optaret: ita vt videatur hactenus auctoritatem doctrinae suae cõciliasse Dei testimonio, cuius seruum se esse, & Apostolum declarauit: nunc vt beneuolos, atq; ad eandem doctrinam capessendam promptiores redderet, de sua erga illos vehementi charitate agat: inquiens. *PRIMVM QVIDEM GRATIAS AGO DEO MEO PER IESVM CHRISTVM.* Tanquam per eum, cuius gratia omnia, quae ab hominibus Deo offeruntur, placent, & accepta sunt, siue preces sint, siue gratiarum actiones, siue quiduis aliud, quod ad Dei cultum, gloriamq; pertineat. *PRO OMNIBVS VOBIS.* Non secus atq; si munus in vos à Deo collatum, in me collatum fuisset. Quod autem illud esset munus in Romanos à Deo collatum, pro quo gratias Deo ipse ageret, explanat. *QVIA FIDES VESTRA ANNVNCIATVR IN VNIVERSO MVNDO.* Donum fidei, quod est totius salutis exordiũ, à Deo vos accepisse, iam toto terrarum orbe diuulgatur. De fide verò, & omnibus Spiritussancti muneribus, quicunque eorum participes sunt, cum ea vident in multos diffundi, Deo gratias agunt: cum quia nihil inde sibi detrahitur; tum quia corpus illud, cuius membra ipsi sunt, augetur; deniq; quia regnum Dei, quod auidè expectant, aduenire, & perfici vident.

Primũ erga Romanos dilectionis argumentum.

Donum fidei, totius salutis exordium.

Fideles pro diffusione munerum Spũsãcti, quã vidẽt ĩ multos, cur Deo gratias agant.

TESTIS.

LTERVM erga Romanos beneuolentiæ, & charitatis argumentum eiusmodi est, vt eius testimonium mortalium nemo dare posset: eam enim rem cõtinet, quam Deus vnus nosse poterat. Propterea illud explanaturus præmittit. *TESTIS ENIM MIHI EST DEVS.* Vt autem ostenderet, se coram hoc teste mentiri non posse, addidit. *CVI SERVIO IN SPIRITV MEO.* Non metu, neq; coactus, sed sponte, & ex animo. Quam autem

Alterum in Romanos dilectionis argumentum.

tem seruiret seruitutem, aperit dicens, *IN EVANGELIO FILII EIVS*. Nuncians, fecisse Deum, quod per Prophetas promiserat, misisse scilicet Filium suum mundi Seruatorem: quo nuncio nullus vnquam fuit melior, felicior, optatior, aut humano generi aeque salutaris: de quo paulò ante dixit. *Segregatus in Euangelium Dei) quod ante promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis de Filio suo.* Iam illud explicat, cuius Deum testem appellauerat, & certissimum erat suae aduersus Romanos charitatis iudicium. *QVOD IN ORATIONIBVS MEIS, SEMPER, SINE INTERMISSIONE, MEMORIAM VESTRI FACIO.* Nullae sunt meae preces, in quibus non aliqua insit vestri mentio. Quid autem illud esset, quod singillatim à Deo posceret, exponit. *OBSECRANS SI QVOMODO TANDEM ALIQVANDO PROSPERVM ITER HABEAM, IN VOLVNTATE DEI, VENIENDI AD VOS.* Hoc est, quod Deum precor, vt si qua ratione aliquando tandem fieri possit, expeditum sit mihi, Deo volente, iter ad vos.

Pro alijs orare, certissimũ charitatis indicium.

DESIDERO.

TERTIVM hoc est charitatis eiusdem, & beneuolentiae argumentum, ex ardenti Romanos videndi desiderio desumptum: id quod assiduae ad Deum preces, vt impedimentis omnibus expeditus, Romam proficisci posset, ostendebant: de quo inquit. *DESIDERO ENIM VIDERE VOS.* Cuius desiderij rationem eam esse declarat, vt illorum commodis seruiret, & saluti, cùm adiungit, *VT ALIQVID IMPERTIAR VOBIS GRATIAE SPIRITVALIS.* Gratiae autem huius quisnã futurus esset fructus, ostendit, cùm addit. *AD CONFIRMANDOS VOS.* Pro confirmatione scilicet vestrae fidei. Vbi animaduertendum, illam Romanorum fidẽ, quae in vniuerso mundo annunciabatur, indiguisse confirmatione; vsq; adeo nos homines inconstantes sumus, & imbecilli in Dei donis retinendis, & conseruandis. Sed videamus, quam intellexerit gratiam, cum dixit. *Vt aliquid impertiar*

Tertiũ charitatis argumẽtum.

Pro humana imbecillitate, gratia confirmatio.

perficiar vobis gratia spiritualis: cuius hæc est, quæ sequitur explicatio. *ID AVTEM EST, SIMVL CONSOLARI IN VOBIS*. Apud vos, siue vobiscum manens, communem suscipere consolationem. *PER EAM, QVAE INVICEM EST, FIDEM VESTRAM, ATQ. MEAM.* Haec illa est spiritualis gratia, qua Romanorum fides confirmanda, & roboranda erat; communis quaedam, & periucunda Pauli, & Romanorum consolatio, ex eo quòd vna, atq; eadem esset vtrorumq; fides, absq; vlla omnino discrepantia: quod quidem & Paulo, Romanorum salutem ardẽter cupienti, gratum futurum erat, & iucundum; & Romanis ad fidei confirmationem perutile, cùm ab omni nedum errore, sed erroris suspicione liberos se esse, & immunes Pauli auctoritate statuere certò possent.

Fidei vnitas vnitatẽ animorum parit, atq; solatium.

NOLO.

Quartum beneuolentiæ argumentum.

VARTVM hoc est beneuolentiæ, & vehementis amoris argumentum. Non solùm enim pro Romanorum vbiq; gentium diuulgata fide, Deo gratias agebat Paulus; & à precibus pro Romano itinere nunquam cessabat; eosq; videndi desiderio tenebatur; verùm & Romam versus iter suscipere sæpenumero constituerat, de quo sic inquit: *NOLO AVTEM VOS IGNORARE FRATRES, QVOD SAEPE PROPOSVI VENIRE AD VOS.* Ex quo quàm acri, & vehementi videndi vos desiderio laborarem, cognoscere potestis. *ET PROHIBITVS SVM VSQ. ADHVC.* Ad hoc vsq; tempus multa intercessère, quae mihi moram, & tarditatem obtulerunt. Ea verò, quænam fuerint, hoc loco omisit; sed huius Epistolae cap. 15. explicauit. Quemadmodum autem cur videre Romanos optaret, rationem attulit; ita cur tam sæpè ad eos proficisci decreuisset, exponit dicens. *VT ALIQVEM FRVCTVM HABEAM IN VOBIS, SICVT ET IN CAETERIS GENTIBVS.* Fructus, quem sibi proponebat, erat (quantum coniectura consequi possum) non credentium animos ad fidem transferre; credentes in fide confirmare; controuersias, si quae fortassis inter credentes erant, dirimere; quod

Quem fructum habere in Romanis cupiebat Paulus.

& hac Epiſtola agere nititur. Et ne per caeteras gentes, aliquae ſpeciatim, non autem omnes totius orbis nationes intelligerentur, addidit. *GRAECIS, AC BARBARIS*, Quibus duobus nominibus omnes mundi nationes, gentes, & linguas complexus eſt: quarum differentiam his, quae ſequuntur verbis expreſſit. *SAPIENTIBVS, ET INSIPIENTIBVS*. Vt illud ad Graecos, hoc ad Barbaros referatur. *DEBITOR SVM*. Debitor inquam, aliquem in eis fructum ferendi; de quo dixit ſupra. Accepimus gratiam, & apoſtolatum ad obedientiam fidei, in omnes gentes. Ex his autem concludit. *ITA QVOD IN ME*. Meum conſilium, propoſitum, deſiderium. *PROMPTVM EST*. Praeſtò ſcilicet, ac paratum. *ET VOBIS, QVI ROMAE ESTIS, EVANGELIZARE*. Nam huius rei gratia deſidero videre vos, conſtitui ſaepe venire ad vos, & aliquem Euangelij praedicatione in vobis fructum colligere; ita vt haec cunctatio, atq; mora, nō meae voluntati, ſed externis impedimentis aſcribenda ſit.

Nomine gētium omnes terrarum nationes intelliguntur.

NON ENIM.

CVM ſumma praedicationis Euangelij, praedicatio ſit fidei in Ieſum Chriſtum crucifixū, quemadmodum ad Corinthios ſcripſit. *Nos autem praedicamus Chriſtum crucifixum*: quae quidem praedicatio & Iudaeorum animis offenſionem afferebat, & Graecis ſtultitia quaedam videbatur: eam neq; turpem eſſe, neq; erubeſcendam oſtendit, dicens. *NON ENIM ERVBESCO EVANGELIVM CHRISTI*. Praedicare ſcilicet fidem in Chriſtum cruci pro nobis ſuffixum, veram, & directam eſſe viam ad ſalutem ſempiternam. Quod autem ſequitur, quidnam Euangelij praedicatione contineretur, explanat, vt omnes intelligant, nihil ea contineri, in quo erubeſcere, & pudore quiſquam affici poſſit. *POTENTIA ENIM DEI EST*. Euangelij praedicatio, non imbecillitatis, ſed potentiae Dei praedicatio eſt. Quid ergo illud eſt, quod Iudaeos offendit, & tanquam ſtultum, ac fatuum repudiatur à Graecis? Cùm verò Dei potentia latiſſimè pateat (eſt enim omnipotens) illam eius partem explicat, quae Euangelio

Sūma praedicationis Euangelij quae.

Euangelij praedicatio neq; turpis neq; erubeſcenda.

Euangelij praedicatio quid cōtineat.

nunciatur, dicens. *IN SALUTEM*. Quo declarat Euangelio nunciari, ac praedicari salutarem, ac beneficam Dei potentiam. Quibus autem salutarem, declarat dicens. *OMNI CREDENTI*. Absq; vllo nationis, aut gentis discrimine: hoc tamen, quem subdit, ordine seruato. *IUDAEO PRIMUM, ET GRAECO*. Deinde, subaudiendum. Nam Iudaei primi credidère, gentes deinde. A Iudaeis praeterea ad gentes fides emanauit. Est ergo praedicatio Euangelij non erubescenda, cùm celebratio sit diuinae potentiae, qua credentes omnes in Christum crucifixum salutem consequuntur. Magna reuera Dei potentia, quæ homines in Christum credentes seruat: in Christum inquam ab hominibus ignominia crucis affectum. Magna potentia, quae ex hominũ malefactis, hominum salutem elicit. Magna potentia, quæ humanam omnem superat malitiam.

Euangelij praedicatio cur Dei potẽtia sit.

IUSTITIA.

EUANGELIUM esse Dei potentiam ad salutem omnium credentium, quod paulò ante dixit, nunc declarat. Nam primum, quod Euangelij praedicatione aperitur, & illustratur, Dei iustitia est; illa videlicet, quae ante omnia ad salutem requiritur, qua condonatis gratuitò peccatis ex Iesu Christi meritis, ex iniusto iustũ homi nẽ Deus efficit: qua de re inquit, *IUSTITIA ENIM DEI IN EO REUELATUR*. Huius autem iustitiae & principium indicat, & progressionem, dicens. *EX FIDE IN FIDEM*. Fides enim istius est iustitiae principiũ, quae, vt Augustinus docet, primum est Dei donum, quo caetera impetrentur, sine quibus non est perfecta, neq; in praesenti quidem vita, iustitia. Verùm in ea magnos faciunt progressus, qui quoad vixerint, nutriendae, confirmandae, adaugendae, corroborandae fidei dant operam. Qua quidem in re à iustificatione differt glorificatio. Illa enim ex fide est in fidem: haec ex fide in speciem, apertam scilicet aspectus, & faciei diuinae contemplationem: quod non hoc solùm loco docet Paulus, sed & alijs quoq; locis, & clarius: praesertim cum dicit. *Per fidem ambulamus super crescit fides vestra. Confirmati in fidem*. Docet hoc Augustinus apertè.

Iustitiae Dei principium, progressio & finis.
De praed. San. cap. 7.
Glorificatio, iustitia Dei finis.
2. Cor. 5.
2. Thess. 1.

Est

Est illuminatio (inquiens) *per fidem : est illuminatio per Speciem. Modò, cùm peregrinamur, per fidem ambulamus, nondum per Speciem. Ergo & iustitia nostra per fidem est, & non per speciem. Erit ergo perfecta nostra iustitia, cum videbimus per Speciem; modò non relinquamus eam iustitiam, quae est ex fide.* Et de hac iustitia diuinum illud oraculum, quod apud Habacuch Prophetam legitur, intelligendum esse ait. *SICVT SCRIPTVM EST; IVSTVS AVTEM EX FIDE VIVET.* Is scilicet, cuius iustitia non à lege, sed à fide incipit; ac in fide proficiens in hac vita progreditur, vitam viuet sempiternam, & beatam. Tales non erant Iudaei, toti in lege positi, quibus Christus dixit. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audistis, neq; speciem eius vidistis, & verbum non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; & illae sunt, quae testimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.*

Col. 2. In Epist. Io. Tr. 4.

Iustitia perfecta.

Hab. 2.

Io. 5.

REVELATVR.

AD maiorem expressionem, & clariorem notitiam huius iustitiae Dei, & fidei, quae prima res est Euangelio detecta, illorum hominum, qui naturae lege, ab hac iustitia vacui viuebant, in peccata grauissima prolapsionem, & peccatorum eorundem poenam acerbissimam, Euangelio quoq; in lucem proferri indicat, dicens. *REVELATVR ENIM IRA DEI DE COELO.* Non solùm Dei iustitia, quae ad misericordiam pertinet; verùm & peccatorum vltrix animaduersio, Euangelij praedicatione manifestè deprehenditur. *SVPER OMNEM IMPIETATEM, ET INIVSTITIAM.* Duo sunt haec peccatorum genera. Impietas, quae ad Idolorum cultum propriè pertinet; & Iniustitia, quae reliqua omnia peccata, & scelera complectitur. *HOMINVM EORVM, QVI VERITATEM DEI IN INIVSTITIA DETINENT.* Hi sunt, qui naturae lumine verã quandam Dei cognitionem habebant; sed eam cum iustitia, peccatis

Euangelij praedicatio misericordem iustitiã, atq; vltricem, manifestat.

Impietas, idolorum cultum; iniustitia reliqua peccata complectitur.

 scili-

scilicet, iustitia Dei non deletis, velut inuitam, ac reluctantem detinent. Graue profectò scelus, duo ista coniuncta retinere: veram Dei cognitionem, & iniustitiam à Deo cognito tantopere alienam. Simile certè est, atq; pulcherrimum munus turpissima societate contaminare.

QVIA.

NDE in his hominibus & quanta esset diuinae veritatis cognitio, declarat, dicens. *QVIA QVOD NOTVM EST DEI.* Quod cognosci de Deo potest, naturae lumine, & absque vlla speciali à Deo iniecta significatione. *MANIFESTVM EST IN ILLIS.* In naturali lumine illis intimo. Ne vero quisquam naturalem hanc, & insitam in animis notionem, Dei non esse munus suspicaretur, inquit. *DEVS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT.* Quando naturae lumen, & cognoscendi vim, hominum animis indidit.

Τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ.

Etiam naturalis notio à Deo est.

INVISIBILIA.

VOMODO autem manifestauerit, explanat dicens. *INVISIBILIA ENIM IPSIVS.* Quae humanis oculis videri nullo pacto potuissent. *CONSPICIVNTVR.* Qua verò ratione conspiciantur, ostendit, cùm inquit. *A CREATVRA MVNDI INTELLECTA.* Mente scilicet, atq; intelligentia, perspecta ab ipsis mundi incunabulis. *PER EA, QVAE FACTA SVNT.* Hoc est, per mundum ipsum. Sunt autem haec inuisibilia Dei, Potētia, Sapientia, Bonitas, caeteraq; id genus, quae in magnitudine, ordine, pulchritudine, commoditate partium mundi apparent, & elucent. Qualia quoq; sunt duo, quae sequuntur. *SEMPITERNA QVOQ. EIVS VIRTVS.* Nam virtute non aeterna, sed noua, non potuisset procreari mundus; quia mundi conditor mutabilitati fuisset obnoxius, & non rerum ipse esset omnium procreator, sed ab alio pendens, à quo eam virtutem accepisset, qua antea carebat.

Ἀπὸ κτίσεως.

Quae nam inuisibilia Dei.

Virtute nō aeterna, sed noua non potuisset procreari mūdus.

ET

ET DIVINITAS. Natura videlicet diuina, omnis mali expers, nullius boni indigens, qua nihil melius in cogitationem cadere potest. Quis autem sit huius cognitionis terminus, hoc, quod sequitur verbo declarat. *ITA VT SINT INEXCVSABILES*. Ad hoc vsq; haec illorum de Deo cognitio protenditur, vt omnem eis peccatorum, & scelerum, in quae prolapsi sunt, excusationem adimat.

QVIA.

EXPLICATA ea, quam homines illi acceperant, diuinae veritatis notitia, eiusq; tam via, quàm termino; quomodo eam veritatem cum iniustitia coniunctam detinerent, & ob eam causam essent inexcusabiles, nunc explicat, eorum peccata enumerans. Quorum primum est, Deum cognouisse, & eum tanquam Deum, gloria non affecisse; siue bona omnia illi accepta non retulisse, de quo inquit. *QVIA CVM COGNOVISSENT DEVM, NON SICVT DEVM GLORIFICAVERVNT*. Alterum est, diuina cognouisse beneficia, maximosq; ex eis fructus, & commoditates percepisse, & nullas ei gratias egisse; de quo addidit. *AVT GRATIAS EGERVNT*. Tertium sic explicat. *SED EVANVERVNT IN COGITATIONIBVS SVIS*. Mentem, quam ad vnius potissimùm Dei gloriam, & gratias ei pro beneficijs agendas, applicare debuerant; ad vana, & inania; ad gloriā propriam; ad bonum, quod in vno Deo inueniri potest, in rebus procreatis quaerendum contulisse. Ex quibus peccatis quò deciderint, explanat, dicens. *ET OBSCVRATVM EST INSIPIENS COR EORVM*. Animae nobilissima pars, quam cor significat insipiens, vanis repleta cogitationibus, obscurata est, vt ne seipsam quidem agnosceret. Cuius rei ea est, quae sequitur probatio, *DICENTES ENIM SE ESSE SAPIENTES*. Sapientiam profitentes, & sapientiae sibi gloriam vendicantes; *STVLTI FACTI SVNT*. Qua de re alio loco inquit. *Nonnè stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Quod tum praecipuè euenit, cùm hominem, humanis viribus, humanaeque prudentiae fidentem, humanis viribus

Eiusmodi hominum peccata enumerat.

1

2

3

Quomodo Deus stultā facit sapientiā huius mundi.

viribus, humanaeque prudentiae gubernandum relinquit Deus.

ET MVTAVERVNT.

SCELVS omnium maximũ, quod ad impietatem pertinet; & ab hac stultitia emanauit, hoc est, quod sequitur. *ET MVTAVERVNT GLORIAM INCORRVPTIBILIS DEI.* Gloriam, quae vni debetur naturae sempiternae, & immortali, inuerterunt, eam à Deo vero eripientes, & collocantes *IN SIMILITVDINE.* Non naturali, sed *IMAGINIS.* Opificum opera, artificioq; perfectae. *CORRVPTIBILIS HOMINIS, ET VOLVCRVM, ET QVADRVPEDVM, ET SERPENTIVM.* Horum etenim simulacra, atq; effigies, tanquã Deorum scelerate coluerunt.

Ε'ν ὁμοιώματι.

PROPTER QVOD.

Peccati poena grauissima.

DE poena nunc agit huius tanti sceleris, & eaquidem grauissima; qua nulla grauior excogitari potest. Derelicti nanq; à Deo sunt, scelesti illi homines, in tam profundum impietatis scelus sua sponte delapsi, in peccato: ac tanquam sub iugum miserrimae seruitutis missi. Hac verò poena maximè continetur diuina illa ira, de qua paulò ante dixit. Reuelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinẽt. Inquit ergo. *PROPTER QVOD TRADIDIT ILLOS DEVS IN DESIDERIIS CORDIS EORVM.* Qua poena, veritatis Dei contẽptores; mendacij studiosos; Idolorum, Deo vero neglecto, cultores, Deus ipse affecerit, animaduerte. Reliquit illos in suis cupiditatibus: quae cuiusmodi essent, facilè intelliget, qui meminerit, quòd paulò antè dixit. Obscuratum est insipiens cor eorum. Quae enim, nisi turpissimae, esse possunt cupiditates stulti, & excaecati cordis? *IN IMMVNDITIAM.* In foedam, & flagitiosam impuritatis seruitutem. Ex qua quid sequeretur, ostendens, inquit. *VT CONTVMELIIS AFFICIANT CORPORA*

Ε'ν ταῖς ἐπιθυμίαις.

SVA

SVA IN SEMETIPSIS. Vt foedis ipsi, & inhonestis vitijs, ac turpissimis vitae sordibus corpora sua dedecorent. Iusta profectò, ac debita poena: vt qui veritatem reliquit, sequatur mendacium: qui lumen despexit, versetur in tenebris: qui virtutis dominatum reiecit, vitiositati sceleratè deseruiat. *QVI COMMVTAVERVNT VERITATEM DEI.* Haec illa est Dei veritas, de qua suprà dixit. Quod cognosci de Deo potest, manifestum est in illis: quam commutauerunt deserentes eam, & seipsos statuentes, *IN MENDACIO.* Vt viderentur veritatẽ pro mendacio dedisse, à veritate ad mendacium transfugisse, veritatem prae mendacio contempsisse. Quod mendaciũ explanans addidit. *ET COLVERVNT, ET SERVIERVNT CREATVRAE.* Corde intimo, & externis corporis obsequijs, homines, volucres, quadrupedes, reptilia, tãquam Deos venerati sunt. *POTIVS QVAM CREATORI.* Praetermisso, & posthabito mundi totius conditore, & procreatore Deo. *QVI EST BENEDICTVS IN SAECVLA.* Qui à prima mundi origine, tanquam solus omnibus bonis abundans, bonorumque omnium auctor, laudatus est. Quam laudẽ nos quoq; eidem tribuentes, suscipimus, amplectimur, & veram confitemur, dicentes. AMEN.

Poenae huiusmodi iustitia.

Ἐν τῷ ψεύδει.

Παρὰ τὸν κτίσαντα.

PROPTEREA.

POENAE huius adauget grauitatem, homines illos, qui relicta Dei veritate, se totos in mẽdacio collocauerant, miseriores esse ostendẽs, ex eo, quòd non solùm in peccato derelicti, verùm etiam animi morbis, & cupiditatibus, tãquã turpissimi serui turpissimis dominis, à Deo traditi fuissent. Inquit. *PROPTEREA.* Propter enumerata eorum scelera. *TRADIDIT ILLOS DEVS.* Non in immunditiam solùm; prauas videlicet, & sordidas actiones; sed *IN PASSIONES IGNOMINIAE.* Vt non corpore tantùm, verùm & animo impuri, impudici, contaminati essent. Ex quibus animi deprauatis affectibus, quae probra, quae dedecora cùm in foeminis, tum in maribus exorta sint, explanat dicens. *NAM FOEMINAE EORVM*

Pro enumeratis sceleribus, maioris poenae grauitas.

Ex deprauatis animi affectibus foeda procacitas, ac

effraenata exoritur petulantia. RVM IMMVTAVERVNT NATVRALEM VSVM IN EVM VSVM, QVI EST CONTRA NATVRAM. Detestanda profectò commutatio naturalis, & à Deo concessi vsus ad generis humani propagationē, in eum abusum, quem natura ipsa, quòd praeter petulantia, & libidinem nihil ferat, perhorrescit. *Horrescit natura auersam libidinem, quòd nihil ferat.* SIMILITER AVTEM ET MASCVLI, RELICTO NATVRALI VSV FOEMINAE, EXARSERVNT IN DESIDERIIS SVIS IN INVICEM, MASCVLI IN MASCVLOS TVRPITVDINEM OPERANTES. Mares autem (inquit) vsum eis à Deo permissum, & naturalem, vt cum foeminis suscipiendae prolis gratia commiscerentur, deseruère: quos mutuae appetētiae tam effraenata libido inuasit, vt mares in mares turpitudinem exercerent. Deniq; vt ostenderet se de his sceleribus loqui, non vt peccata sunt, quorum Deus non est auctor; sed vt peccatorum poenae, addidit. *Sic lasciuire, peccare est; & peccati poenā sentire.* ET MERCEDEM, QVAM OPORTVIT. Congruentem videlicet, & aptam. ERRORIS SVI. Cōmutatae veritatis cum mendacio. IN SEMETIPSIS RECIPIENTES. Non in corporibus solùm, verùm etiam in animi proprijs affectibus, & morbis intimis.

ET SICVT.

AD extremum, & finem malorum omnium hanc poenam perducit: homines illos, de quibus loquitur, miserrimos esse declarans: ex eo quòd non solùm in externarum actionum impuritate; & infamibus, ac turpibus animi affectibus, qui vigent in sensibus, relicti à Deo fuerint; verùm etiam in mentem deprauatam, & corruptam traditi, & amentiae morbum insanabilem. *Eiusmodi scelesti homines cur miserrimi? Εἰς ἀδόκιμον νοῦν.* ET SICVT NON PROBAVERVNT DEVM HABERE IN NOTITIA. Quemadmodum ipsi quam acceperant de Deo notitiam, nō magni aestimauère, nec in summis, & maximis bonis posuère; sic, subintelligendū. TRADIDIT ILLOS DEVS IN REPROBVM SENSVM. Reliquit eos in sua improba mēte: quae cùm vna diuina sit in homine pars, cui totius animi regnum tributum est; si sana fuerit, nihil habet *Diuina hominis pars, Mens est; nihil meliꝰ si sana; sin insana nihil deterius.*

habet homo melius; sin insana, nihil deterius. Nam homines eò miseriarum ducit, *VT FACIANT EA, QVAE NON CONVENIVNT.* Idq; semper, non secus atq; sana mens nunquam agit, quod non deceat. In huius verò acerbissimae calamitatis profundum deiectos non fuisse sine antecedentibus maximis sceleribus, ex his apparet, quae sequuntur. *REPLETOS OMNI INIVSTITIA.*

ἀδικία.

Omne peccati genus, iniustitiae nomine cōprehendit: quemadmodum supra de ijsdem loquēs hominibus: *Qui veritatem* (inquit) *Dei, in iniustitia detinet.* *FORNICATIONE.*

Quid fornicatio.

Commiscendorum corporum turpem omnem, & effraenatā, quae diuina lege prohibetur, libidinem significat. *MALITIA.*

Quid malitia.

Quae versuta est, & fallax alteri nocendi ratio. *AVARITIA.*

Quid auaritia.

Plus habendi immodica cupido est: quae nonnunquam ex alterius bonis aliquid vsurpat, ac retinet. *VITIOSITATE.*

κακία.

Quid vitiositas.

Nomen est omnium vitiorum, quae virtutibus, & honestis moribus aduersantur. *PLENOS INVIDIA.*

Inuidentia quid, eiusq; effectus.

Inuidentia propriè dicitur, quae aegritudo est ex alterius rebus secundis suscepta. Ex qua tria, quae sequuntur, effluūt. *HOMICIDIO, CONTENTIONE, DOLO.* Ex inuidentia namque, si vehementior sit, oriunt saepenumero caedes; controuersiae de honoris praesertim, & dignitatis gradu; & doli, in quibus aliud est, quod agitur; aliud, quod dicitur, aut simulatur. *MALIGNITATE.*

κακοηθείας.

Quod est praui cuiusdam animi, & malis moribus assueti vitium, malitiosè omnia & interpretantis, & agentis. *SVSVRRONES,* Qui crebros, & nō bonos rumores de aliorum fama, ad aliorum aures insusurrant. *DETRACTORES:* De absentibus maledicè loquētes, eosq; deformantes, atq; illorum laudem, & gloriam imminuentes.

Susurrones, & detractores in quo differant.

DEO ODIBILES. Dictio Graeca θεοστυγεῖς; & Dei osores, & Deo inuisos significat; quorū alterum sine altero esse non potest: nam quos odit Deus, eos tradit in reprobam mentem, quae non potest nō odisse Deum. *CONTVMELIOSOS.* In inferendis iniurijs audaces; siue iniuriosos in alios homines. *SVPERBOS.* Supra id, quod decet, sibi ipsis arrogantes. *ELATOS.* Sese insolenter efferentes: de quibus Christus inquit. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.*

Luc. 18.

INVENTORES MALORVM. Nouorum scelerum principes, & architectos; sapientes, vt inquit san-

Ier. 8. cus Propheta, Ieremias; *vt faciant mala.* PARENTIBVS INOBEDIENTES. *Filiorum inobedientia vnde? Ier. 8.* Pertinet hoc ad parētum poenam, qui suos liberos Deo obedire non docuerunt: de quibus est apud eundem Prophetam, Dei illa querela. *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginae coeli, & libent Dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocent.* INSIPIENTES. Nescientes benefacere, quae summa est amentia, & animi affectio, lumine mentis orbata. INCOMPOSITOS. Modum, ordinem, & decorũ illud, quod πρέπον Graeci appellant, in omni vita negligentes. SINE AFFECTIONE. Amoris, & beneuolentiae erga suos liberos, propinquos, & cognatos, expertes. ABSQ. FOEDERE. Foedifragos, pactorum, & conditionum violatores. SINE MISERICORDIA. Animi vsq; adeo feri, & inhumani, vt aliorum hominum miserijs, & calamitatibus nihil omnino commoueantur.

QVI CVM.

Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν οὐ μόνον, &c.

ISERAM profectò, atq; miserendam istorũ caecitatē. *QVI CVM IVSTITIAM DEI COGNOVISSENT.* Non enim eam ignorare poterant, quae inter illa numeratur, de quibus supra dixit. *Inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Cui consequens est. *QVOD QVI TALIA AGVNT, DIGNI SVNT MORTE.* Neq; enim qui iustus est, tantorum scelerum auctoribus impunitatem dare potest. Mortem autem appellat, quae à diuina iustitia proficiscitur, animaduersionem: quam supra, Iram Dei nuncupauit. *Mors pro Dei ira, & animaduersione.* *NON SOLVM EA FACIVNT.* In huiusmodi scelera ruunt ipsi. *SED ETIAM CONSENTIVNT FACIENTIBVS.* Suorum facinorum imitatoribus licentiam, libertatemquè tribuunt viuendi. Non est autem tantum mali peccare, quantum per multos sui imitatores efficere.

PRO-

PROPTER QVOD.

X his, quae disputauit, aptè profectò concludit: non licere hominum cuiquam de alterius hominis peccatis iudicium facere. Qua sententia, aculeo quasi quodam & Iudaeos pūgit de aliarum omnium nationum peccatis iudicantes, & alias item nationes, multorum facinorum Iudaeos coarguentes. Est autem huius sententiae aperta quidem omnibus, & manifesta ratio; cùm nemo omnium mortalium sit, qui per seipsum à fide, & Iesu Christi cognitione vacuus, vel peccata cauere possit; vel non eadem illa agere, de quibus alterum iudicat; vel illis saltem similia. *PROPTER QVOD*, inquit. Quia vel omnibus, vel aliquibus eorum, quae recensuimus, sceleribus, contaminati illi fuère, qui sine fide in Iesum Christum vitam duxerunt. *O HOMO OMNIS, QVI IVDICAS.* Siue Iudaeus sis, siue alterius cuiuslibet gentis. *INEXCVSABILIS ES.* Te excusare, & damnationis iudicium euitare, nulla ratione poteris. *IN QVO ENIM ALTERVM IVDICAS.* Ista enim ipsa iudicādi actione, qua de alio iudicas: *TEIPSVM CONDEMNAS.* Tantum abest, vt excusare te ipse, & damnatorium iudicium effugere valeas. *EADEM ENIM AGIS, QVI IVDICAS.* De aliorum sceleribus promptè iudicas, à quibus ipse vel manus, vel animum saltem non abstines. Hoc enim nemo est, qui praestare possit absq; fide, & gratia Domini nostri Iesu Christi. Illustria quidem doctrinae huius in sanctis libris leguntur exempla. Dauid enim cum de nefario scelere, quanquam ficto, quòd Nathan Propheta ad eū detulerat, pronunciasset, sua se sententia damnatum agnouit. Achab item suaipsius, quam de captiui fuga dixerat, sententia cōdemnatus est. Tantum scelus est, eum, qui non extra omnem culpam sit, aliorum vitia improbare, & alios facere reos.

CAPVT II. *Tametsi grādia peccata sunt; tū cum de ipsis iudicat hō, de suo iure decedit, seque ipsum condemnat.* *Ratio.* Ἐν ᾧ γάρ. Ὁ κρίνων. *Exempla.* 2. Reg. 12. 3. Reg. 20.

SCIMVS ENIM.

E verò quisquam de aliorum moribus, & factis iudicans, blandiri ipse sibi possit, tanquam iudicem non habiturus, & nullius iudicium subiturus; inquit.

Alios iudicātes, iudicē Deum se

habituros norint, cuius soli iudicium est, qui solus iustus est. SCIMVS ENIM, QVOD IVDICIVM DEI EST SECVNDVM VERITATEM. Verùm non ad terrorem confictum, & comminationem: ac iustum, in quo nulla fraudis, aut iniquitatis suspitio subsit. *IN EOS, QVI TALIA AGVNT.* De alienis peccatis iudicant, à quibus sese ipsi non cohibent.

EXISTIMAS AVTEM.

Iudicij diuini consideratio.

DVABVS interrogationibus de diuino iudicio, cuius est maximè salutaris, & vtilis consideratio, iniquorum istorum iudicum, quos hoc loco insectatur, & vrget, conscientias stimulat. Earũ altera est. *EXISTIMAS AVTEM HOC O' HOMO, QVI IVDICAS EOS, QVI TALIA AGVNT, ET FACIS EA, QVIA TV EFFVGIES IVDICIVM DEI?* Non est cur hoc sperare possis, si Dei ipsius vocem audias. *Non erit* (inquit) *fuga eis, qui fugient, & non saluabitur ex eis, qui fugerit. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsq; ad coelos, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in monte Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si coelauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.*

Prima interrogatio.

Amos 9.

Ad iudicãdum, non ad miserendum.

AN DIVITIAS.

Secũda interrogatio.

ALTERA est interrogatio. *AN DIVITIAS BONITATIS EIVS, ET PATIENTIAE, ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS?* Non est etiam diuinum iudicium ex longa mora, & retardatione contemnendũ: quae nonnisi ex magna copia, & affluentia diuinae bonitatis, tolerantiae, & lenitatis prouenit. Nam quà bonus est Deus, diligit hominem: quà tolerans, non punit illico peccantem: quà lenis, diu quoq; maleficia punire, & vindicare differt. Quid verò ista sui iudicij tarditate, quae ex vberi benignitate fluit, ac manat, nobiscum agat miserico-

fericors Deus, declarat, & inquit. *IGNORANS QVOD BENIGNITAS DEI AD POENITENTIAM TE ADDVCIT?* Iudicij cunctatione ad poenitentiam benignè, & suauiter inuitat, & allicit. ἀγνοῶν.

SECVNDVM AVTEM.

DIVINA benignitate, quae ad tuam salutem tota spectat, quam prauè porrò, & nequiter ad tuam tu perniciem, & damnationem abutaris, attende. *SECVNDVM AVTEM DVRITIAM TVAM.* Quam diuinae lenitati opponis. *ET IMPOENITENS COR.* Quo diuinae bonitati, & patiētiae resistis, iudicij dilatione ad poenitentiam te prouocanti. *THESAVRIZAS TIBI IRAM.* Poenam, & vindictam. *IN DIE IRAE.* Diem iudicij, diem irae appellat: vt intelligas diem illum, diuinae mansuetudini, patientiae, & tolerātiae aduersus improbos, & flagitiosos homines, finem esse allaturū. *ET REVELATIONIS IVSTI IVDICII DEI.* Quare autem dies iudicij, dies appelletur reuelationis iusti iudicij Dei, rationem habes in eo, quod sequitur. *QVI REDDET VNICVIQ. SECVNDVM OPERA SVA.* Iustū nunc Dei iudicium absconditum latet: neq; enim vnicuiq; reddere videtur iuxta opera sua: at illo die manifestò apparebit: ita vt qui nunc dicunt. *Iustitia tua, sicut montes Dei: iudicia tua, abyssus multa;* tunc rebus omnibus perspectis, & cognitis, dicturi sint. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuū.*

Dies Iudicij cur dies irae dicatur, & reuelationis.

Psal. 35.

Psal. 118.

HIS QVIDEM.

VOMODO autem vnicuiq: secundùm opera sua redditurus sit, articulatim, distinctéq; explanans, inquit. *HIS QVIDEM, QVI GLORIAM, ET HONOREM, ET INCORRVPTIONEM QVAERVNT.* Quibus verbis illos designat, qui gloriam cōsectantur aeternam, & immortalem; quae vna vera est, & solida; neq; corrumpi vnquam, aut labefactari potest. Rationem autem, & viam, hanc gloriam captandi, illo verbo explicauit.

cauit. *PER PATIENTIAM BONI OPERIS.* perſeuerantiam ſcilicet, & conſtantiam in bonis operibus, cum tolerantia coniunctam, earum omnium rerum, quae huic propoſito aduerſantur, quae in hac vita multa ſemper occurrunt, atq; obſiſtunt. His, inquit: *VITAM AETERNAM.* Reddet Deus; quae illa omnia complectitur, gloriam, honorem, incotruptionem. *HIS AVTEM, QVI SVNT EX CONTENTIONE*: Opponitur vitium virtuti; contentionis ſtudium, patientiae, & manſuetudini illorum, qui à rectè agendi propoſito nullis difficultatibus, nulliſq; laboribus declinant, deflectuntq; ſententiam. Neſcio autem quid magis nobis ſignificet, dicens; ſunt ex cõtentione; quàm ſi dixiſſet; contentioſis. Deſcribere nanq; videtur eos, qui ex contendendi affectu quodam, quaſi conſtare videntur, nunquàm cedentes, quin potius veritati ipſi cedere turpe putantes, & indecorum: ad quos illud pertinet, quod ſequitur. *ET QVI NON OBEDIVNT VERITATI.* A veritate ipſa, cuius eſt maxima vis, ſe perſuaderi nõ ſinunt. *OBEDIVNT AVTEM INIQVITATI.* Excitanti ad contentionem aduerſus apertam, atq; etiam cognitam veritatem, *FVROR, ET IRA.* Reddetur à Deo. Iiſdem nominibus, Dei aduerſus ſceleſtos, & facinoroſos homines, ſeueram indignationem, & odium deſignauit Dauid, cum dixit. *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.*

Contentio patientiae opponitur, & mãſuetudini.

Ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ. Πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ. Θυμός. ὀργή. *Pſal. 6.*

TRIBVLATIO.

FVROR, & ira propriè quidẽ in Deo non ſunt; ſed ex humanis motibus tranſlatis vocabulis iuſtiſſima poena, qua in ſontes animaduertit, accepit haec nomina. Eam nunc igitur poenam ſuis nominibus deſcribit; & ad ea, quae de diuino iudicio dixerat, addit aliquid, quo perfectiorem habeamus, & pleniorem eius notitiam: Inquit enim. *TRIBVLATIO, ET ANGVSTIA.* Summum intelligit cruciatum, ſummumq; ſupplicium, ex quo nulla appareat emergendi via, non diuini nominis inuocatio; ad quam, tanquam ſingularem medicinam, confugere docuit Dauid, cùm dixit. *Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Neq;

Pro ira Dei, poena accipitur.

Inferni cruciatus tribulatione, & anguſtia comprehẽditur

Pſal. 114.

Neq; etiam diuinorum mandatorum meditatio, quam ille idem, tanquam salutare quoddam in malis remedium, ostendit; *Tribulatio inquiens, & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.* Talibus enim remedijs in hac duntaxat vita, & ante extremum illud iudicium, vti possumus. *IN OMNEM ANIMAM HOMINIS OPERANTIS MALVM.* Latius patet hoc, quàm id, quod supra dixerat: iracundum, hoc est implacabilem fore Deum in eos, qui non veritati, sed iniquitati obtemperant: cùm non modò hoc, quod est certè grauissimum; sed omne malificij genus, mali operatione complectatur. Et fortè πᾶσαν posuit pro ὅλην; vt nullam animae partem futuram intelligamus non vehementissimè afflictam, & cruciatam; nullam, in qua euadendi ex illis angustijs spes aliqua elucere possit. *IVDAEI PRIMVM, ET GRAECI.* Nulla habita ratione siue Iudaei fuerint, qui prauè agant, siue alterius cuiuslibet gentis. Dixit autem, Iudaei primùm; vt, quod ad hanc diuini iudicij partem attinet, omnem ipsi suae nationis praerogatiuam deponant. *GLORIA AVTEM ET HONOR ET PAX.* Haec sunt, in quibus vita aeterna consistit. Meritorum praemium, virtutis testimonium, & optata securitas. *OMNI OPERANTI BONVM.* Illis videlicet, qui (vt supra dixit) per patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quaerunt. *IVDAEO PRIMVM, ET GRAECO.* Vt aequam non solùm in malorum poenis, sed & in bonorum praemijs vtrorumque conditionem fore vtriq; intelligant.

Psal. 115.

Iudaeos primùm iudicandos cur?

Vbi vita aeterna cõsistat.

NON ENIM.

OMNIA planè, quae de diuino iudicio attulit, hac sententia confirmantur, ex diuina lege assumpta. *NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARVM APVD DEVM.* Nullam habet Deus personae, aut humanae alicuius dignitatis rationem; sed operum. Pro nihilo omnino ducet, siue Iudaeus quis natus sit, & legem habeat scriptam; siue ex altera qualibet mundi natione, quae legem scriptam non acceperit. *QVICVNQVE ENIM SINE LEGE PECCAVERVNT, SINE LEGE PERIBVNT.*

Deut. 10. 2. Paral. 9. Iob. 34. Actor. 10.

Sine lege peccantes, quid legē nō h b ie- rint, se excusare non possunt.

RIBVNT. Nihil omnino lege opus erit, ad aeternae mortis supplicium, peccatoribus illis inferendum, qui Iudaei non sunt, & lege scripta carent. Nulla enim erit peccati illorum excusatio, si peccasse se dixerint, quòd ea illis lex tradita non fuerit: cuius rei rationem paulò post afferet, praeter eas, quas supra accepimus, cùm dixit: ad eam Dei notitiam illos peruenisse, vt essent inexcusabiles: & cùm Dei iustitiam quàm rectè cognitam haberent, intellexisse, quòd qui talia agunt, digni sunt morte. *ET QVICVNQ; IN LEGE PECCAVERVNT, PER LEGEM IVDICABVNTVR*. Iudaei, quibus per Moysen lex duarum tabularum data est, si quid sceleris aduersus eam legem admiserint, illa eadem lege damnabuntur. Cuius haec est ratio, quae sequitur. *NON ENIM AVDITORES LEGIS IVSTI SVNT APVD DEVM, SED FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR*. Quia iustificandi, & iustificationis vocabula, quibus frequenter Paulus vtitur, non eandem vbiq; habent rationem: intelligendum est hoc loco illud idem significare, quod paulò ante dixerat: Iustum esse apud Deum. Quòd autem ad id non satis sit legis praecepta audire, sed ea facere oporteat, duobus legis testimonijs alibi ostendit Paulus. Primum illud est: *Custodite leges meas, atq; iudicia, quae faciens homo viuet in iis: ego Dominus*. Alterum. *Maledictus, qui non permanserit in libro legis, vt faciat ea*. Lex enim non sola doctrina contenta est, sed obedientiam, vsum, exercitationemq; requirit.

Quòd per legem iudicandi sint Iudaei, ratio.

Iustificādi & iustificationis vocabula non eādē vbiq; rationem habent.

Leu. 18. Rom. 10. Deu. 27. Gal. 3.

CVM ENIM.

Iudaeum esse, necne, ad salutem nō prodest: prodest autem praescripta legis seruare

DECLARAT neq; Iudaeo prodesse ad salutem, esse Iudaeum, & legem à Deo in tabulis scriptam accepisse; neque alteri cuiquam ex quauis mundi natione obesse, non esse Iudaeum, & ea lege obstrictum non teneri: verùm prodesse vtrique, si legis praescripta seruauerit; obesse si neglexerit; ex quo illud, quod mox dixit, erit manifestum: Non auditores legis, sed factores iustos esse apud Deum. Ac primùm gentes nobis proponit, lege quidem scripta carentes: verùm, natura duce, ea seruantes, quae lege ipsa praecipiuntur: de quibus inquit. *CVM ENIM GENTES, QVAE*

LEGEM

LEGEM NON HABENT, NATVRALITER EA, QVAE LEGIS SVNT, FACIVNT. Naturae vnius, quae norma legis est, propria vi, & ab his abstinent, quae prohibet lex; & ea faciunt, quae iubet. Quomodo verò id effici possit, ostendit cùm addit. *HI LEGEM NON HABENTES, IPSI SIBI SVNT LEX.* Quòd lex scripta si adesset, efficeret; id ipsi natura duce,& magistra, efficiunt: mandantes sibi ipsis, quae honesta sunt, & rationi congruunt, ac prohibentes, quae turpia sunt, & à ratione abhorrent. *QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS SCRIPTVM IN CORDIBVS SVIS.* Quod est opus legis? Annon praecipere,quae iusta sunt, & prohibere contraria? Hoc isti scriptum se in corde gerere ostendunt, dum ipsi sibi mandant, quae honesta sunt; & quae turpia,prohibent.Huius autem, in corde hominis literis consignatae legis, duplex citatur testimonium. Alterum est conscientiae, quae ea, quae mala sunt, semper improbat; quae verò bona, probat. Alterum verò cogitationum,siue ratiocinationum inter se mutuò: quae praue fiunt, accusantium; quae autem rectè, excusantium. Et de primo quidem inquit. *TESTIMONIVM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORVM.* De altero. *ET INTER SE INVICEM COGITATIONIBVS ACCVSANTIBVS, AVT ETIAM DEFENDENTIBVS.* Quibus duobus intimis, & communibus testibus planè perspicitur, naturae legem mala vetantem, & bona praecipientem in corde humano scriptam esse. Neq; enim aut conscientia posset damnare malum,& probare bonum; aut cogitationes vel accusare, vel excusare factum aliquod, nisi naturae lex humano esset insita cordi; & iustum, atq; iniustum demonstraret conscientiae, & cogitationibus. Cùm autem hi duo testes inclusi nunc, & abditi, in occulto lateant, & in apertum proferendi sint in extremo iudicio, adiecit. *IN DIE CVM IVDICABIT DEVS OCCVLTA HOMINVM.* Conscientias, & cogitationes,quae contra seipsas testimoniũ dicent. *SECVNDVM EVANGELIVM MEVM.* Iuxta id, quod à me de hoc futuro iudicio nunciatum est, & praedicatum.In quo constat,atq;perspicuum est,iudicij praedicationem ad Euangelium pertinere. *PER IESVM CHRISTVM.* Cui Pater omne dedit iudicium.

Praecipere quae iusta sunt,& prohibere contraria, op' legis est.

Quòd vtrumque, natura duce, efficiatur, duplex testimonium.

1

2

Confirmatio.

Iudicij praedicatio ad Euãgeliũ pertinet

SI AVTEM.



HACTENVS de alienis à Iudaeorum gente hominibus: ad ipsos nunc Iudaeos orationem conuertit, & traducit, legem quidem scriptam audientes, & docentes; sed eius praecepta non facientes: quorum in primis dignitates, & praerogatiuas recenset; cùm eas, quas in seipsis simpliciter; tum illas, quas aliarum gentium comparatione se habere iactabant: de quibus sic inquit. *ET TV IVDAEVS COGNOMINARIS.* Genus tuum, vt antiquissimum, & clarissimum iactas. *ET REQVIESCIS IN LEGE.* Non incertus vagaris, & dubius, de his, quae sequenda, quaequè fugienda sint: quemadmodum illi faciunt, qui legem scriptam non acceperunt. *ET GLORIARIS IN DEO.* Magnis Dei beneficijs ornatus, & auctus patrijs illum ritibus, & diuina lege praescriptis te colere gloriaris. *ET NOSTI VOLVNTATEM EIVS.* Quae illi placeant, quaeq; displiceant: qua de re dixit Dauid, *Notas fecit vias suas Moysi; filijs Israel voluntates suas.* *ET PROBAS VTILIORA, INSTRVCTVS PER LEGEM.* Ex legis doctrina, & institutione, quae prae alijs ad salutem conducant, commendas, & approbas. Haec sunt de quibus Iudaei in semetipsis simpliciter sese efferebant: comparatè verò ad alias omnes mundi nationes, quales se esse ducerent, animaduerte. *ET CONFIDIS TEIPSVM DVCEM ESSE CAECORVM; LVMEN EORVM, QVI IN TENEBRIS SVNT; ERVDITOREM INSIPIENTIVM; MAGISTRVM INFANTIVM, HABENTEM FORMAM SCIENTIAE, ET VERITATIS IN LEGE.* His nominibus supra alias omnes nationes se efferebat Iudaeus; se ducem, se lucem, se sapientem, se doctorem, se ratione & via praeditum indagandae cognitionis, & veritatis in lege existimans. Itaq; illud erat eis in ore frequens, *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* Et illud, *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Aliarum ergo gentium homines errantes putabãt, in tenebris ruentes, infantes, & quos ad Dei, & veritatis cognitionem ab Iudaeis informari oporteret.

Iudaeorũ dignitates, & praerogatiuae, quibus absolutè se efferebant.

Psal. 102.

Quibus vero comparatè.

Psal. 25.

Psal. 117.

QVI ERGO.

DE his nunc agit nefarijs Iudaeorum sceleribus, quae contra legis mandata committebãt. Agit autem arguendo, & obiurgando; cum, quòd manifesta essent, & ante omnium oculos versarentur; tum verò vt ostenderet immeritò ab ipsis tot vsurpari praerogatiuas, & dignitates. *QVI ERGO ALIVM DOCES, TE IPSVM NON DOCES.* Quomodo ergo te sapientẽ facis, & doctorem? *QVI PRAEDICAS NON FVRANDVM, FVRARIS.* Quomodo aliorum te ducem constituis? *QVI DICIS NON MOECHANDVM, MOECHARIS.* Quomodo lumen te esse iactas? quomodo rationem, & viam fallacissimè venditas inuestigandae veritatis in lege? *QVI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIVM FACIS.* Quomodo Iudaei cognomentum non iniuria tibi vendicas? quomodo gloriaris in Deo, qui multa aduersus verum, ac legitimum Dei cultum admittis? *QVI IN LEGE GLORIARIS, PER PRAEVARICATIONEM LEGIS, DEVM INHONORAS.* Quomodo deniq; requiescis in lege, qui ad legem vitam non dirigis, & formas tuam? Verùm vsq; adeo legem ipsam, in qua gloriaris, negligis, & violas; vt ob eam rationem Dei sanctissimum nomen, & existimatio, apud alienas nationes & imminuatur, & polluatur. Quod quidem sanctis priscorum Prophetarum oraculis, ac vaticinijs verum esse confirmat: *NOMEN ENIM DEI PROPTER VOS BLASPHEMATVR INTER GENTES.* Cùm vestram mandatorũ legis contemptionem, & despicientiam externi populi intuentur, quaecunq; de Deo verè, honorificè, & mirabiliter in lege praedicantur, derident, ac tanquam commentitia reijciũt, & respuunt: quae insignis est Dei execratio: de qua apud Isaiam Deus ipse sic queritur. *Propter vos semper nomen meũ blasphematur in gentibus.* Tum apud Ezechielem his verbis Iudaeos appellat. *Non vobis ego facio domus Israel, sed propter nomen meum sanctum, quod prophanastis in gentibus.* Haec ergo, & alia fortasse testimonia significare voluit, cùm dixit. *SICVT SCRIPTVM EST.*

Iudaeorũ scelera arguẽdo recenset.

Iudaeus nõ Doctor, sed insipiens.

Non largus Praedicator, sed fur dilaniator.

Non castus, sed moechator.

Non religiosus, sed sacrilegus.

Non legifer, sed praeuaricator.

Fracta fide à fideli, blasphem' fit infidelis.

Isa. 52.

Ezech. 36.

CIRCVNCISIO.

Intentio.



OMINEM proposuit à Iudaeorum lege, & sacris alienum, Graecum puta, aut Romanum; sed ea legis praecepta seruantem, quae naturae lumine, atq; vi cognosci possunt; cui tanquam è regione Iudaeum opposuit, illa eadem legis mandata, quae descripta in tabulis habeat, negligentē. Illud nunc conficit, quod disputationis huius initio constituerat: neq; prodesse Iudaeo legem scriptam, si eius praescripta non fecerit; neq; alterius cuiusuis gentis homini obesse, ea lege carere, si mandatis eius, quae insita, & quasi consignata gerit in animo, obtemperauerit, atq; ipse sibi sit lex. Ex quo perspicuum illud, ac manifestum euadet: non auditores legis, sed factores iustos esse apud Deum. Appellat autem Iudaeorum populum Circuncisionem, quòd ea maximè gloriaretur, tanquam signo Abrahae à Deo dato ad internoscendam eius posteritatem ab alijs totius mundi nationibus: aliarum verò gentium homines Praeputium, quòd naturae statum, in quo conditi erant, tuerent, & à Circuncisione abhorrerent. Iudaeum ergo cōpellans inquit. *CIRCVNCISIO QVIDEM PRODEST.* Quae quaedam est quasi legis professio, hac tamen adiecta conditione. *SI LEGEM OBSERVES.* Qua de re alio loco inquit. *Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersae legis faciendae. SI AVTEM PRAEVARICATOR LEGIS SIS, CIRCVNCISIO TVA PRAEPVTIVM FACTA EST.* Nihil tibi proderit professio legis; verùm par eris alterius cuiuslibet nationis homini, & incircunciso, & legem in tabulis scriptam neq; audienti, neq; etiam habenti. Ex hoc autem, argumenti sententiam apta interrogatione cōcludit. *SI IGITVR PRAEPVTIVM IVSTIFICATIONES LEGIS CVSTODIAT, NONNE PRAEPVTIVM ILLIVS IN CIRCVNCISIONEM REPVTABITVR?* Si alienus quispiam à Circūcisione, legis mandata, in quibus iustitia legis posita est, seruauerit: annon erit hic apud Deum tanquam Iudaeus, qui legis mandata non audiat solùm, verùm & studiosè faciat? Cùm verò hac de re nemo sanus dubitare possit, alteram annectit interrogationem. *ET IVDICABIT ID, QVOD EX*

Circūcisionē appellat populum Iudaeorū: Praeputiū verò gentium.

Gal. 5.

δικαιώματα.

Ad hoc prima interrogatio.

Secunda.

NATVRA EST PRAEPVTIVM, LEGEM CONSVMMANS, TE, QVI PER LITERAM, ET CIRCVNCISIONEM PRAEVARICATOR LEGIS ES? Nunquid (ait) illius comparatione, qui non electione, sed natura praeputium habet; & ea legis mandata, quae gerit in corde descripta, perfectè seruat, tu Iudaee condemnaberis, qui legem audis in tabulis scriptam, quam circuncisa carne profiteris? Nemo certè inficiari debet, eũ, qui obedientia, & recta affectione legem amplectitur, illi anteponẽdum esse, qui scriptura tantùm, & incisa pellicula innixus, legis mandata multis modis violare non veretur. *Circũcisus qñ incircuncisĝ anteponatur.*

NON ENIM.

PERTA significatio est, & manifesta descriptio veri Iudaei, veraceq; circuncisionis, ad quã omnia ferè dirigenda sunt, quae in lege, & Prophetis, vel Iudaeis promittuntur, vel de circũcisione praecipiũtur. *NON ENIM QVI IN MANIFESTO IVDAEVS EST, NEQ. QVAE IN MANIFESTO IN CARNE EST CIRCVNCISIO.* Si ad diuinas promissiones, & oracula Dei, animum referas; non erit tibi Iudaeus, qui natura tantùm Iudaeus est, & quem Iudaeum esse, cognitum & manifestum est omnibus. Neq; etiam si diuinorum verborum vim paulò diligentiùs attenderimus; illa, quae in carne tantùm est, & omnium oculis exposita esse potest, vera habenda est circuncisio. *SED QVI IN ABSCONDITO, IVDAEVS EST.* Qui siue natus, siue non natus Iudaeus sit, ea seruauerit, quae Iudaeis mãdauit Deus, is reuera Iudaeus est. *ET CIRCVNCISIO CORDIS IN SPIRITV, NON LITERA.* Vera circuncisio cordis est, hominibus quidem occulta; quae non in legis litera consistit, hoc est in gladio, pelliculam tantùm resecante; sed mystica est, & spiritu Dei fit, omnes nostrae carnis affectus, & impetus circuncidente, & amputante; quibus ad ea, quae diuinis mandatis contraria sunt, sollicitamur. *CVIVS LAVS NON EX HOMINIBVS, SED EX DEO EST.* Magna profectò huius circuncisionis laus est, quòd eam praecipue à se requiri Deus declarauerit, cum inquit. *Circuncidimini*

Qui natura tantùm Iudae⁹ est, Iudaeus nõ est.

Circũcisio, quae ĩ carne tantùm est, uera circuncisio nõ est.

Iudaeus verus.

Circũcisio vera.

mini Domino: ac tanquam rogatus quaenam esset ea circuncisio, adiecit. *Et auferte praeputia cordium vestrorū*, quòdq; sua quasi manu eam se factur ū pollicitus est: *Circuncidet* (inquiens) *Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui*. Cuius quidem circuncisionis quaenam esset vis, & quanta necessitas, statim explanauit, dicens. *Vt diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Illa praeterea quàm magna est huius circuncisionis laus? omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israel incircuncisi sunt corde. Quo loco perinde atq; alias nationes, habendos esse Iudaeos, quamuis carne circuncisos ostendit, si corde non fuerint circuncisi.

Deut 30.

QVID ERGO.

CAPVT III.

VÆRIT, quidnam illud sit, quo caeteris nationibus praestet, & antecellat Iudaeus; & quem ipsi praebeat vtilitatis fructum circuncisio. *QVID ERGO AMPLIVS IVDAEO EST? AVT QVAE VTILITAS CIRCVNCISIONIS?* Nec declinat à proposito, quando pares fecisse videtur alijs gentibus Iudaeos, ac praeputium circuncisioni; concludens, praeputium, si legem in corde scriptā seruauerit, pro circuncisione haberi; & circuncisionem, si neglexerit, pro praeputio: & nihil prodesse Iudaeis legem scriptam accepisse, si suas ad eam actiones non direxerint; aut alijs nationibus obesse, ea lege caruisse, si mandatis eius in omnium animis impressis obtemperauerint. Ad haec ergo quaesita sic respondet. *MVLTVM.* Excellit caeteris nationibus Iudaeus. *PER OMNEM MODVM.* Quacunq; ratione Iudaeum inter, atq; alterius cuiusuis nationis homines comparatio fiat, praestare, & eminere aliquo pacto reperietur. *PRIMVM QVIDEM.* Quod prae caeteris nationibus Iudaeus habet, hoc est. *QVIA CREDITA SVNT ILLIS ELOQVIA DEI,* Quas antea scripturas sanctas de filio Dei appellauit, nunc dicit eloquia Dei; quae Iudaeorum lingua, & literis scripta, Iudaeis commissa sunt; non alteri cuiquam nationi, aut genti. Quo loco discimus, in omni, quaecunq; fiat inter Iudaeos, & alias orbis

Praeputiū aliquando pro circuncisione habetur.

Excellit caeteris nationibus Iudaeus.

Cap. 1.

Iudaeos inter, & alias nationes cōparatio.

bis terrae nationes comparatio, illos iſtis anteferre, & excellens aliquod, atq; eximiũ Dei munus in Iudaeis ſemper agnoſcere, & venerari; vt ſi de ſanctis ſcripturis, quibus nihil habemus in terris diuinius, nihil praeſtantius, comparatio fiat, in eo certè longè omnes, multumq; ſuperabit Iudaeus, quòd ſuae ſint creditae nationi; ſi de fide, & Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione, an Iudaei primi omnium non crediderunt? an ea notitia, & fides non à Iudaeis ad alias gentes, tanquam à fontibus ad riuos deducta eſt? Qua ratione in alijs omnibus collationum generibus Iudaeos inueniemus multùm, non autem omnino praecellere. Propterea dixit, Per omnem modũ; vt omnes comprehenderet comparationum rationes. Dixit quoque, Multum; nè abſolutè, omninò, & in omnibus excellere Iudaeum cogitaremus.

Scripturis ſãctis nihil ĩ terris habemus diuinius.

Per omnẽ modum.

Multum.

QVID ENIM.

IRVM profectò videtur, ſcripturas ſanctas, & oracula, in quibus Dei verba inſunt, commiſiſſe Deum Iudaeis, quos neq; vaticinationibus, neq; promiſſionibus, quae ſcripturis illis continentur, fidem adhibuiſſe conſtat. Videtur hoc de ſanctarum ſcripturarum auctoritate, & dignitate nonnihil detrahere: videtur ſanctum datum fuiſſe canibus: & margaritas proiectas ante porcos, qui conculcarunt eas pedibus ſuis. Qua de re eam, quae ſequitur, quaeſtionem propoſuit Paulus. *QVID ENIM SI QVIDAM ILLORVM NON CREDIDERVNT?* Quàm moliter eos tractat. Ita loquitur, ac ſi maxima Iudaeorum pars credidiſſet; cùm, qui crediderint, pauciſſimi profectò fuerint. *NVNQVID INCREDVLITAS ILLORVM, FIDEM DEI EVACVABIT?* Vanane erunt, & irrita Dei verba, promiſſa, & oracula; quia quibus commendata, & concredita ſunt, Iudaei, fidem eis nõ habuerunt? Quam quidem humanae mentis coniecturam deteſtari ſe, ac perhorreſcere oſtendit, cùm reſpondet. *ABSIT.* Et veriſſimam quandam de Dei fide, & veritate regulam ſtatuit, qua nihil vnquam verius excogitari poterit. *SIT AVTEM DEVS VERAX, OMNIS AVTEM HOMO MENDAX.* Vſq; adeo firmum, & fixum in animis noſtris eſſe oportet, Deum eſſe veridi-

Quaritur cur Deus Iudæis ſcripturã ſanctam commiſit, ei nõ credituris.

Matt. 7.

Καταργήσει.

Τελεσιοῦ.

Deus verax.

ridicum in his, quae pollicetur, ac praedicit; vt eorum veritatem rescindi non posse existimemus omnibus omnium hominum mendacijs, nedum Iudaeorum quorundam aliena à fide voluntate. Diuinorum ergo verborum veritas, non est ab humana vlla actione sustinēda, aut fulcienda. Sint omnes homines mendaces, impuri, scelesti, impij; firma semper, & immota perseuerat diuinarum veritas promissionū. *SICVT SCRIPTVM EST.* Dauidis testimonio hanc regulam confirmat; qui cùm peccatum suum cōfessus esset, dixisset{q}; *Tibi soli peccaui, & malum corā te feci;* statim haec, quae nunc Paulus vsurpat, verba adiecit. *VT IVSTIFICERIS IN SERMONIBVS TVIS, ET VINCAS CVM IVDICARIS.* Quo loco non modò seipsum, sed omnes homines mendaces, & peccatores statuit Dauid: ex quorum mendacio, atq; peccato, illud consequatur, vt iustus appareat Deus in sermonibus suis, hoc est verax in promissionibus, & vincens omnia omnium hominum iudicia, quibus de veritate diuinorum verborum vereri se, & trepidare ostendunt. Quid autem illud est, quod ait, vt iustificeris? Hoc profectò est. Quanquam Dei summa bonitas, quae eadem est cum iustitia, & veritate, nullo hominum existente mendacio, aut peccato cognosci potuisset: multò tamen apertior facta est, & clarior, cùm ex hominum tot peccatis, & mendacijs, nec rescindi potuit, nec irrita fieri; quinimmo stabilis, & immota permansit: non secus atque principum clementia, & veritas multò magis apparet, & eminet; si, quod seruis pollicentur, peccantibus quoq; illis, sed resipiscentibus, & errorem deponentibus, tribuant; quam si nihil omnino delinquentibus, promissa seruauerint. Inquit ergo Dauid. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Si tua promissa, Deus, homini iusto, & qui nullum scelus commisisset, praestitisses; videri fortasse poterat veritas, & iustitia tua, humana bonitate, & innocentia stabilita: at cùm ea mihi feceris homini mendaci, & peccatori, ex ipsa peccatorum meorum confessione cognoscitur, fidei, & promissionum tuarum firmitatem, atq; constantiam ab homine nullo pacto pendere. Qua de re alio loco inquit. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Et hac quidem ratione, diuina bonitas

Diuina veritas, humanae actionis fulcro non indiget: neque impiorum scelere corruit.

Confirmatio.

Responsio ad principale quaesitum.

Deus iust. in sermonibus.

Dei iustificatio in sermonibus.

Psal. 50.

Psal. 144.

gratias humanam vincit malitiam; diuina veritas humanum mendacium.

SI AVTEM.

QVÆ sequitur quaestio, ex Dauidis modò citato carmine oriri poterat; proinde praetermittenda non erat. *SI AVTEM INIQVITAS NOSTRA IVSTITIAM DEI COMMENDAT, QVID DICEMVS?* Dauid hoc sensisse videtur; qui cùm dixit. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci; & sua & nostra omnia peccata in cõspectu Dei constituit: cùm verò addidit, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, ex eius,& nostris peccatis illustrem, & insignem reddi diuinam iustitiã affirmare videtur. *NVNQVID INIQVVS EST DEVS, QVI INFERT IRAM?* Qui nostra peccata vlciscitur, ex quibus eius summa bonitas, summaq; iustitia patefit, & illustratur, an vllam habet propterea iniquitatem? *SECVNDVM HOMINEM DICO.* Loqui secundum hominem, nihil aliud est, quàm humano sensu, & non ex verbo Dei loqui: quod alibi Paulus declarauit, cùm dixit. *Nunquid secundum hominem haec dico? An non & lex haec dicit?* Vbi loqui ex lege,& verbo Dei, loquutioni opposuit, quam secundum hominem appellat. Hanc ergo quaestionem mouere se inquit, secundum hominem: humana scilicet ratione, quae nunquam quiescit; quinimmo de Deo, & diuina iustitia iudicare audet; ac ex eo ratiocinatur, Deum esse iniustum, quòd in nostra peccata animaduertat, ex quibus eius commendatur iustitia. Respondet, sed primùm hoc verbo. *ABSIT.* Ab ista rationis humanae à diuino spiritu destitutae fallaci conclusione abhorrentem se esse ostendit. Deinceps in eam dubitationem, sit nè Deus iustus, veniendũ non esse significat,cùm inquit. *ALIOQVIN QVOMODO DEVS IVDICABIT HVNC MVNDVM?* Si dubitari potest, iustus nè sit, an iniustus. Quicunq; ergo Deum,mundi totius iudicem esse liquidò credit, in eum nulla potest de singulari diuinae iustitiae integritate haesitatio cadere. Demum falsa illa omnia esse ostendit; ex hominum mẽdacijs, Dei veritatem excellere; ex hominum iniustitijs,Dei amplificari, & ornari iustitiam. Quod autem de se vno dicit,

Tacitae q̃stioni obuia itur: Num Deus iniustus, quòd in ea peccata animaduertat, ex quibus videtur eius bonitas, & iustitia cõmendari.

Secundum hominẽ loqui.

1.Cor. 9.

Responsio.

Dei iustitia.

De⁹ iudex est, ergo iustus.

Ex hoĩum iniustitijs, Dei iustitia non ornatur.

de omnibus dictum putari debet. *SI ENIN VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABVNDAVIT IN GLORIAM IPSIVS, QVID ADHVC ET EGO, TANQVAM PECCATOR, IVDICOR?* Iniquè profectò tãquam peccator, damnaretur homo à Deo, si ex eius mendacijs, & peccatis diuina emineret gloria, atq; in seipsa redderetur illustrior. *ET NON SICVT BLASPHEMAMVR, ET SICVT AIVNT QVIDAM NOS DICERE, FACIAMVS MALA, VT VENIANT BONA.* Altera vtitur ad illud idem probandũ ratione, cuiusuis haec est. Si Dei veritas in meo mendacio excelluit in gloriam ipsius, cur verum non sit illud dici à nobis, cuius gratiâ nostri nos calumniatores execrantur, probrisque vexant, & maledictis insectantur, Faciamus scilicet mala, vt veniant bona: mendacia sectemur, & iniustitias, vt diuina excellat, & commendetur iustitia, & excellentia gloriae diuinae veritatis. De quibus intelligendum est, quod sequitur. *QVORVM DAMNATIO IVSTA EST.* Cùm ea nobis ascribant, quae nos neq; dicimus, neq; probamus, iustè ipsi condemnabuntur. Non modò enim à veritate, quam praedicamus, abhorrent; verùm impiam istam, ab eis confictam, & à nobis ne cogitatam quidem, sententiam, nobis attribuunt. Hactenus de hac quaestione Paulus. Ex quibus (vt arbitror) liquet, humano mendacio ad diuinae veritatis excellentiam nihil accedere, humana iniustitia ad diuinae iustitiae praestãtiam nihil adiungi. Cùm autem omnium hominum tot mendacijs, & iniustitijs de diuina veritate, & iustitia nihil omnino detrahatur; nullus relinquitur dubitandi locus, quin diuina gloria per se ipsa consistat; neq; ab humanis quibusuis actionibus incrementi quippiam suscipiat; vel decrementi.

Mala an faciẽda, vt bona veniant.

Dictorum collectio.

QVID ERGO.

Num propterea gẽtib' Iudaei praeponẽdi.

D primam nunc reuertitur quaestionẽ, an praeter caeteras orbis terrae nationes excellant, praestentq; Iudaei. *QVID ERGO? PRAECELLIMVS?* Cõfici nè potest ex his, quae dicta sunt, quòd credita Iudaeis diuina oracula uerint, quòd ex quorundam aliena à fide voluntate neq; irri-

cta, & inania facta fuerint, neq; fidem Dei rescinderint, nos Iudaeos reliquis gentibus simpliciter, & absolutè, & omnibus rebus antecellere? seipsum autem hoc loco Iudaeis annumerat, vt quicquid de eorum dignitate, vel inani prorsus opinione detraxerit, de seipso quoque detraxisse videatur. Respondet enim. *NON OMNINO.* Dixerat quaestionis huius initio, multum praeter reliquas omnes nationes habere Iudaeos, & per omnem modum: quod nos sic explicauimus, vt quacunq; ratione caeteris gentibus Iudaei compararentur, semper eminentius aliquid habere dignoscerentur. Nunc autem inquit. Non omnino. Non omnibus prorsus rebus excellentiores nos Iudaei sumus. Quid autem sit, in quo non anteferendi, sed alijs gentibus pares habendi sint Iudaei, statim declarat: illud scilicet, de quo ante tractauit, & nunc repetens inquit. *CAVSATI ENIM PRIVS SVMVS IVDAEOS, ET GRAECOS OMNES SVB PECCATO ESSE.* Huius rei causam prius attulimus, quod tam Iudaei, quam Graeci omnes peccato essent obnoxij. Pares ergo, quātum ad peccata attinet, Iudaei sunt, & Graeci; neq; se possunt aut illi istis, aut isti illis anteponere: & de Graecis quidem cap. primo latè egit; de Iudaeis autē, secundo. Quod etiam nunc, varia coaceruans ex sanctis scripturis testimonia, confirmat. Propterea inquit. *SICVT SCRIPTVM EST.*

Cur se ipsū Iudaeis annumeret.

οὐ πάντως.

Iudaei alijs nationibus qua in re pares habēdi.

προῃτιασάμεθα.

QVIA NON.



HAEC prima pars ex eo Salomonis libro, qui Ecclesiastes inscribitur, sumpta videtur: vbi legimus. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* quod Paulus suo more retulit, non tam verba, quàm sensum interpretatus. *NON EST IVSTVS, NE VNVS QVIDEM.* Quod autem sequitur, ex Dauidis Psalmis accepit. *NON EST INTELLIGENS, NON EST REQVIRENS DEVM.* Dauid inquit. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Certum autem est, hominem absq; diuino spiritu Deum non quaerere, sed quae sua sunt, & quae humani affectus concupiscunt: Deum non intelligere, nullam videli-

Homines omnes peccatores.

Eccl. 7.

οὐδὲ εἷς.

Psal. 13.

Sine Deo Deum non quaerimus.

cet vtilem habere, & salutarem Dei notitiam. *OMNES DECLINAVERVNT.* A'via, qua intelligitur, cognoscitur, & quaerit Deus. A spiritu scilicet, qui meliores sunt, ad eam animi partem, quae in ratione posita est: qui deteriores, ad eam, quae in appetitu. *SIMVL INVTILES FACTI SVNT.* Hac etenim via incedentes, neq; sibi ipsis, neque alijs prosunt. *NON EST, QVI FACIAT BONVM.* Hoc est, quod modò ex Salomone retulit; non est iustus, ne vnus quidem. A qua sententia ne quis vel seipsum, vel alium quemq; excipere auderet, adiunxit. *NON EST VSQ. AD VNVM.* Quod idem est, ac si dixisset. Ex immensa, & infinita hominum multitudine, ne vnum quidem reperias, quem iure, & merito, tanquam bonum, & iustum laudare possis.

Declinatio de via.

SEPVLCHRVM.

VABVS intimis humani animi partibus descriptis; quarum altera cognoscit, & intelligit; altera appetit, & quaerit, quae vel bona sunt, vel apparent; qualis nunc esset hominum sermo declarat, omnia congerens homini à Deo data ad loquendum instrumenta. Ac primùm Guttur sepulchro comparat patenti, quo cogitationem designat, quae locutionem antecedit; iuxta illud Salomonis. *Veritatem meditabitur guttur meum.* Etenim sepulchrum donec clausum fuerit, decorum apparet, & pulchrum; at verò apertum, nihil ostendit, nisi impurum, spurcum, & horridum. Talis profectò est humana cogitatio, cum sese per orationẽ resignat, atq; patefacit. De hoc itaque inquit. *SEPVLCHRVM PATENS EST GVTTVR EORVM.* De lingua deinde ait. *LINGVIS SVIS DOLOSE AGEBANT.* Quae ad hominem homini conciliandum data est lingua, ea ad dolos vtebantur, & fallacias; ac tanquam flabello seditionis, & discordiae. De labijs postea. *VENENVM ASPIDVM SVB LABIIS EORVM.* Verba hominum in molles, & teneros animos influentia, eos non contaminant modò, atque inficiunt; verùm necant, & occidunt, non secus atq; mortiferum aspidum venenũ. Postremò de ore. *QVORVM OS MALEDICTIONE, ET AMARITVDINE PLENVM*

Animi humani intimae partes duae. Hominum sermo impurus. Guttur. Prou. 8. Psal. 5. Lingua. Psal. 139. Labia. Psal. 9. Os.

NVM EST. Totus sermo mordax, maledicus, & qui aliquem execretur, non à candido, & simplici, sed amaris aegritudinibus, & morbis affecto animo proficiscens. Haec autem ex Dauide collecta sunt omnia.

VELOCES.

EX Isaia pars ista assumpta est, qua hominum ad peccata festinatio, atq; celeritas arguitur. *VELOCES PEDES EORVM AD EFFVNDENDVM SANGVINEM.* Homicidia intelligit, à quibus qui non abhorret, vix vllum peccati genus reperiet, à quo animum habere possit alienum. *CONTRITIO, ET INFELICITAS IN VIIS EORVM.* Viae hominum in sanctis scripturis opera sunt, & actiones eorum, quae vsq; adeo prauae describuntur, & peruersae, vt omnia naturae, & Dei munera consumant, atq; conficiant, & ad extremam deducant calamitatem, & miseriam. *ET VIAM PACIS NON COGNOVERVNT.* Via pacis, via sempiternae salutis est, quam Iesus Christus, verus, & vnicus Dei Filius, ostendit; quando (vt Zacharias dixit) illuminare venit eos, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant, & ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

Isai. 59. *Pedum velocitas.* *Hominum viae.* *Via pacis. Luc. 1.*

NON EST.

POSTREMO hoc testimonio, quod in Psalmorum libro legitur, omnium, quae iam enumerauit, rationem attulit, & causam, *NON EST TIMOR DEI ANTE OCVLOS EORVM.* Neq; Dei, & virtutis amore, neq; diuinae legis, & poenae metu abducuntur à vitijs.

Psal. 36. *Malorũ omnium causa.*

SCIMVS AVTEM.

NE vero Iudaei grauissima haec sanctorum Prophetarum testimonia, quibus omnes ad vnum homines peccatis irretitos, & inquinatos esse ostenditur, ad se pertinere inficiarentur, inquit. *SCIMVS AVTEM QVOD QVAE-*

Iudaei om- s peccatores. *QVAECVNQ; LEX LOQVITVR, IIS, QVI IN LEGE SVNT, LOQVITVR.* Ad Iudaeos ergo, quibus à Deo data lex est, qua tenerentur astricti, haec legis verba peculiari quadam ratione pertinere, manifestum est. Legis *per legem quid?* autem nomine, cum inquit; Quaecunq; lex loquitur, omnia intelligit, quae stante lege diuino afflatu à sanctis hominibus scripta sunt volumina: siue mandata sint; siue Psalmi; siue vaticinationes. Quò verò haec ex lege decerpta testimonia spectent, aperit dicens. *VT OMNE OS OBSTRVATVR.* Tam Iudaeorum, quàm aliarum omnium gentium ora, cùm proprias iactare iustitias nequeant, silere coram *ὑπόδικος.* Deo, & obmutescere compellantur. *ET SVBDITVS FIAT OMNIS MVNDVS DEO.* Omnes homi- *Mundus omnis reus.* nes, ne vno quidem excepto, ad diuinam vindictam, tãquam peccati reos, obnoxios sese, districtos, & obligatos esse sentiant. Cuius quidem obligationis ea est, quae sequitur ratio. *QVIA EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO CORAM ILLO.* *Iustus nemo ex operibus legis.* Mortalium nemo à diuino spiritu vacuus, & nudus (hunc enim hominem carnem appellauit) Deo iudice, si lege ad iudicandum ducatur, absoluetur vnquam. Posset fortasse quis- *Caro, id est homo.* piam, hominum iudicio, qui neq; animi inuoluta euoluere, neq; intima penetrare; neq: externa omnia liquidò cognoscere possunt, absolui; tanquam is, qui legem seruauerit, nihilq; aduersus eam commiserit, quo reprehendi ab homine posset, aut culpae alicuius reus fieri. Quid autem possit lex, quantaq; sit in ea vis, atq; potestas, ne frustra lata fuisse videatur, breui ista subiecta sententia declarat. *PER LE-* *Legis vis.* *GEM ENIM COGNITIO PECCATI.* Lege duce peccata quidem nostra agnoscimus: sed non adeo iustè, sanctè, & innocenter viuimus, vt Deo iudice consistere possimus. Quod quidem, legis ipsius suprà recitatis testimonijs, *Potissimũ Iudaei, qui legem acceperunt, vt impuri dãnantur.* perspicuum factum est, & euidens; quibus omnes homines, & hi potissimùm, qui duarum tabularum legem à Deo acceperant, tanquam impuri, & varijs sceleribus contaminati, condemnantur.

NVNC

NVNC AVTEM.

OMNE genus hominum, tam Iudaeorum, qui legem in tabulis scriptam à Deo acceperant; quàm aliarum gentium, quibus in natura insita ratio, lex erat; peccatis corruptum, & contaminatum esse declarauit. Quae enim vitae integritas, quae morum innocentia in illis hominibus esse poterat; quorum neq; ratio Deum intelligebat; neq; voluntas requirebat? quorum erant impuri, obscoeniq; sermones? quorum erant à iustitia externae actiones alienae? quorum mentes ne diuini quidem iudicij metus à sceleribus, & facinoribus reprimebat? Quamobrem iure, & merito afferendae iustitiae vim legi abrogauit, cui illud tãtùm tribuit, sine quo iustitia constare non potest: vt peccata homini ob oculos constituat. Quae igitur vera, & propria sit adipiscendae iustitiae ratio, iam explanaturus, inquit. *NVNC AVTEM SINE LEGE IVSTITIA DEI MANIFESTATA EST.* Diuinae gratiae, quae occulta diu delituerat, peruulgatae iam, & cognitae tempus ostendit: cuius, cùm hanc Epistolam scriberet Paulus, agebantur initia. Iustitiam autem Dei eam intelligit, quà Deus homines sibi subditos, & coram eo obmutescentes, tanquàm nihil ostentare valeant, quod ad iustitiam adipiscendam faciat, à peccatis abluit, & iustos facit. De qua iustitia quod primùm affert, illud est; quòd sine lege sit, quia ex operibus, lege praescriptis, non emanat: cùm lex ipsa omnes, qui eam, tanquam veram iustitiae formulam, amplexabantur, velut iniustos, sceleratos, & impios reprehendat, atq; exagitet. De eadem deinde iustitia aliud affert, quòd ad eius dignitatem magnopere facit; cùm inquit. *TESTIFICATA A LEGE ET PROPHETIS.* Ex quo intelligimus & hanc iustitiam legi non esse contrariam; & Deum suae veritatis, & virtutis habere testem, qui auctor legis fuerat; & quo docente, quae futura erant, Prophetae praedixerant. Et legis quidem testimonium inde emergit, quòd cum praeter eam, quam tribuit peccati notitiam, nihil ad iustitiam afferat adiumenti, efficaciore aliquo, & potentiore Dei munere indigere homines indicat, testatur, ac planè denunciat. Prophetae verò, quia Christum Iesum, iustitiae huius auctorem, diuino instin-

Iustitiae adipiscendae ratio.

Iustitia Dei.

Iustitia sine lege.

Iustitiae Dei testimonia.

Lex.

ctu, multò antequam ad nos veniret, & hanc secum iustitiam deferret, praesenserunt, atq; etiam praenunciauerunt. Quod enim clariùs hac de re potuit esse testimonium, quàm illud

Psal. 84. Dauidis? *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Et illud Isaiae? *Et erit iustitia cingulum lum-*

Isa. 11. *borum eius, & fides cinctorium renum eius.* Pleni quippe sunt eiusmodi oraculorum, & testimoniorum, aliorum omnium Prophetarum libri.

IVSTITIA AVTEM.

Iustitiae Dei initiũ. RATIONEM nunc diligenter explanat, & viam ad hanc iustitiam perueniendi, cuius initium, & spiritualis aedificij quoddam quasi fundamentum, fidem in Iesum Christũ constituit.

Iustitia p fidem Iesu Christi. *IVSTITIA AVTEM DEI PER FIDEM IESV CHRISTI.* Quod ad hanc Dei iustitiam perducit, quae sola verè iustos apud Deum homines facere potest, fides est in Iesum Christum: qui vnus cùm fuerit inter homines natura iustus, purus, & integer, diuinam potuit pro iniustis omnibus, contaminatis, & impuris obtinere clementiam: in cuius iustitia quicunq; suas omnes cogitationes, consilia, fiducias collocant, hanc, quam Paulus Dei iustitiam appellauit, adipiscuntur; siue (vt eius verbo vtamur) iustificantur. Manat autem, & fluit latissimè. Nam vt Paulus ipse inquit. *IN OMNES, ET SVPER OMNES, QVI CREDVNT*, ipsa longè, lateq; diffunditur, & tanquam coelestis quaedam, & diuina pluuia in animos fide mollitos, & subactos penetrat, eos totos abluens, & charitatis superiore quasi quadam, ac pretiosa veste induens, quam nu-

Matth. 22. ptialem Dominus noster Iesus Christus appellauit. Omnes

Huius iustitiae indigentia omnes homines pares. autem homines, ne vno quidem excepto, huius esse iustitiae indigentes, ostendit dicens. *NON ENIM EST DISTINCTIO.* Quod ad huius iustitiae indigentiam attinet, sunt omnes inter se homines pares, & aequales. *OMNES ENIM PECCAVERVNT, ET EGENT GLORIA DEI.* Quam prius iustitiam Dei appellauerat,

Cur iustitia dicatur gloria Dei. quòd ea homines iusti à Deo efficerentur; eam nunc gloriam Dei appellat, quia tota, gloria Dei abundat, cuius nullam partem homines sibi vendicare possunt.

IVSTI-

IVSTIFICATI.

VOMODO qui peccauerunt scelesti homines, atq; iniusti, hanc, de qua Paulus loquitur, iustitiam adepti fuerint, explanat. Et hoc quidem loco adipiscendae iustitiae formula continetur: cuius omnes partes contēplari diligenter, & considerare oportet, vt intelligamus hanc iustitiam, gloriam Dei iure fuisse à Paulo nuncupatam. *IVSTIFICATI GRATIS*. Qui peccauerunt, absq; vllo eorum promerito, omni abstersa, & deleta iniustitia, hanc sunt diuinam iustitiā assecuti. *PER GRATIAM IPSIVS*. Non per opera legis, sed bonam, liberalem, & benignam Dei erga homines voluntatem. *PER REDEMPTIONEM, QVAE EST IN CHRISTO IESV*. In hoc Dei erga homines egregia, & praeclara voluntas excelluit, quòd pretium, quo redimerentur à seruitute peccati, non in auro, non in argento, non in humanis quibuscunque, aut operibus, aut diuitijs posuerit, sed in carne vnigeniti Filij sui Iesu Christi. *QVEM PROPOSVIT DEVS PROPITIATOREM*. Hunc Deus esse voluit, per quem homines cum eo in gratiam redirent, atq; ei reconciliarentur. *PER FIDEM IN SANGVINE IPSIVS*. Haec est reditus huius in gratiam, & reconciliationis via, vt in Iesum Christum credatur, & in eius sanguine tanquam singulari, & diuino liberationis, & salutis humanae pretio, spes omnis ponatur. Haec ergo sunt, quae ad acquirendam iustitiam concurrere omnia necesse est. Gratia, siue benigna Dei erga homines voluntas. Mors Iesu Christi, quam redemptionem in Christo Iesu Paulus appellauit: morte nanq; sua, & summorum dolorum cruciatu, Iesus Christus, omnibus in eum credentibus, ex diuino decreto Dei gratiam commeruit. Fides denique, qua condonari peccata, & in Dei gratiam peruenire, Christi mortis, & sanguinis vnico, ac singulari promerito, summa animi constantia, & firmitate constituatur. Quid obsecro ex ijs omnibus est, quod hominum quisquam arrogare sibi audeat? Gratia nè Dei; quae propterea gratia dicitur, quia gratuita est, & nullis hominum meritis, aut laboribus debita? An Christi Iesu sanguis, & mors; quem Paulus neq; quaesitum à nobis,

Iustitiae adipiscēdae formula.

Iustificatio gratuita.

Gratia Dei.

Redēptio in Christo Iesu.

Christus Iesus propitiator.

Fides in sanguine Christi.

Ad acquirendam iustitiam necessaria.

Gratia Dei.

Mors Iesu Christi.

Fides.

Gratia ideo Dei dicitur, quia gratuita est.

Iesus à nobis nõ promeritus. neq; promeritum dixit, ſed à Deo propoſitum pacificatorẽ? An fides; quam vbiq; Dei donum eſſe conſtanter affirmat? Iure igitur optimo haec Dei iuſtitia, Dei gloria nuncupatur: nam cùm omnes eius partes ex diuino munere veniant, maxima apud omnes, qui eam conſequuntur, Dei nomen gloria excellit. Quò verò haec omnia pertineant, ex quibus Dei iuſtitia conſtat, explanare iam aggreditur, dicens. *AD OSTENSIONEM IVSTITIAE SVAE.* Quae non in lege poſita eſt, cùm paulò ante dixerit. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt; ſed in eius gratia, morte Ieſu Chriſti, & fide in ſanguinem eius. *PROPTER REMISSIONEM PRAECEDENTIVM DELICTORVM IN SVSTENTATIONE DEI.* Hoc primum eſt, quod huius iuſtitiae, cùm agnita fuerit, vi efficitur. Peccata praeterita magna patientia à Deo diu tolerata, ignoſcuntur, atq; delentur: quo quidem propriam, & quaſi naturalem iniuſtitiam exuimus. Haec autem adeo diuturna peccatorum tolerantia eòdem referenda eſt, quò tres illas, ex quibus conficitur diuina iuſtitia, partes referri debere declarauit. *AD OSTENSIONEM IVSTITIAE EIVS IN HOC TEMPORE.* Tolerauit Deus hominum peccata, vt eius iuſtitia hoc potiſſimùm tempore declarata, magis, ac magis agnoſceretur; & ex eo, quòd tot ſaeculis, peccatorum remedijs, & venia caruiſſent homines, intelligerent, diuina iuſtitia ſibi opus eſſe; quam in aperto, & propatulo poſitam agnoſcerent, & amplecterentur, atq; hoc, quod ſequitur firmum de ea, & immutabile decretũ facerent: quod (vt mihi quidem videtur) breuis quidem eſt, ſed vera, & ſolida diuinae iuſtitiae confeſſio, ad quam omnis eius notitia referenda eſt. *VT SIT IPSE IVSTVS, ET IVSTIFICANS EVM, QVI EST EX FIDE IESV CHRISTI,* Statuatur, decernatur, praedicetur, Deum ſolum natura eſſe iuſtum, omnes autem homines iniuſtos: è quorum numero, diuinae gratiae munere, illi tantùm ex iniuſtis iuſti efficiãtur, qui vni fidei in Ieſum Chriſtum toto pectore adhaereſcunt; atq; in eius mortem, & ſanguinem ſuas omnes ſpes, cogitationesq; conferunt. Eſt autem decretum hoc, quod ad iuſtitiam Dei pertinet, regulae illi ſuperiori, quam de fide attulit, & veritate Dei, Sit Deus verax; omnis autem homo mendax: omnino ſimillimum: quorum vtrunq; in

Fides, Dei donum.

Iuſtitia Dei gloria Dei.

Iuſtitia Dei non in lege.

Peccatorũ venia.

Peccatorũ tolerantia.

Decretum de iuſtitia Dei.

in animis nostris versari assiduè debet, vt nostra mendacia, nostras iniustitias apud Deum & agnoscamus continenter, & accusemus.

VBI EST.

IVDÆVM nunc alloquitur, quem ex hac iam constituta adipiscendae iustitiae formula, omnia, quae sibi inanis arrogantiae causa assumpserat, ponere, & relinquere cogit. *VBI EST ERGO GLORIATIO TVA?* O Iudaee, qui requiescis in lege; gloriaris in Deo; habere te iactas formam scientiae, & veritatis in lege. Respondet. *EXCLVSA EST.* Nullum hic habet locum; vbi diuinae gratiae, & benignitati omnia tribuuntur. Rursus autem interrogat, quidnam illud sit, quod omnem excluserit, abiecerítq; gloriationem. *PER QVAM LEGEM? FACTORVM?* Eane lege exclusa est gloriatio, quae opera docet, & praecipit? Negat id quidem, inquiens. *NON.* Etenim ea lex, si per eam iustitia contingeret, non excluderet, sed gigneret, aleret, augeret iactationem: & addit. *SED PER LEGEM FIDEI.* Quae ante omnia credi oportere docet: non vllis operibus iustitiam homini contingere, sed sola Dei gratia, & fide in mortem Iesu Christi, eiusq; sanguinem pretiosissimum. His igitur iactis fundamentis, de hac tota controuersia, quae inter Iudaeos, & alias nationes versabatur, tanquam honorarius arbiter hanc dicit sententiam. *ARBITRAMVR IGITVR IVSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM SINE OPERIBVS LEGIS.* Cuius quidem sententiae ex his, quae hactenus tractata, atq; agitata sunt, sumenda est ratio: vt iustitia Dei, gloria Dei sit: & homines omnem à se reijciant inanem ostentationem, atq; aspernentur. Sed hanc Pauli verissimam, sapientissimamq; sententiam, ad ea, quae de grauissima ista quaestione suprà scripsit, conferamus: ne quis in Apostoli, immo Spiritus sancti dictis, aliquam introducere audeat repugnantiam. Primum illud fuit. *NON AVDITORES LEGIS IVSTI SVNT APVD DEVM; SED FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR.* Quod in Iudaeos dictum optimè quadrat. Hi enim cùm omnem in lege, iustitiae spem ponerent, legis quidem mandata in Synagogis recitari audie-

Iudaeorũ gloriatio inanis.

Lex factorum.

Lex fidei.

Honorarius arbiter Paulus.

Pauli de iustificatione sententia.

Pauli dictorum cõcordia.

bant; sed ea minimè praestabant. Itaq; eos hoc dicto, stimulat, & quàm longè à recta, & vera iustitiae via abessent, admonet. Alterum fuit. *EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO CORAM ILLO.* Non ad Iudaeos modò, sed ad omnes mundi totius nationes hoc pertinet dictum. Nemo enim mortalium fuit vnquam, aut esse poterit à diuini spiritus gratia destitutus (id enim carnis hoc loco nomen sonat) qui legis mandatis castè, integrequè valeat obtemperare. Cui consequens est, vt ex operibus legis iustitiam adipisci, ex eo rerum genere sit, quae fieri non possunt. Quid autem his duobus dictis adeo consentaneum esse potest, vt illa, quam paulò ante de hac tota controuersia dixit, sententia? *ARBITRAMVR HOMINEM IVSTIFICARI PER FIDEM SINE OPERIBVS LEGIS.* Fide enim, quam nulla, quae bona, & iusta dici possint, antecedunt opera, peccata delentur; cum qua coniuncta cùm fuerit charitas, ociosum esse hominem non sinit; sed legem implet; & mandatorum obedientiam, tanquam perennem, & perpetuum sanctae radicis sanctos profert fructus; in quibus absoluta, & integra consistit, & perficitur iustitia.

Mandatis legis sine diuina gratia integrè obtẽperari non potest.

Fides nulla bona opera antecedũt.

Fides cum charitate coniuncta ocium non admittit.

AN IVDAEORVM.

Intentio.

Sententiae cõfirmatio.

HIS, quae sequuntur duobus, aut tribus interrogatiunculis & eam, quam pronunciauit sententiam confirmat; & ex Iudaeorum animis scrupulum, quo dies, & noctes solicitabantur, euellit. *AN IVDAEORVM DEVS TANTVM?* Quod profectò affirmare oporteret, si in ea lege, quam vni Iudaei acceperant, iustitiae tribuendae vim tribuisset. *NONNE ET GENTIVM?* Res est non dubia, in quam dare testes necesse sit. Propterea inquit. *IMMO ET GENTIVM.* Vnus ergo, & idem est Iudaeorum, & aliarum omnium totius mundi nationum Deus, cui de omnium salute curae est: id quod nullo euidentiore probari posset argumento, quàm eius sententiae veritate, quam paulò ante dixit, & nunc sic repetit. *QVONIAM QVIDEM VNVS EST DEVS, QVI IVSTIFICAT CIRCVNCISIONEM EX FIDE, ET*

Deus Iudaeorum, & gẽtium vnus.

PRAE-

PRAEPVTIVM PER FIDEM. Deus ille, cuius vnius cura, & prouidentia geruntur, & reguntur omnia, quae ad hominum salutem pertinent, Iudaeos non ex vi circuncisionis, aut legis iustos efficit: neq; aliarum gentium homines ex vi praeputij; sed omnium promiscuè, & communiter fidem amplectitur, & magnifacit. Quae vltimo loco sequitur interrogatio, ad Iudaeorum dubitationem, & scrupulum pertinet: qui magnopere haesitabant, ne fidei praedicatio legem aboleret, & irritam faceret. Quod ergo opponi putabat, sic praeoccupauit. *LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER FIDEM?* Respondet, & eo quidem vtitur verbo, quo rem aliquam tetram, & detestabilem respuere consueuit. *ABSIT.* Tantùm autem hanc à veritate cogitationem abesse ostendit, vt contra potius legem ipsam fide stabiliri, & confirmari asserat; inquiens. *SED LEGEM STATVIMVS.* Tum quia legi suum proprium officium, atq; munus assignauimus; peccati scilicet cognitionem tribuere, sine qua nulla iustitiae pars extare potest: tum quia ad iustitiae fidei confirmationem, legis testimonium vsurpauimus: tum quia hanc fidei iustitiam absolutam, & perfectam esse negamus, nisi legis mandatis promptè obedire, & voluntariè parère faciat.

Omnium fidem Deus promiscuè amplectitur.

Iudaeorũ scrupulũ.

Lex per fidem statuitur.

Legis officium.

QVID

QVID ERGO.

CAPVT IIII.

Gen. 17. Io. 8.

Abrahae iustitia.

DE iustitia Abrahae accuratè differit, cui primùm de circumcisione mandauit Deus: cuius etiam progeniem se esse, magnificè iactabant Iudaei: vt ex ijs, quae de magni illius iustorum omnium parentis, Deo charissimi, & amicissimi iustitia in sanctis, arcanisq; literis narrantur, quid de omnium hominum iustitia sentiendum sit, decernat. *QVID ERGO DICEMVS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRVM SECVNDVM CARNEM?* Ex his, quae semoto praecipuo illo, & proprio diuini spiritus adiumento, naturae tãtùm vi, & bonitate gessit Abraham (quaecunq; enim sic aguntur, secundùm carnem agi dicunt) quid nactus, quid assecutus, quid lucratus est? Breuiter autẽ, acutèq; respondens, docet, eiusmodi operibus iustitiam adeptum non fuisse Abraham: siue (vt ipse loquitur) non fuisse iustificatum. Inquit enim. *SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBVS IVSTIFICATVS EST, HABET GLORIAM, SED NON APVD DEVM.* Si ex eius generis operibus consecutus est Abraham iustitiam, habet ille quidem vnde extolli, laudari; gloria possit, & praedicatione efferri sua quippe benefacta: verùm eius laudationis, & gloriae nulla omnino pars ad Deum pertinebit. Quod quidem neq; cum superiori disputatione conuenit, quae omnem iustitiae gloriam ad Deum referri oportere docuit; neq; cum eo, quod de Abrahae iustitia memoriae, & literis sanctis proditum est: de quo inquit. *QVID ENIM DICIT SCRIPTVRA?* Quae de Abrahae iustitia firmum, & graue dicit testimonium, illud nẽpe, quod sequitur. *CREDIDIT ABRAHAM DEO.* Ecce tibi non opera, sed fides Abrahae: ex qua quid fuerit consecutus, attende. *ET IMPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM.* Tria sunt sacrosancto huic oraculo cõsequentia. Primum, Fidem non esse iustitiam; sed aditum, & ianuam ad iustitiam. Alterum; Abrahae fidem admisisse Deum non secus, atque si Abrahae ipsius propria fuisset, quam tamen Dei tantùm concessu, atq; munere acceperat. Tertium; Per fidem in iustitiam inductum non fuisse Abraham, ac si illa aequa merces esset,

Abrahae secundũ carnem opera.

πρὸς. *Ad.*

Abrahã ex operibus secũdum carnem non est iustificatus.

Gen. 15.

ἐλογίσθη.

Abrahae iustificatio.

pretiumq; iustitiae; cùm via tantùm sit à Deo ordinata, & directa ad iustitiam, quae tota gratuita est, nulli, neq; operum meritò debita. Nihil ergo in hac acquirendae iustitiae ratione habuit Abraham, quod sibi tribuere, & de quo gloriari posset. Quamobrem omnem eius gloriam deriuare in Deum, atque traducere oportet. *Aug. ep. 106.*

EI AVTEM.

Vt hunc sanctae scripturae locum, qui de Abrahae iustitia planè loquit, & apertè, sed ad omnes iustitiam quaerentes pertinet, rectè, & diligenter pōderemus, quidq; imputandi vox valeat, intelligamus; eum, qui operatur, ab eo, qui non operatur (vt eius verbis vtamur) distinguit, ac separat. Quid autem duabus his vocibus subiectum sit, animaduertendum. Eum enim operari intelligit, qui operibus ad iustitiam peruenire contendit: id, quod Iudaei cogitabant. Nō operari autem, eum, qui fide iustitiam à Deo requirit: quā persuasissimum habet, impios, & scelestos gratuitum iustitiae munus ab eo suscipere, non ex vllis operibus. De illo ergo qui operatur, sic inquit. *EI AVTEM, QVI OPERATVR, MERCES NON IMPVTATVR SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM.* Quod iste accepit, merces est, quae imputari non rectè diceretur: quia non gratis tribuitur, sed tanquam iure debitum retribuitur, & compensatio quaedam pro laboribus. De eo verò, qui nō operatur, ait. *EI VERO, QVI NON OPERATVR, CREDENTI AVTEM IN EVM, QVI IVSTIFICAT IMPIVM, IMPVTATVR FIDES EIVS AD IVSTITIAM.* Fides, quam ille sequitur, qui non operatur, sed credit in Deum, à quo tanquam fonte, & capite in impios iustitia fluit, propriè imputari dicitur; quia non pro laboribus rependitur, sed benignè, ac liberaliter datur; non mercedis sed gratuiti muneris rationem habet; non pro meritis refertur, sed gratis ascribitur. Imputatur autem ad iustitiam, ac si ad eam comparandam satis esset: quae tanti aestimanda est, vt nulla quantumuis magna mercede, nullo pretio compensari possit. Quo fit, vt haec fidei ad iustitiam attributio, diuinae benignita-

Operari. Non operari.

λογίζεται.

Fides propriè imputatur.

Fides quomodo imputatur ad iustitiam.

gnitatis tota sit: id, quod Latini codices apertè exprimunt, in quibus haec verba leguntur, quae desiderantur in Graecis. *SECVNDVM PROPOSITVM GRATIAE DEI.* Vt hanc assequendae iustitiae rationem, non humanum inuẽtum, sed diuinae mentis consilium esse intelligamus. Cùm autem Abraham ante legem datam multis annis fuerit, ne rationem hanc lege immutatam fuisse, Iudaeorum quisquam calumniaretur, Dauidis eam testimonio cõfirmat; qui & legem secutus est, & eam piè, sanctéq; coluit. *SICVT ET DAVID DICIT BEATITVDINEM HOMINIS, CVI DEVS IMPVTAT IVSTITIAM SINE OPERIBVS.* Dauid eum hominem beatum esse definit, siue iustum. Nam quam Paulus iustitiam Dei primùm appellauit, deinde iustitiam per fidem, postea gloriam Dei; eam nunc beatitudinem hominis appellat; quippe quae summum bonũ, quod homini in hac vita contingere potest, contineat: sed eum siue iustum, siue beatum hominem esse statuit; cui Deus, non tanquam pro laboribus mercedem reddit, sed gratis iustitiam largitur: quod quidem facit, fidem sine operibus ad iustitiam imputans. Neq; enim aliud hoc loco sonat, Imputare iustitiam, quàm id, quod suprà dixit enodatiùs, imputare fidem ad iustitiam: sunt autem, quae sequuntur, verba Dauidis. *BEATI, QVORVM REMISSAE SVNT INIQVITATES, ET QVORVM TECTA SVNT PECCATA.* Beatitudinis huius, vel iustitiae hoc est principium; sicui scelera, & peccata condonata sint, itaq; operta, vt eorum puniendorum causa, nullum iudicium fieri oporteat. Qua autem id ratione homini contingere possit, explanans, inquit. *BEATVS VIR, CVI NON IMPVTAVIT DOMINVS PECCATVM.* Haec ratio est, hic modus: Si cuius peccato Deus veniam dederit, peccatum ei non ascribens, sed fidem ad iustitiam. Eadem enim secundùm rem esse dicimus, & sola cogitatione distingui: non imputare peccatum, & imputare fidem, ad primam hanc iustitiae partem nanciscendam, quae in peccatorum venia posita est. Quae ergo sub hac imputandi voce, qua Paulus hoc loco toties vtitur, sit subijcienda sententia, in memoria insideat necesse est: ne haereticorum fraudibus, atque fallacijs abducamur à vero. Imputare, est, homini ascribere, quod ex humanae naturae vi neq; habet, neq; habere potest: exempli gratia

Beatus, siue iustus qui?

Beatitudo hominis.

Imputare iustitiam.

Beatitudinis, siue iustitiae principium.

λογίζεται.

Imputare non peccatum, sed fidem ad iustitiam.

Imputare quid?

tia, fidem ad iusticiam; cùm fides supra hominem sit, & iustitiam, quae mercedis rationem non habeat, promereri nequeat. Non imputare autem, est, homini non attribuere, quod & naturae vitio habet, & naturae viribus carere non potest, vt peccatum: de quo dixit. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Hac itaq; voce, quam ex vetere scriptura Paulus vsurpauit, illud potissimum declaratur; in quaerenda iustitia ad fidem primas esse deferendas, quae cùm Dei praecipuum sit, & singulare munus, imputatur credenti, vt per eam, iustitiam consequatur. At verò operibus secundum carnem, scilicet quae fidem antecedunt, in hac, de qua loquimur iustitia, nihil omnino loci relinquitur, quibus nihil omnino imputatur, sed debita merces redditur. Nam de operibus, quae fidem consequuntur, Iacobi stabilis est, & firma sententia, qui fidem sine eiusmodi operibus mortuam appellauit: & Abrahae, atq; omnium hominum iustitiam, non ad nudam, & ab operibus vacuam fidem, sed ex operibus perfectam, & consummatam retulit. Ac mihi quidem vtraq; haec opera, & quae Paulus reijcit, & quae Iacobus amplectitur, pulcherrimis comparationibus apud sanctissimum Vatem Ieremiam descripta videntur. Quis enim homo ille est, de quo inquit. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius:* nisi qui naturae bonitate quadam, quae recta sunt, & honesta, agit; sed cuius mens non est fide cum Deo coniuncta, ita vt à seipso potius, quàm à Deo pendeat? Qualia verò illa sint, quae tanquam recta, & honesta laudantur eius opera, diligenter aduerte. *Erit enim* (inquit) *quasi myrice in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* Opera vides, quae neq; iustitiam, neq; salutem afferant. Sed age quem huic homini virum opponat, contemplemur. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Hic diuina fidei virtute totus pendet à Deo, & sibijpsi nihil confidit, suam agnoscens inopiam, & indigentiam: cuius opera qualia sint, pulchrè describit. *Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit aestus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Omnia

Nō imputare quid? Fidei partes in iustificatione primae.

Opera secūdum carnē nullum habent in iustificatione locum.

Opera quae fidē sequuntur.

Luc. ij.

Ier. 18.

Operum q̄ Paul' reijcit, & Iacobus amplectitur cōparatio.

hic spe bona plena sunt; omnia laeta; omnia augescunt, & pubescunt; omnia denique vitalia sunt, & salutaria.

BEATITVDO.

Intentio.

AVLI ea mens, idq; consilium est, vt controuersias inter Iudaeos, & alias orbis terrae nationes, excitatas, dirimere, & sedare cupiat; idq; quò faciliùs possit in vnam fidem, & gratiā Domini nostri Iesu Christi, omnes vndique colligere, atq; congregare. Propterea de hac siue Dei iustitia, siue hominis beatitudine, quam Abraham ex fide adeptum fuisse ostendit, hanc primùm quaestionem ponit. *BEATITVDO ERGO HAEC IN CIRCVNCISIONE TANTVM MANET, AN ETIAM IN PRAEPVTIO?* Haec Dei iustitia, & hominis beatitudo est, nè Iudaeorum genti peculiaris, ac propria, an ei cum reliquis est omnibus gentibus communis? Ad hāc quaestionem priùs quàm respondeat, annectit alteram, cuius cùm sit ex sacra historia explicatio manifesta, ad primam quoq; quid dicendum sit, absq; vlla ambiguitate declarabit. Est autem quaestio haec. *DICIMVS ENIM QVOD IMPVTATA EST ABRAHAE FIDES AD IVSTITIAM. QVOMODO ERGO IMPVTATA EST? IN CIRCVNCISIONE, AN IN PRAEPVTIO?* Id, de quo ante differuimus, constanter affirmamus: Abraham, iustitiam peruenisse, non alia ratione, & via, nisi quia diuina gratia, & benignitate fides ei attributa esset ad iustitiam. Hoc igitur constituto, quaerimus; Vtrum igitur hoc accidit Abrahae posteaquam iubente Deo & seipsum, & vniuersam familiam circūcidit, an ante? Et ex sanctae historiae ordinata serie respondet. *NON IN CIRCVNCISIONE, SED IN PRAEPVTIO.* Non erat quidem adhuc circuncisus Abraham, neq; vllum ea de re mandatum à Deo acceperat, cùm Deo credidit innumerabilem ei posteritatem promittenti: id, quod attributum illi fuisse ad iustitiam scriptura testatur. *Nondum igitur praeputium posuerat.* Quae verò instituendae circuncisionis causa fuerit, continuò exponit dicens. *ET SIGNVM ACCEPIT CIR-*

Quaestio prima de iustitia Dei siue hominis beatitudine.

Quaestio secūda de iustitia Abrahae.

Abrahā in praeputio iustificat'. Gen. 15.

Circūcisio cur instituta? Gen. 17.

Iustitia fidei.

CIRCVNCISIONIS, SIGNACVLVM IVSTITIAE FIDEI, QVAE IN PRAEPVTIO. Mandatum fuit Abrahae de circuncisione, vt tanquam insignitam haberet penes se notam iustitiae fidei, quam integro, & necdum execto praeputio nactus fuerat. Magnum autem, quod hoc loco traditur, mysterium animaduertere oportet. Pactionis signum, quam cum Abraham fecit Deus, circuncisionem fuisse, Dei ipsius voce in sancta historia monemur. *Hoc est* (inquit) *pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos; & semen tuum post te. Circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem praeputij vestri, vt sit in signum foederis inter me, & vos.* Fuit autem pactionis huius, siue foederis ea conditio, vt Abraham diuinae promissionis, & iustitiae fidei, quam gratis acceperat, notam in circuncisione gestaret: & contra; Deus, quam ei promiserat infinitam progeniem, largiretur. Sed quaenam haec esset progenies, Abrahae à Deo promissa, cùm res esset occultissima, intelligi profectò nunquam potuisset, nisi à diuino spiritu Paulus illuminatus, in lucem eam hoc loco protulisset: quo declarat, quam ob rem Abraham iustitiam fidei adeptus fuisset, antequam ei quicquam de circuncisione mandatum esset; de quo inquit. VT SIT PATER OMNIVM CREDENTIVM PER PRAEPVTIVM. Haec est ratio, quare priùs imputata est Abrahae fides ad iustitiam, quàm circuncideretur: vt esset pater omnium gentium, quae fidem absq; circuncisione sectarentur. Quomodo autem pater? VT IMPVTETVR ET ILLIS AD IVSTITIAM. Vt quemadmodum Abrahae, ita & illis fides ad iustitiam ascriberetur, atq; ea ratione filij Abrahae haberentur, & essent; in eius fidem, & iustitiam, tanquam paternam haereditatem venientes. Sed cur postea circuncisionem acceperit, aduerte. ET SIT PATER CIRCVNCISIONIS HIS, QVI NON EX CIRCVNCISIONE TANTVM, SED ET SECTANTVR VESTIGIA FIDEI, QVAE IN PRAEPVTIO PATRIS NOSTRI ABRAHAE. Haec est ratio, cur circuncisionem accepit: vt esset Iudaeorũ quoq; pater; non eorum, qui sola circuncisione niterentur, sed & vestigia persequerentur eius fidei, quae commendata fuit in Abraham, antequam vllum fieret de circuncisione verbum; & tanquam filij paternae virtutis perfectam imaginem expri-

Circuncisionis mysterium.

Abraham cur ĩ praeputio iustificatus.

Εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην.

subaudi ὥστε. τὴν δικαιοσύνην.

Τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον.

Abrahã circuncisus cur.

merent, atq; imitarentur. Haec igitur est immensa illa, & beata proles, Abrahae à Deo promissa, quam vnus Deus dinumerare potuit: Omnes quotquot aut fuère, aut sunt, aut futuri sunt toto terrarum orbe, Abrahae fidei imitatores, quae est ad iustitiam certissima, proxima, & quasi compendiaria via.

Abrahae promissi filij.

Et cùm de secunda quaestione quid dicendum esset, ex historiae serie iam patefactum sit, de prima quid dici oporteat, in dubium venire non potest.

Quaest. primae explicatio.

Iustitiam nempe fidei, quae hominum est beatitudo, non ad vnam tantum Iudaeorū gentem pertinere, sed ad omnes cuiuslibet nationis homines, in quibus Abrahae fidei eluceat significatio.

Circūcisionis nulla est necessitas.

Sed dixerit fortasse quispiam: Si Iudaeos necesse est Abrahae nondū circuncisi fidem aemulari, cur non aequè oporteat, alias omnes nationes Abrahae à Deo praeceptam circūcisionem sequi? Nemo certè, qui ea, quae Paulus tam apertè declarauit, rectè tenuerit, in hanc incurrere poterit dubitationē. Nam si Abraham ex fide iustitiam assecutus est, ad cuius adeptionem nihil ei adiumenti circuncisio attulit, postea subsecuta: quid causae est, vt vel Iudaeorum, vel aliarum gentium homines iustitiam persequentes, ad circuncisionem adigēdi sint? An vt iustitiae fidei tanquam signum quoddam habeant, & notam? At verò cùm ea iustitia nondum vulgata esset, sed in paucis occulta delitesceret, aliqua certè nota necesse fuit illos à reliqua hominum turba distingui. Peruulgata autem, & per omnes diffusa nationes, nullum omnino aliud signum requirit, prater apertam fidei confessionem, & publicam praedicationem, vt de mysterijs, quae Dominus noster IESVS CHRISTVS, huius auctor iustitiae, instituit, quorum altior quaedam, & diuinior vis est, nunc taceamus: de quibus alter erit, & commodior, & magis opportunus disputandi locus.

Sacramenta.

Quamobrem Apostolorum, & seniorum sententiam teneamus, qui de hac quaestione Ierosolymis conuenerunt, ac pronunciauerunt, nō esse illos audiendos, qui praedicabant. *Nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari.*

Act. 15.

NON

NON ENIM.

VIDIMVS Abrahae iustitiam ex fide profectã: cuius quae secuta est circuncisio, causa esse non potuit, sed tantummodò signum. Ex quo rerũ ordine intelleximus: Deum, quem nihil frustra, ac sine causa facere decet, declarare voluisse, Abraham patrem futurum fuisse non modò aliarum nationum, quae fidem sine circuncisione sequerentur, sed & Iudaeorum non omnium quidem, verùm illorum duntaxat, qui non tam circuncisione, quàm fide cùm primis niterenrur. Superest probare, non satis esse Iudaeis circuncidi, vt inter Abrahae filios numerentur, sed oportere magni illius parentis fidem circuncisione antiquiorem amplexari, fidem sectari, à fidei vestigijs non discedere; quod quidem paulò ante cum de Abraham loqueretur Paulus proposuit: Illum, inquiens, post imputatam ei fidem ad iustitiam, circuncidi iussum esse, vt esset pater circuncisionis his, qui non ex circuncisione tantùm, sed & sectantur vestigia fidei, quae in praeputio patris nostri Abrahae. Probat autem hoc ex his, quae Deum vel Abrahae, vel eius semini promisisse memoriae proditum est: quae lege, qua vni Iudaei confidebant, compleri non poterant; sed iustitia fidei, qua cum Iudaeis omnes aliae gentes coniungi, & consociari facilè poterant: de quo sic inquit.

Abrahae ex fide iustitia.

Circũcisio, iustitiae signum.

Abraham gentium, et Iudaeorũ pater.

Circũcisio sine fide nõ fuit satis.

Probatio.

NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHAE, AVT SEMINI EIVS, VT HAERES ESSET MVNDI, SED PER IVSTITIAM FIDEI. Quae Abrahae promisit Deus, aut Christo potius, quem, cùm Abrahae semen dicitur, praecipuè significari alio loco declarauit Apostolus, fieri non poterat, vt legis virtute efficerentur, sed iustitiae fidei. Ea verò omnia, quae dispersè multis locis in sancta historia narrantur, vna illa breui sententia comprehenduntur, vt haeres esset mundi: quae hanc habet vim, vt iusti ex fide, qui ad Christi haereditatem pertinent, toto terrarum orbe multiplicati diffunderentur; essentq; tanquam stellae in coelo, & in maris littoribus arenae. Qua de re cùm multae in sanctis libris legantur vaticinationes, tum praeclara illa, atq; magnifica Patris ad Filium apud Dauidem vox est. *Postula à me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae.* Quod autem

Gal. 3.

Gen. 12. 13 15. 17.

Abrahã, siue semen eius, mundi haeres.

Psal. ij.

autem accepit, promissa vel Abrahae, vel semini eius, legis vi seruari non potuisse, sed iustitiae fidei, id nunc explanat apertiùs. Inquit enim. *SI ENIM QVI EX LEGE HAEREDES SVNT, EXINANITA EST FIDES, ABOLITA EST PROMISSIO.* Si illi, qui toti ex lege pendent, & in eo omnem operam ponunt, vt legẽ obseruẽt, haeredes sunt, Abrahae, vel semini eius à Deo promissi, duo consequuntur extra modum absurda. Alterum est, Fidem euanuisse, & nomen esse vanum prorsus, & inane. Nam quae potest esse eius vis, quae necessitas, vbi non ipsa, sed lex haeredes instituit? quod quidem quàm obsonũ sit, illud ostendit, quod Sole ipso clarius est, & illustrius; Abraham non ex lege ad iustitiam peruenisse, sed ex fide. Alterum verò, deletam esse, & extinctam penitus promissionem Dei, quae videlicet nunquam in effectu futura sit: quo quid cogitari potest amentius; aut Deo, qui (vt Dauid inquit) *Fidelis est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis;* magis contrarium? Quid verò causae sit, quamobrẽ si haeredes sint, qui lege nituntur, promissio deleatur; sic explicat. *LEX ENIM IRAM OPERATVR, VBI ENIM NON EST LEX, NEC PRAEVARICATIO.* Tantùm abest, vt legis ratione promissa faciat Deus, vt irascatur potius, & vlciscatur, ac poenas repetat ab his, qui legi non obtemperant: id quod sanctissimi Iudaeorum vates abundè declarant; omnia, quae Iudaeis aduersa accidebant, in diuinae legis neglectum referentes: quorum vnus inquit. *Abiecerunt legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suum.* Et alter. *Sacerdotes polluerunt sanctum, iniustè egerunt contra legem. Dominus iustus in medio eius nõ faciet iniquitatem: mane mane iudicium suum dabit in lucem.* Iracundiae autem, & vindictae huius illa est causa; quòd vbi lex non est, potest ignorantia excusare peccatum: vbi verò lex est, peccatum ante oculos ponens, quae potest esse excusatio peccati? An dicet quispiã, lineam inscienter transilijsse? an quae agenda, quaeq; deuitanda sint, non vidisse? Minimè omnium: cùm mandatum lucerna sit, & lex lux; vt scitè Salomon dixit.

Abrahae promissa lege non cõplentur.

Psal. 144.

Lex diuinae irae ratio.

Isa. 5.

Soph. 3.

Peccati excusatio cũ lege non stat.

Prou. 10.

IDEO

IDEO EX FIDE.

X duobus propofitis alterum iam abfoluit: Ad Dei promiffionem, lege duce, perueniri nunquam potuiffe:ad eam autem,optimam ducem, & praeftantiffimam eius demonftrandae magiftram effe fidem: quod erat alterum, nunc declarat. *IDEO EX FIDE, VT SECVNDVM GRATIAM.* Fides eft, quae ad promiffionem Dei perducit, vt manifeftum fit, gratuitò Deum facere, quod promifit: & iuftitiam, quae primùm promiffa eft, tanquam aliarum omnium promiffionum radix, & origo, non vt debitam merito feruatae legis retribuere, fed benignè, ac liberaliter elargiri. *VT FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI.* Altera ratio, cur fides ad Dei promiffionem, vel promiffam potius dicamus iuftitiam, perducat, haec eft; vt quod per legem effici non poterat, per fidem fieret, ftabilis fcilicet, & firma Dei promiffio omnibus Abrahae filijs: quos, vt paulò ante fecit, in duas partes diftinguit; de prima dicens. *NON EI, QVOD EX LEGE EST SOLVM.* Non Iudaeis tantùm, qui propter circuncifionem, & legem, Abrahae filios fe effe iactant: de quibus fuprà dixit. Non ijs tantùm, qui funt ex circuncifione. De altera verò inquit. *SED ET EI, QVOD EX FIDE EST ABRAHAE.* verùm etiam aliarum nationum hominibus, qui Abrahae fidem aemulantur, & (vt fuprà dixit) fectantur veftigia fidei, quae in praeputio patris noftri Abrahae. Deum autem ad eius fidem refpectum habuiffe; & quod receperat, iam praeftitiffe, apertè declarat, dicens. *QVI PATER EST OMNIVM NOSTRVM, SICVT SCRIPTVM EST, QVIA PATREM MVLTARVM GENTIVM POSVI TE.* Habet Abraham, quod ei promiffum eft, femen: non Iudaeos folùm circuncifionis, & legis aemulos; verùm aliarum quoq; gentium homines, qui eius fidem pofthabita circuncifione amplectuntur: quod quidem promiffionis ipfius verbis confonat, quae patrem eum non Iudaeorum tantùm, fed multarum gentium fore pollicentur. Quomodo autem tot, & tam diuerfarum gentium pater effe poteft Abraham, audi. *ANTE DEVM, CVI CREDIDIT.* Non ea generandi ratione, quam vident, & agnofcunt homines, fed quam nouit, & in-

ftituit

Fides ad promiffionē perducit.

εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν.

Abrahae filij Iudaei, & gentes: modò, & hi, & illi non fint infide à patre degeneres.

Abraham quomodo tot gentiū pater.

stituit Deus, cuius verbis credidit, & fidem adhibuit Abrahā, cuius ob eam causam filios esse voluit omnes, quot quot eius fidem sequerentur, & tanquam haeredes, quae illi promissa sunt, assequi. Iure autem & Abraham Deo credidisse, & eius posteros credere debere, duabus maximè rebus ostendit, quae Dei potentiam ad omnia efficienda declarant, de quibus inquit. *QVI VIVIFICAT MORTVOS, ET VOCAT EA, QVAE NON SVNT, TANQVAM EA, QVAE SVNT*. Prima est, mortuorum in vitam restitutio. Altera, Mira omnino celeritas in rebus, quae penitus non sunt procreandis, quas nullo planè negotio, solo verbo in aspectum, lucemquè profert, non secus quàm si diu ante fuissent. Nihil igitur est in omnipotentis Dei promissis, de quo in dubium venire liceat: quinimmo quaecunq; ille receperit, tam firma, & certa habenda sunt, quàm si manibus tenerentur.

Dei potentia resurrectione, & creatione declaratur.

QVI PRAETER.

Continuatio.

CVM iustitiam Dei, de qua omnis est disputatio, & in qua humana posita est beatitudo, & prima illa diuina promissio, qua reliquae continentur omnes, circuncisioni, & legi detraxisset, vniq; fidei assignasset: nè quis exiguam, & facilem rē esse fidem existimaret, si cum circuncisione praesertim conferatur, exemplo fidei Abrahae, quam commendat, quàm ardua sit, & quàm difficilis; ostendit: vt intelligamus, magnum Dei munus esse fidem, quod nullis humanis vel studijs, vel viribus attingi possit. Haec autem siquis diligenter expendat, facilè intelliget: circuncisione externam corporis pelliculam, quae cum homine nascitur, incidi; fide verò interiores omnes humanas cogitationes, spes, cupiditates, consilia, ad quae animi voluntas natura propendet, resecari: circumcisione, mortis periculo infantem committi; fide verò necari quodammodo; dū à rebus omnibus, quae Mundus offert, & pollicetur, quaeq; etiam caro summè concupiscit, animum, ac mentem abducit; atq; ad Deum, & mandatorum eius obseruantiam traducit: circuncisione vni Iudaeorum genti coniungi, colligari, ac debitorem effici; at fide beneuolentiae, & charitatis foedus iniri cum vniuerso genere humano: vt fideles qui reuera sunt, omnibus hominibus amoris, studij, & officiorum omnium debitores

Fides magnum Dei munus.

Circuncisionis, & Fidei comparatio.

tores se esse sentiant; siue Iudaei illi sint; siue gentiles: siue circuncisio; siue praeputium: siue Barbari; siue Scythae: siue serui; siue liberi. Haec illa est circuncisio, de qua scripsit Paulus ad Colossenses. *In Christo circuncisi estis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo.* Sed ad Abrahae fidem reuertamur, quam Paulus cōmendans inquit. *QVI PRAETER SPEM IN SPE CREDIDIT, QVOD FIERET PATER MVLTARVM GENTIVM.* Magnum omnino opus, & arduum; cùm nullam videret in seipso Abraham sperandi rationem, desperandi plurimas (vt paulò post videbimus) credidisse tamen; & omni exclusa ambiguitate sperasse, fore se multarum gentium patrem. Quid autem eum ad magnam hanc cum spe copulatam fidem impulerit, ostendit dicens. *SECVNDVM QVOD DICTVM EST EI. SIC ERIT SEMEN TVVM, SICVT STELLAE COELI, ET ARENA MARIS.* Purum illud, & simplex Dei verbum pollicentis posteritatem, quae numerari ab homine non posset, quemadmodum nec stellae coeli, nec arena maris, in tantae rei firmissimam fidem, & certissimam spem Abraham erexit. *ET NON INFIRMATVS EST FIDE, NEC CONSIDERAVIT CORPVS SVVM EMORTVVM; CVM IAM FERE CENTVM ESSET ANNORVM, ET EMORTVAM VVLVAM SARAE.* Alterum hoc est, quod Abrahae fidei magnitudinem declarat: quod ex his, quae diuinae promissioni natura repugnare viderentur, nec animo fractus, nec fide debilitatus fuerit; quin etiam nec ad ea magnopere animū attenderit. Ea erant: Corpus iam sen. ctute confectum: Ætas prouecta, decrepita, & ad gignendum inepta: Sarae vxoris sterilitas, quae concipiendae prolis vim omnem, atq; potestatem amisisset. Tu verò locum hunc, ne cum sacra historia pugnare videri possit, sic accipe. Abraham, diuinae promissionis audita voce, de his rebus, quae impedire, & obstare videbantur, cogitasse quidem, verùm in ea cogitatione nō perstitisse; & se totum ad amplectendam, atq; venerandam oraculi veritatem transtulisse. Et certè mirum est, quantopere ista Pauli oratio cum sacra consentiat historia, quae tradit, Abraham audita Dei promissione, risisse, secumq; tacitè dixisse. *Putasnè centenario nascetur*

Col. 3.

Col. 2.

Abrahae fidei cōmendatio.

Fides eius cum spe copulata.

Gen. 15. & 22.

Simplex Dei verbū fidē Abrahae erexit, ac spem.

Abrahae fidei magnitudo ex repugnantijs.

Concordātia scripturalis.

Cogitauit Abrahā de impedimētis; in illis autem non perstitit.

Risit Abraham, nō ir-

risit oraculũ: qui, confirmatione audita, flexo capite acquieuit. Gen. 17.

tur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Quae quidem seipsum, & naturae vires spectantis, ac praeter spem positi hominis, & gesta, & verba fuère. At vbi diuino illo iterato oraculo, *Verè Sara vxor tua pariet tibi filium*, confirmari promissionē audiuit, desijt Abraham seipsum, & id, quod natura posset, respicere: desijt de omnibus, quae tantae sibi rei spem eripiebant, cogitare: ac tum (vt Paulus ait) in spe credidit, atq; in eius fidei signum se primùm, vniuersos deinde suae familiae mares circuncidit. Quae sequuntur, Abrahae in fide cōstantiam, & incrementū declarant. *IN PROMISSIONE ETIAM DEI NON HAESITAVIT DIFFIDENTIA.* Posteaquam in spe credidit, nunquam trepidauit, aut diffidit fore id, quod ei Deus receperat, & vltrò pollicitus fuerat. *SED CONFORTATVS EST FIDE.* Non modò (vt paulò ante dixit) fide non est debilitatus, sed potentior factus est, & robustior; vt multò maiora, Dei potentia effici posse crederet, quàm ea essent, quae ei promiserat. *DANS GLORIAM DEO.* Non modò etiam naturae impedimenta, quae cum Dei pollicitatione pugnare videbantur, minimi fecit; sed magnificè, & gloriosè de Deo loquebatur, non secus atq; si id, quod Deus receperat, ipse iam accepisset. *PLENISSIME SCIENS, QVOD ID, QVOD PROMISIT DEVS, POTENS EST ET FACERE.* Hinc vberrima diuinae laudis, & gloriae materia oriebatur. Quòd esset ei persuasissimum, facere posse Deum quicquid promisit. Itaque in promissione, Dei voluntatem; in potentia, omnia conficiendi facultatem agnoscebat. Eò nunc reuertitur, cuius gratia haec omnia attulit. *IDEO ET IMPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM.* Quia talis fuit Abrahae fides, qualem descripsit, firma, constans, robusta, & nihil secum ferens dubitationis, per eam adeptus est iustitiam. Ex quo intelligimus, rem magnam, & supra hominum vires esse fidem hãc, quam vbiq; commendauit Apostolus, & Abrahae ad iustitiam imputatam fuisse declarauit.

Abrahae fidei constātia, & incremētum.

Laudis, & gloriae Dei materia.

Fides à Paulo commendata.

NON

NON EST AVTEM.



AVCIS haec omnia, quae de Abrahae iustitia ex sacris literis asseruit, non ad vnum Abraham, sed ad fideles omnes spectare ostendit: vt discere iam incipiamus, quod generatim postea, atq; vniuersè docebit: quaecunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Quo loco monendi sunt, atq; etiam obiurgandi, qui temeritate quadam, & absq; vllo iudicio, vel modo, hoc faciunt: vt quae de Abraham, Mose, Dauide, Iob, Apostolis, atq; etiam vnico illo verae, & syncerae iustitiae exemplo Christo Iesu scripta sunt, insipienter ad semetipsos transferant; cùm interea nihil omnino studeant Abrahae fidem; Mosis mansuetudinem; Dauidis magnanimitatem; Iob patientiam; Apostolorum obediētiam; mite illud, & summissum, ac nihil se efferens Iesu Christi cor aemulari. Isti profectò si diligenter animaduerterent, quanta circunspectione, & accurata consideratione, cùm ad se, tum ad alios eiusdem fidei consortes, quae de Abraham narrantur, Paulus transtulerit: fortè neq; seipsos, neq; alios tam inani verborum ostentatione iactarent. Dicit ergo Paulus. *NON EST AVTEM SCRIPTVM TANTVM PROPTER IPSVM, QVOD IMPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM: SED ET PROPTER NOS, QVIBVS IMPVTABITVR CREDENTIBVS IN EVM, QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM A MORTVIS.* Quod de Abraham scriptum esse recitauimus, imputatam ei fuisse fidem ad iustitiam nanciscendam, nō eius tantùm gratia scriptum est, vt cognosceremus quanam ratione iustitiam ille cōsecutus fuerit; verum etiam nostri, vt intelligeremus, idem nobis euenturū, si tam robusta, constanti, obedienti fide praediti erimus: vt quemadmodum ille in futurarum rerū spem erecto animo, Deo credidit; ita & nos quae iam promiserat, effecisse eūdem Deum crediderimus: excitasse scilicet à morte Dominum nostrum Iesum Christum: ita vt Abrahae nos succedamus; Abrahae fidei fides nostra; Isaach Abrahae promisso, donato, erepto, restituto, Christus nobis promissus, donatus, morte ereptus,

Abrahae fides ad omnes fideles pertinet.

Rom. 15.

Antiqua ad nos quomodo transferenda.

Fidei ad iustitiam imputatio quomodo intelligenda.

reditu in vitam; restitutus. Cùm autem fides semper aliquid complectatur, quod ad eos, qui credunt, attineat, Iesu Christi non resurrectionem modò, sed & mortem ad nos pertinere ostendit dicens. *QVI TRADITVS EST PROPTER DELICTA NOSTRA, ET RESVRREXIT PROPTER IVSTIFICATIONEM NOSTRAM.* Aurea profectò sententia: qua quid clarius dicere Paulus potuit, vt ostenderet, non sola fide, & venia peccatorum iustitiam perfici, de quo quidam nuper molestè nimis, & importunè disputare coeperunt, sed vitae nouitatem requiri? Quid ergo illud est, *Traditus est propter delicta nostra;* nisi summo cruciatu, supplicioquè mortem obijsse Christum, vt poenae, nostris peccatis debitae, satisfaceret? Quid item illud, *Resurrexit propter iustificationem nostram?* Hoc nempe: ea potissimùm ratione de morte triumphare celeriter voluisse, vt cum pro peccatis nostris mortē suscepisse crederemus: quòd nisi tam cito è mortuis surrexisset, nemo vnquam credidisset. De quo praeclarè Augustinus: *Ostendit, inquit, Christus, quàm voluntariè animam pro nobis posuerit, qui sic eam habuit in potestate resumere.* Hanc autem fidem charitas consequitur, & alia Dei dona, quae ad vitae nouitatem spectant; in quibus absoluta, & integra consistit iustitia, quae in sola fide, & venia delictorum perfecta non est. Qua de re non multò post Paulus: *Quomodo* (inquit) *Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus, vt peccatorum venia ad mortem, vitae nouitas ad resurrectionem referatur.*

Iustitia vitae nouitatem requirit.

Cur Christus de morte triūphare celeriter voluit.

Lib. 1. de doct. Chr. cap. 15.

Cap. 6.

IV-

IVSTIFICATI.

CAPVT V.

DISPVTAVIT hactenus de iustitia, quam ex fide Abraham assecutum fuisse ostendit: & ea omnia, quae de illo scripta leguntur, ad nos quoq; pertinere. Magna nunc salutaria, & diuina bona enumerat, quae iusti ex fide consequuntur. Et de primo quidem inquit. *IVSTIFICATI ERGO EX FIDE, PACEM HABEMVS AD DEVM PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM.* Pacis nomen pulcherrimum est, & suauissimum, quando cum hominibus esse nunciatur: quantò igitur suauius est, & pulchrius, quando nunciatur esse cum Deo? Ea verò cùm lege, quae iram operatur, confici non posset, fide confecta est. Per quem autem facta sit, diligenter est animaduertendum: vt vnum agnoscamus nobis propositum pacificatorem Dominum nostrum Iesum Christum: de quo alio quodam loco Paulus: *Vos*, inquit, *qui eratis longè, facti estis prope, in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, interficiens inimicitias in semetipso.* Non est autem pacis huius tãta vis, vt iusti ex fide nòn labantur aliquando, non peccent; non offendant Deum: Nam & ipsi quoq; dicunt quotidie. *Dimitte nobis debita nostra.* Sed vt per fidem, & poenitentiam, pacem, & veniam, quoad vixerint, precari, & obtinere possint. Propterea suprà, beatos cùm Dauide eos esse dixit, quorum remissae essent iniquitates, & quorum tecta essent peccata. Quomodo autem dulcis ista pax, & salutaris trãquillitas per Iesum Christum perfecta sit, ijs, quae sequuntur verbis continetur. *PER QVEM HABVIMVS ACCESSVM PER FIDEM IN GRATIAM ISTAM.* Ad benignam, & beneficam Dei patris erga nos voluntatem, & pacificationem istam, aditum, qui erat vndiq; obstructus, Iesus Christus Dei Filius patefecit; quò fide, siue credentes in eũ, liberè ingredi possemus. Et de hac quidem gratia Dei, quae vna veram nobis iustitiam peperit, locutus est suprà planius, & apertius his verbis. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, per fidem in sanguine ipsius.* Ecce tibi omnia, quae iustitiam pariunt: quorum primum, & praecipuum

Iusti ex fide quae bona consequuntur.

ἔχομεν.

Pax cum Deo.

Pacificator.

Eph. 2.

Iustorum cum Deo pax qua?

Matth. 6.

Act. 20.

Cap. 4.

Psal. 31.

ἐσχήκαμεν.

Cap. 3.

Ad iustitiã nanciscendam quidẽ

puum est, Dei bona voluntas, quam quia nullum nostrũ promeritum antecedit, Dei gratiam appellat. Alterum est, Christi cruciatus, & mors, qui perditorum omnium hominum vitam sua poena, & morte redemit; rem scilicet paruam, & vilissimam maximo pretio. Tertium, Fides est erga sanguinem eius, quem nostrum omniũ salutis causa, largè, effusèq; donauit. Duo verò sunt, quae ex hac Dei gratia, & beneuolentia consequimur: de quibus inquit. *IN QVA STAMVS, ET GLORIAMVR IN SPE GLORIAE FILIORVM DEI.* Haec Dei gratia, tanquam firmissimum nostrae salutis fundamentũ primùm facit, vt in semel suscepta fide immoti, & stabiles perseueremus; de futurorum bonorum spe non deturbemur; in rebus aduersis animo non deijciamur; peccatorum nostrorum metu non desperemus. Nam si iusti ex fide fuerimus, peccatorum, quae quotidie committimus, veniam quotidie consequi poterimus. Adeo deinde firmam, & constantem eius gloriae adipiscẽdae spem efficit, quam filijs suis, & se diligentibus parauit Deus, vt tanquam certi de ea nanciscenda, minimeq; dubij, & vacillantes, gloriemur.

Gratia D.i. *Mors Christi.* *Fides.* *Perseuerãtia in fide.* *Gloriatio in spe.*

NON SOLVM AVTEM.

ALTERVM hoc est magnum, & salutare bonum, quod iusti ex fide consequuntur. Nõ enim solùm in spe futurae felicitatis, & gloriae filiorum Dei, ita gloriantur, ac si eam non procul aspicerent, sed manibus attrectarent; verùm & in rebus praesentibus, calamitosis & aduersis, laetitia exultant; gaudio triumphant; ac plenè beatos se esse existimant: de quo inquit. *NON SOLVM AVTEM, SED ET GLORIAMVR IN TRIBVLATIONIBVS.* Nõ in spe tãtùm gloriae futurae gloriamur; verùm etiam in his, quibus caeteri homines ab hac iustitia nudi, & inopes, vehementer anguntur, & acerbissimè affligantur, oppressionibus, calamitatibus, ignominijs. Nouimus enim certas eas, & directas esse vias ad vitam beatam, & sempiternam. Et hoc quidem non Paulus modò, & Barnabas nudis verbis confirmauerunt, cùm discipulos hortarentur in fide esse cõstantes, eosq; docerent, per multas afflictiones oportere ingredi regnum

Gloriatio in rebus aduersis. *Tribulationes, directae via ad beatitudinem.* *Act. 14.*

gnum Dei; verùm & Apoſtoli reliqui reipſa, ac factis comprobauerunt, quando virgis caeſi gaudentes ibant à conſpectu concilij, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. Qui verò, & quàm ingens eſſet harum afflictionum, quas adeo libenti animo ſuſcipiebant, fructus, deinceps oſtendit dicens. SCIENTES, QVOD TRIBVLATIO PATIENTIAM OPERATVR. In afflictionibus tribuit nobis Deus patientiam. Fidelis nanq; eſt, vt alio loco docemur, neq; patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus; ſed facit etiam cum tentatione prouētum, vt poſſimus ſuſtinere. PATIENTIA AVTEM PROBATIONEM. Rerum aduerſarum, & difficilium voluntaria perpeſſio, argumentum eſt firmiſſimum, & maximum experimentum noſtrae fidei, atq; conſtantiae. Beatus enim vir ille eſt (vt Iacobus inquit) qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Nam rectè dixit Salomon. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita corda probat Dominus.* PROBATIO VERO SPEM. Qui non coniectura, ſed periclitatione, & experientia, fidei noſtrae conſtantiam vidimus, gloriae filiorum Dei expectatione tenemur, erigimur, rapimur. Ex afflictionibus ergo, & rebus aduerſis patienter toleratis, in gloriae ſempiternae ſpem inducimur. Quòd autem ſpes iſta extenuari, & euaneſcere nequeat; & adeo certa ſit, vt in ea iure gloriari poſſent, id declarat, quod ſequitur. SPES AVTEM NON CONFVNDIT. Magnum quippe dedecus, gloriari in ſpe rei non ſuccedentis, & futurorum expectatione fruſtrari. Noſtra autem ſpes pudore non afficit, non dedecorat. In qua nullam cōtingere poſſe verecundiam, nullum dedecus, eo, quod ſequitur argumento edocet. QVIA CHARITAS DEI DIFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST NOBIS. In noſtram ſpem nullus cadere poteſt pudor, nulla timiditas; cùm eius rei, quam ſperamus, pignus acceperimus: Amoris ſcilicet Dei erga nos, & noſtri viciſſim erga Deum (vtrumq; enim charitatis nomen ſonat) largam quandam, & prolixam cognitionem: quae cùm ſancti Spiritus praecipuum ſit, & peculiare munus, vnà cum ipſo donata eſt nobis. Qua de re praeclarum eſt Ioannis illud. *In hoc ſcimus quoniam manet in nobis, ex ſpiritu, quem dedit nobis.* Item illud.

Act. 5.
Rerum aduerſarum fructus.
Patientia.
1. Cor. 10.
Probatio.
Iac. 1.
Prou. 17.
Spes.
Spei certitudo.
Charitas.
1. Io. 3. & 4.

In

In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis. Ex iustitia ergo fidei in eximiam futurae felicitatis spem ingredimur; quae nec deserit, nec decipit, quia diuinae erga nos, & nostrae erga Deum beneuolentiae explorata cognitione sustentatur.

VT QVID ENIM.

Charitatis diuinae erga gen⁹ humanum signum externum.



IVINAE, & incredibilis erga genus humanum charitatis, quae totius nostrae spei firmamentum est, & robur, externum quoddam dat signum, quod nobis debet esse firmissimum. Nam cùm Paulus, eiusq; similes viri sancti, & perfecti intimam quandam peculiari Spiritussancti munere, eius rei notitiam accepissent, reliquorum, qui non adeo puri erant, & integri, tenuem, & exilem spem varijs argumentis, & signis corroborare, ad eos pertinebat, donec illorum animi largiùs & copiosiùs Spiritussancti dono perfusi, diuini huius amoris intimum aliquem sensum acciperent: ac primùm quaerit. *VT QVID ENIM CHRISTVS, CVM ADHVC INFIRMI ESSEMVS, SECVNDVM TEMPVS PRO IMPIIS MORTVVS EST?* Quid causae fuit, quare Christus, cùm nos nondum iusti essemus, sed in peccatis, & morbis langueremus, viribus adeo imbecilles, vt salutare nihil agere possemus, praefinito tempore, pro scelestis nobis, & impijs mori voluit? Magnum verò, inusitatum, & nouum hoc fuisse tanti amoris indicium, his, quae sequuntur, declarat. *VIX ENIM PRO IVSTO QVIS MORITVR: NAM PRO BONO FORSITAN QVIS AVDEAT MORI.* Pro infirmo, & impio nemo; pro iusto verò, pio, & bono vix, & rarò, qui mortem oppetat, reperietur. Propterea, voluntariam Christum pro nobis obijsse mortem, inauditum fuit, & insolens diuinae erga nos beneuolentiae argumentum, de quo addidit. *COMMENDAT AVTEM CHARITATEM SVAM DEVS IN NOS: QVONIAM CVM ADHVC PECCATORES ESSEMVS, SECVNDVM TEMPVS CHRISTVS PRO NOBIS MORTVVS EST.* Ad id respondet, quod quaesiuit, quam ob rem Christus pro nobis infirmis, & impijs

πεγάρ. (margin)

Mortis Christi causa.

impijs mortem obire voluerit: vt patefaceret, inquit, illustraret, atq; omnibus testatam faceret, Dei erga nos insignem charitatem: hoc summi amoris expresso signo, quòd opportuno tempore, & (vt alio loco inquit) vbi venit plenitudo temporis; pro nobis, qui nostris multis peccatis in magnas aerumnas incideramus, mortem Christus oppetere voluerit. Quo etiam argumento Ioannes vsus est. *In hoc*, inquiens, *cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Ex hac autem vehementi Dei erga homines charitate, cuius sensum intus in animo peculiari Spiritussancti munere habere quosdã declarauit, caeteris verò ex Christi morte ostendi posse, argumento concludit efficaci, spem nostram aeternae salutis adipiscendae robustam, & firmam esse debere, atq; ab omni pudoris suspitione remotam. *MVLTO IGITVR MAGIS NVNC IVSTIFICATI IN SANGVINE IPSIVS SALVI ERIMVS AB IRA PER IPSVM*. Si cùm impij, & scelesti essemus, tanto affecti sumus à Deo beneficio, quantum fuit Christi mors; quid est cur nunc iusti iam facti ex fide in mortem illam pro nobis oppetitam, & sanguinem pro nobis fusum, non ab aeterna damnatione saluos non esse futuros eiusdem benignitate, & gratia firmissimè speremus? Hoc autem argumentum firmissimum vt esse ostendat; tum ad declarandam Dei stabilẽ erga nos beneuolentiam; tum ad spem nostram excitandam, & roborandam, alio rursus argumento corroborans, inquit. *SI ENIM CVM INIMICI ESSEMVS, RECONCILIATI SVMVS DEO PER MORTEM FILII EIVS; MVLTO MAGIS RECONCILIATI, SALVI ERIMVS IN VITA IPSIVS*. Est hoc & ex Christi, & ex nostro statu grauissimum argumentum, & signum omni luce clarius: quod hanc habet vim. Si tanta fuit Dei charitas, vt nos, quod ad vires attinet, infirmos; quod ad pietatem, impios; quod ad sanctitatem, multis sceleribus inquinatos; quod ad merita (quod dictu quoq; horribile est, & pertimescendum) inimicos; odio, & poena dignos, vnigenae filij sui mortis merito ad amicitiam sibi adiungeret; quantò magis conciliati iam, & magna cum eo charitate coniuncti, aeternae salutis adipiscẽdae spe, tanquam anchora firmissima, teneri debemus? Illo praesertim vitae restituto, qui pro nobis Patri conciliandis, mori voluit.

Gal.4.

1.Io.4.

Ad spẽ confirmãdam argumenta firmissima.

L Nam

Nam longè certè praestantior esse debet vitae, quàm mortis effectus. Si ergo mortis effectus fuit reconciliatio, reditusq; cum Deo in gratiam; vitae quis alius esse potest, nisi salus aeterna?

Mortis, & vitae Christi effectus.

NON SOLVM AVTEM.

IVSTI ex fide, magna (vt diximus) & diuina bona assequuntur, quorum aliqua hoc loco recensuit Paulus; Pacem cum Deo; Gloriationem in rebus aduersis: ex quibus gradatim in spem adipiscendae gloriae filijs Dei paratae, perueniunt. Eius autem spei pudere illos non posse declarauit; partim ratione charitatis, qua cum copulata est; partim ratione mortis Iesu Christi, quam non pro bonis, & iustis; sed pro improbis obijt, & iniustis. Qua de spe iustorum vox illa est. *Non erubescam, quoniam speraui in te.* Item illa. *In te Domine speraui, non confundar in aeternum.* Ad haec praeclara, & ingentia dona, illud quoq; pertinet, quod sequitur. *NON SOLVM AVTEM: SED ET GLORIAMVR IN DEO PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, PER QVEM NVNC RECONCILIATIONEM ACCEPIMVS.* Non ea modò, quae diximus, praeclara, & eximia bona, iustitia ex fide gignit; verùm etiam domesticos efficit, & familiares Dei, concordi cum eo voluntate coniunctos: quod quidem magnificum nobis est, & gloriosum; quo de priscum illud extat Dauidis vaticinium. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices iusto.* Hoc autem non ipsi nos meruimus, quemadmodum nec aliud vllum salutare bonum, sed Dominus noster Iesus Christus, qui nos cum Deo Patre in gratiam restituit. Quid verò causae sit, quamobrem bona nobis omnia per Iesum Christum donata sint, id quod nostris auribus saepe tradit, & inculcat, apta quadam, & accommodata declarat ratione, ex dissimiliter simili Adae, & Christi comparatione, siue proportione, quam graeci ἀναλογίαν appellant: in cuius explanatione, primùm inquit. *PROPTEREA SICVT PER VNVM HOMINEM PECCATVM IN MVNDVM INTRAVIT, ET PER PECCATVM MORS: ET ITA IN OMNES HO-*

Iusti cur spei futurae gloriae pudere nō possint.

Psal 24.

Psal. 30.

Gloriari in Deo.

Psal. 5.

Cur omnia bona nobis per Iesum Christum donata sint

Analogia Christi, & Adae.

HOMINES MORS PERTRANSIIT, IN QVO OMNES PECCAVERVNT. Idcirco vnius (vt diximus) Iesu Christi benefactis, & meritis immortalia haec nobis bona contigerunt, vt tanquam ex altera parte responderet primo illi à Deo condito homini, cuius temeritate, ac maleficio, omnia in mundum mala peruasère: peccatum videlicet, & mors; quorum alterum culpae; poenae est alterum. Qua etiam ratione, & via in genus humanum vniuersum mors ipsa permanauit, propterea quia omnes peccauerũt: alioquin nullam ea hominis inuadendi potestatem habuisset, quae peccati tantùm mulcta est, à Deo decreta, & constituta. Rectè ergo dixit Sapiens. *Iustitia perpetua est, & immortalis. Iniustitia autem mortis est acquisitio. Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam*. Diligenter autem est animaduertendum: peccatum, de quo hoc loco disputat Paulus, & cuius omne hominum genus rerum iam fecit, non esse externum aliquod maleficium, quod semper, & vbiq; tã humani, atq; docti, quàm immanes, atq; Barbari homines, rationis ductu, peccatum esse cognouerunt; exempli causa, rapere aliena; hominem occidere; & reliqua id genus, crassa facinora, quae humanae quoq; leges insectantur, atq; vlciscuntur: sed est natiuum illud, domesticum, & intimum vitium, repugnantiae carnis aduersus spiritum: quae est non aperta quidem, & manifesta, verùm obscura, & occulta hominis à Deo defectio. Eam graeci ἐπιθυμίαν; nos vel libidinem, vel trito iam, & vsitato verbo concupiscentiam appellamus. Hoc ergo peccatum post latam legem in mundo fuisse, in dubium reuocari non poterat, siquidem & lege vetatur, & de eo praecipuè accipiendum est illud superius dictum; *Per legem cognitio peccati*. Nam quid diuina lege opus erat ad ea detegenda peccata, quae ratio in natura insita semper iudicauit esse peccata? An autem à mundi exordio ad illud vsq; tempus, quo lata lex est, istud fuerit in mundo peccatum, de quo fortè ambigere quisquam potuisset, declarat cùm inquit. VSQVE AD LEGEM ENIM PECCATVM ERAT IN MVNDO: PECCATVM AVTEM NON IMPVTATVR, CVM LEX NON EST. Peccatum hoc, de quo agimus, aliorum omnium peccatorum origo, & radix, quod ab Adam aditum in mundum habuit, ab Adae ipsius temerario lapsu ad promulgationem vsq; legis erat quidem in mundo; verùm illud nemo

Mortis in genus humanũ ingressio.

Sap. 1.

Peccatum de quo Paulus loquitur quod?

Peccatum originis. Vitium natiuum. Repugnantia carnis, et spiritus.

Cap. 3.

Occulta à Deo defectio.

Libido. Concupiscentia.

Exo. 20.

Peccatum originis ante legẽ.

vel sibi, vel alijs ad peccatum ascribebat, aut vitio dabat? Quomodo enim id facere potuissent, qui ne peccatum quidem illud esse cognoscerent? quod lege postea definitum fuisse, Paulus declarabit: *Concupiscentiam*, inquiens, *nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces*. Hoc autem, quod sequitur argumentum perspicuè probat eo quoq; tempore, quando non cognoscebatur, fuisse istud in mundo peccatum. *SED REGNAVIT MORS AB ADAM VSQVE AD MOYSEN, ETIAM IN EOS, QVI NON PECCAVERVNT IN SIMILITVDINEM PRAEVARICATIONIS ADAE.* Quomodo mors ab Adae culpa ad Mosen vsq; legislatorem in pueros, infantes, & alios omnes imperium iure tenere potuit; quorum nullum erat proprium peccatum, nullus prauus actus, ad eius culpae similitudinem, quam in se admisit Adam? qui quod speciatim acceperat diuinum mandatum, tam cōtumaciter repudiauit, ac poenam mortis despexit, & pro nihilo planè habuit. Nulla profectò alia huius imperij ratio animo fingi, aut cogitatione poterit, praeter eius de quo loquimur peccati in posteros deriuationem: cuius causa, naturae nostrae infirmitatem deplorans Dauid; *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Et Iob, quanquam aliqua non ita rectè, illud satis scitè dixit. *Nemo mundus ante Deum, sed nec infans, cuius est vnius diei vita super terram*. Quod autem de Adam adiecit. *QVI EST FORMA FVTVRI.* ad eam, quam explanandam suscepit, Adae, & Christi dissimiliter similem comparationem spectat: vt semper haec duo nostrarum rerum principia ob oculos nobis obuersentur; malarum quidem Adam; bonarum verò Christum. Ille enim peccatum in nos transfudit: hic peccati veniam. Ille Dei indignationem, & odium: hic reconciliationem, & gratiam. Ille iustam damnationem: hic gratuitam salutem: quem futurum dixit, quia in malis, quae ortum habuêre ab Adam, illucescere mox coeperunt contraria bona, quae expectanda erant à Christo: quorum aliqua nunc quoq; magna fide futura praestolamur: Mortuorum scilicet omnium in vitam reuocationem: Vitam beatam, & in coelesti sede sempiternam: Regnum deniq; Dei, cuius desiderio quotidie precamur. *Adueniat regnum tuum*.

Cap. 7.

Peccatum ante legem in mundo fuisse, sed ignotum.

Cur infantes morti erāt obnoxij, quorū nullū proprium peccatum.

Peccatum Adae.

Psal. 50.

Iob 14.

Adae, & Christi dissimiliter similis comparatio.

Matth. 6.

SED

SED NON.

NE in ista, quam tractauit, Adae, & Christi comparatione error aliquis in hominum mentes irreperet, eam longius persequitur, & explanat: vt quàm magno Adam, quem Christi formam esse dixit, & figuram, à Christo ipso distet interuallo, intelligamus, agnoscamusq; multò potiora à Christo nobis obuenisse bona, quàm perniciosa fuerint mala, quae ab Adam effluxerant. Itaq; inquit. *SED NON SICVT DELICTVM, ITA ET DONVM.* Non aequa lance ponderanda sunt peccatum ab Adam, & donum à Christo deriuatum in alios: cuius differentiae ea est ratio, quae sequitur. *SI ENIM VNIVS DELICTO MVLTI MORTVI SVNT; MVLTO MAGIS GRATIA DEI, ET DONVM IN GRATIA VNIVS HOMINIS IESV CHRISTI IN MVLTOS ABVNDAVIT.* Si vnius Adae delictum tantum potuit, vt eius causa multi morerentur; illi scilicet, qui ad coelestis regni, & beatae immortalitatis gloriam nunquam excitabuntur; multò certè magis Dei benignitas, & id, quod ex ea emanauit donũ, quod in vnum hominem Iesum Christum, primùm collatum est, vt ab eo, tanquam capite, redundaret in multos, largiora fuère, & affluentiora. Hanc autem tantam gratiae vbertatem, & copiam facilè intelligemus, cogitantes, ea non modò deletum fuisse peccatum, & morti abrogatum imperium, verùm & eius quicunq; participes efficiuntur, multa insuper alia consequi à Deo diuina, & immortalia beneficia: nempe, vt sint filij Dei; membra Christi; de paterno Dei erga se amore, & gloria sempiterna certi ferè, atq; securi. Pacem cum Deo habeant; glorientur in spe aeternae haereditatis; in rebus aduersis; in Dei quotidiana consuetudine, & familiaritate; aliaq; id genus innumera. Constat igitur maius fuisse donum à Christo Iesu, tanquam fonte in multos quasi riuos deductum, quàm fuerit delictum ab Adam in multos propagatum. Christum autem hominem hoc loco dixit, non solùm vt Adae similem ostenderet; verùm etiam vt intelligeremus, illum ea parte, qua homo est, Spiritussancti gratia à Patre fuisse repletum, cuius ea parte, qua Deus, auctor ipse est, & distributor.

Adae in malis, & Christi in bonis dissimilitudo.

Gratiae Christi magnitudo.

Christus hic homo dicitur, quia Adae similis; & quia, vt homo est, Spiritussancti gratia repletus est.

ET NON.

Peccati, & doni dissimilitudo.

ALTERA haec est peccati, & doni dissimilitudo, quae & Adam respicit, peccati primum auctorem; & doni ducem, ac principem Christũ. *ET NON SICVT PER VNVM PECCATVM, ITA ET DONVM.* Non eandem secutus est rationem Deus in iudicando; & vlciscendo vno illo Adae peccato, atq; in eodẽ condonando, & ignoscendo: quod quidem Christi vnius gratia perfectum est. Non sicut genus humanum vnius criminis gratia iudicauit, & vltus est; ita condonauit peccatum, & largitus est veniam. Quae autem haec sit varietas exponit. *NAM IVDICIVM QVIDEM EX VNO, IN CONDEMNATIONEM: GRATIA AVTEM EX MVLTIS DELICTIS, IN IVSTIFICATIONEM.* Vnius tantùm peccati ratione iudicium exercuit Deus, & damnatione acerbissima dignum pronunciauit hominem: multorum verò, quae primum illud subsecuta sunt, scelerum ignoscens veniam dedit: in quo gratuitae iustitiae initia adipiscimur, & (vt Paulus inquit) ad iustificationem pergimus. Dei ergo iudicium, atq; damnatio ex vno prodière Adae peccato; veniae verò, & indulgentiae munus multa deleuit filiorũ Adae crimina. Quantò igitur maius est bonum, quod contulit Christus, malo quod deriuauit ab Adam? Quantò salubrior medicina, quàm pestilens morbus? Quantò valètius ἀντίδοτον, quàm venenum? Hoc autem, quod ad diuinae misericordiae notitiam, & nostrae spei confirmationem magnopere facit, non vnius tantùm peccati, sed multorum, omnium videlicet, quae post primum illud, quod originis nuncupatur, commisimus, venia, iustitiam nos adipisci, & vitam sempiternam probat, & explanat, dicens. *SI ENIM VNIVS DELICTO MORS REGNAVIT PER VNVM.* Si ob vnius hominis culpam, humani generis regnum mors adepta est, & vnius culpa in multos inuasit. Hoc enim illud est, quod suprà dixit. *Si enim vnius delicto multi mortui sunt.* Observandum autem hoc loco diligenter est; quod tanquàm notandum animaduertimus; in illis regnare mortem, qui non ad vitam beatam, & impatibilem reuiuiscent, sed miseram, & aerumnosam, quae vsq; adeo morti similior, quàm vitae erit,

Iudicij, & veniae diuersa ratio.

Mors in multos ex culpa vni.

Mors in quibus regnet.

vt maximus vates dicat. *Non resurgent impij in iudicio*: & *Psalm. 1.* sapiens mortem ei anteponat. *Cùm melior est*, inquit, *Mors, quàm vita amara; & requies aeterna, quàm languor perseuerans.* *Ecclesiast. 30.* *MVLTO MAGIS ABVNDANTIAM GRATIAE, ET DONI IVSTITIAE ACCIPIENTES, IN VITA REGNABVNT PER VNVM IESVM CHRISTVM.* Si illud, quod de mortis imperio dictum est, ita se habet; rationi maximè congruit eos, qui gratuitae iustitiae copiam, atq; affluentiam accipiunt, deuicta morte, & ab omni mortis, & doloris metu solutos, & liberos, viuos regnaturos esse, vnius Dei, & Domini nostri Iesu Christi merito: quod quidem contingere non posset, nisi peccatis omnibus deletis iustitiam nanciscerentur. De cuius gratiae vbertate illud saepe recolendum, quod paulò ante dictum est. *Si vnius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit.*

IGITVR.

MAGNVM hactenus didicimus interuallum, quo Christus bonorum omnium nostrorũ princeps, ab Adam malorum omnium fonte disiungitur: nunc illud quomodo accipiendum sit, quod breui attigerat, Adam formam esse Christi, latiùs exponit; & tanquam ex his, quae dicta sunt, constare possint, ac manifesta esse, vel potius efficiantur, quae dicturus est; sic concludit. *IGITVR SICVT PER VNIVS DELICTVM, IN OMNES HOMINES IN CONDEMNATIONEM; SIC ET PER VNIVS IVSTITIAM, IN OMNES HOMINES IN IVSTIFICATIONEM VITAE.* *Continuatio.* Haec ratio est, qua nuncupauimus Adam, & esse diximus formam Christi: vt quemadmodum illius vnius culpa peccatum in omnes homines irrupit, vsq; ad condemnationem mortis: ita ob vnius Iesu Christi iustitiam diuino iustitiae munere donati sunt omnes homines vsq; ad beatam, & immortalem vitam; in qua (vt mox dixit) iusti rediuiui sunt regnaturi. *Adã quomodo forma Christi.* Erigamus autem hic animos, vt videamus Paulum optimum esse sui ipsius interpretẽ, & quae vno loco tradit obscurè alio patefacere atq; illustrare. Dixerat; Per vnum hominem. quod quasi nunc explicãs, inquit; *Paulus sui ipsius optimus interpres.*

inquit; Per vnius delictum. Dixerat; Peccatum intrauit in mundum: nunc, tanquàm explanans quid mundi vocabulo designasset, ait: in omnes homines. Dixerat; Et per peccatum mors; hic inquit: In condemnationem: vt morte mulctatum fuisse genus humanum peccati causa intelligeremus. Hoc autem, quod de delicti ab Adam, & iustitiae à Christo in omnes homines fluxione dixit, de vtriusq; propria vi, & efficacitate dictum accipiendum est. Nam quid diuina benignitate, & erga genus humanum, beneuolentia effectum fuerit, sequenti comparatione planè exponit, simulq; ostendit quodnam fuerit Adae delictum, & quae Christi iustitia. *SICVT ENIM PER INOBEDIENTIAM VNIVS HOMINIS PECCATORES CONSTITVTI SVNT MVLTI; ITA ET PER VNIVS OBEDIENTIAM IVSTI CONSTITVENTVR MVLTI.* Delicti vis, quae fuit Adae contumacia, summo, & rigido iure omnes homines condemnare potuit: verùm diuina clementia non omnes, sed multos, & eos quidem contumaces, & diuinorum mandatorum contemptores condemnauit. Iustitiae verò vis, quae summa fuit, & perfecta Christi obedientia, seruare ea quidem omnes homines potuit; verùm non omnes, sed multos, Christi obedientiae imitatores, ad iustitiam perducet, qua duce ad beatam aeternitatem, immortalitatemq; perueniant.

Concinna antithesis.

Delicti Adae vis.

Iustitiae Christi vis. Christi iustitia quae?

LEX AVTEM.

AD illud reuertitur, vnde digressus est. Peccatum ab Adam ad legem vsq; in mundo fuisse dixerat: ne quis ergo lege deletum fuisse opinaretur, quod contra totum accidit, inquit. *LEX AVTEM SVBINTRAVIT, VT ABVNDARET DELICTVM.* Tantum abest, vt lex, quae inter Adae peccatum, & Iesu Christi iustitiam interiecta est, & quasi in medio collocata, atq; in exiguam mundi partem Iudaeam tacitè quodammodo ingressa est, peccatum ipsum extinxerit: vt auctum etiam fuerit, & maius effectum, propterea quòd legis mandato explicatè cognitum est, nec tamen deuitatum: Quid ergo tum? an ideo creuit peccatum, vt atrociore supplicio afficeremur? Minimè omnium. Nam, vt inquit. *VBI AVTEM ABVNDAVIT DELICTVM,*

Peccatum lege nō extinctū, sed auctum.

CTVM, SVPERABVNDAVIT ET GRATIA. Hominum contumacia, & peccati atrocitate crescente, diuina contrà lenitas, & misericordia cumulata, atq; adaucta est: qua maius peccatum ignosceretur, immo verò etiã vnà cum morte vinceretur, atq; omnino subigeretur: quò pertinet ea, quae sequitur aptissima similitudo. *VT SICVT PECCATVM REGNAVIT IN MORTEM, ITA ET GRATIA REGNET PER IVSTITIAM IN VITAM AETERNAM.* Tanta diuinae benignitatis copia, atq, vbertas eò spectauit, vt quemadmodum peccatum ad mortem vsq; regnum in homines exercuit, & dominatum (neq; enim purgari vnquam plenè potuisset, nisi deposita corpus vetere cupiditate per mortem in nouitate spiritus resurgeret) ita diuina clementia gratis peccata ignoscens per iustitiam, quae peccatorum veniam consequitur, ad vitam vsq; aeternam adipiscendam dominetur; & regnet abiecta penitus, & prostrata morte. Cùm autem iustitiae, & obedientiae Iesu Christi, gratiam Dei, iustitiam nostram, vitam aeternam, & praeclara omnia, atq; ingentia bona, de quibus hactenus disseruit, accepta referre semper oporteat, addidit verbum illud, quo vti frequenter consueuit. *PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.* Qui (vt suprà dixit) traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Peccatum lege cur auctum.

Pro diuina benignitate comparatio.

QVID ERGO.

CAPVT VI.

Scripturarum praua interpretatio semper fuit.

ORTALIVM nemo tam purè, & castè loqui vnquam potuit, vt eius sermonem vel haeretici, vel voluptatibus, ac vitijs deditis celesti homines prauè interpretari, & in alienum à veritate sensum detorquere non potuerint. Hoc Ecclesiae exorientis initio, & ipsis Apostolorum temporibus, de Pauli epistolis, & alijs scripturis, quae sancto dictante spiritu scriptae sunt, accidisse, horum Commentariorum initio, Petri testimonio declarauimus, & miseris his nostris calamitosisq; temporibus, satis, superq; verum esse, magno cum salutis publicae detrimento didicimus. Quid obsecro sanctius, quid verius, quid ad humanam salutem aptius excogitari potuit hac ipsa doctrina, quam hactenus Paulus tradidit? in qua omnia cum priscis vaticinijs, oraculis, & Euangelio, aptè & mirificè cohaerent; & eam nihilominus ipso adhuc superstite, atq; Christi Ecclesias cum sermonibus, tum epistolis docente, contaminare quidam audebant: qui declinandi ab Euangelij veritate, & in sceleribus, ac flagitijs permanendi ansam vndiq; arripiebant. Ob eam causam Paulus, cui magnae curae fuit, ne quis in eius verbis, ab huiusmodi vafris, & perditis hominibus circumuentus, laberetur, spinosas quasdam, & arduas deinceps tractare cogitur quaestiones, quarum prima haec est. *QVID ERGO DICEMVS? MANEBIMVS IN PECCATO, VT GRATIA ABVNDET?*

Cur Pauli laudatam doctrinam quidam cõtaminare audebant.

Dialectico more sic illi concludebant. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Manendum ergo in peccato, vt gratia abundet: ac si duo ista consequentia essent, quorum primum Paulus iam declarat. Manere autem in peccato, est peccatum augere, maiusq; facere, ex animi proposito, voluntate, & affectu persistendi in eo. Et cum respondet. *ABSIT*, abhorrere se ab hac malitiosa, versuta, & falsa cõclusione, eamq; religioni habere declarat, & rationem addidit, qua illa non consequentia, sed repugnantia esse demonstrat. *QVI ENIM MORTVI SVMVS PECCATO, QVOMODO ADHVC VIVEMVS IN ILLO?* Diuinae gratiae abundantia, & vi, quam extollentes diximus:

Sophisma ex Pauli dictis.

Manere in peccato quid?

mus: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: nos quidem mortui sumus peccato. Qui igitur fieri potest, vt in eo viuere, & permanere adhuc constituamus? Est autem hoc loco diligenter animaduertendum, quid sit, mortuum esse peccato. Neq; enim id est nullo modo peccare, quod ne ipsis quidem Apostolis datū fuisse Ioannes testatur. *Si dixerimus*, inquiens, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Et maximus veritatis omnis Magister, qui precari illos docuit. *Dimitte nobis debita nostra*; Neq; etiam est, peccatorum veniam impetrasse. Eos etenim, quibus praeterita condonata sunt peccata, in peccatum denuo labi, & in eo viuere, nihil omnino repugnat. Est ergo, mortuum esse peccato, motionem intus in animo, & voluntatem manendi in peccato, siue obtemperandi cupiditati non sentire: cui contraria illa sunt; Manere in peccato; viuere in peccato.

Mortuum esse peccato quid?
1. Io. 1.
Matth. 6.

AN IGNORATIS.

QVOD tanquam concessum assumpsit, mortuos nos esse peccato, id nunc declarat. Ex quo efficitur, cogitationem illam de vita, & mansione in peccato, nefariam esse; & cum ea, quam à Christo induti sumus, persona non modò non cohaerere, sed maximopere pugnare. Declarat autem, tria pertractans sacrosancta baptismi mysteria, quorum primum sic retulit. *AN IGNORATIS FRATRES, QVOD QVICVNQVE BAPTIZATI SVMVS IN CHRISTVM IESVM, IN MORTEM IPSIVS BAPTIZATI SVMVS?* Intolerabilis, & perniciosa vestra esset ignoratio, si nescire fateremini nos omnes, qui sanctissimo mysterio initiati, ablutiq; sumus, vt cum Christo Iesu tanquam cum capite membra coniungeremur, ea ratione initiatos, & ablutos fuisse, vt vnà cum eo moreremur, & illud totum, quod in nobis ex Adam deriuatum viuebat, extingueretur, reputaretur ac si non esset, & nullam ad peccata nos impellendi, & in peccatis retinendi vim omninò haberet. Alterum, quod primo cōnexum est, & consequens mysterium, ita conclusit, & intulit. *CONSEPVLTI ERGO SVMVS CVM ILLO PER BAPTISMVM IN MORTEM*. Si per baptismum mortui cum Christo

Assumpti probatio.
Baptismi mysteria.
Mori cum Christo.

Sepeliri cũ Christo. sumus,ea,quam explicauimus,ratione,sepulti quoq; simul cum eo simus necesse est. Mors nostra humatione,& sepultura vera esse probetur,perseueret,perficiatur,& continuata permaneat. Tertium, quod cum duobus antecedentibus coniunctum est, & ex eis relinquitur, mysterium, sic explicauit. *VT QVOMODO CHRISTVS SVRREXIT A MORTVIS PER GLORIAM PATRIS; ITA ET NOS IN NOVITATE VITAE AMBVLEMVS.* Si mortui cum Christo sumus, consentaneum est, & consequens, vt cum eo quoq; regrediamur in vitam. Quae verò nostra, qui sacrosancto mysterio abluti sumus, resurrectio sit, explanauit apertè: *Resurgere cum Christo.* vitam nouam sanctissimè, & honestissimè degere,ab omni deliberato affectu, & motu animi ad peccandum alienam, & quoad fieri potest,etiam sine peccato.Ex quo patere omnibus, atq; in promptu esse potest, quae sit nostra mors. Nihil certè aliud,nisi extinctio vetustatis peccati, & peccandi quoq; cupiditatis. Quae deniq; nostra sit sepultura: perseuerantia scilicet in ea morte, ne vnquam peccandi libido excitetur, aut renouetur; sed tanquam imbecilla,atq; eneruata,sepulta iaceat. *Illatio.* Ex his autem omnibus constat; in eos, qui haec mysteria reuera intelligunt, & amplectuntur, cadere non posse cogitationem permansionis in peccato, quod vberrima illa gratiae copia, & abundantia extinctum est, atq; deletum.

SI ENIM.

SACROSANCTA hæc baptismi mysteria in hominum animos immittere,& multa quasi tractatione mollita, in eorum mentibus, & cogitationibus defigere studet; non secus atq; sedulae *Paulus vt nutrix.* nutrices,mansa (vt aiunt) omnia pueris infantibus in os inserunt: quod totum eò pertinet,vt falsum illud, ac perniciosum dogma, de quo haec tota quaestio est, extirpet, ac funditùs tollat. Manebimus in peccato,vt gratia abundet. Itaq; ex primo mortis Christi, & nostrae mysterio, tertium, quod est resurrectionis vtriusq;, conficit, & concludit. *SI ENIM INSITI FACTI SVMVS SIMILITVDINE MORTIS EIVS: CERTE ET RESVRRECTIONIS ERIMVS.* Loci huius,qui nonnullis obscurus videri potest, haec (vt opinor) clara est, & aperta

aperta explanatio. Si sacrosancto baptismi mysterio Christo insiti,& coniuncti sumus,tanquam vel membra capiti,vel palmites viti,quod Christus ipse significauit,idq; propterea quòd mortem obiuimus, non eandem quidem, quam ipse Christus, sed similem: qua de re paulò ante dixit. *Quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus*: certum,ac minimè dubium consequens est, eidem nos Christo resurrectionis quoq; similitudine insitos fore. Nostra autem quae sit mors, & quae resurrectio, patefactum iam arbitror. Illa enim est studij,& appetitus peccandi interitus;haec noua, à peccato abhorrens, & aliena vita. Nec est praetereundum, aptissimam esse Pauli translationem ab insitione sumptam. Nam vt in insitione, mortis est & vitae nonnulla similitudo; mortis quidem in veteri trunco;vitae verò in nouello surculo: ita & in nobis mortis est,& vitae species, dum vetus peccandi cupiditas ab Adam desumpta interit, & noua vita, quã Christi gratia tribuit, exurgit, apparet,& eminet. Primum Paulus dixit: Mori peccato. Alterum, In nouitate vitae ambulare. Est ergo perspicuum, vanam, & absurdam esse conclusionem illam, aduersus quam disputamus. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: Manebimus ergo in peccato, vt gratia abundet.

Io. 15.

Mors nostra, et Resurrectio, mortis, et resurrectionis Christi similis.

Insitionis comparatio cum nostrae mortis, ac vitae specie.

HOC SCIENTES.

X primo iterum mysterio tertium conficit, sed loquitur apertiùs, atq; ad eius translationis, quam à morte duxit, & vita, explicationem propiùs accedit: vt quae nostra sit mors, quod hactenus non expresserat, intelligamus. *HOC SCIENTES, QVOD VETVS HOMO NOSTER SIMVL CRVCIFIXVS EST, VT DESTRVATVR CORPVS PECCATI, VT VLTRA NON SERVIAMVS PECCATO,* Haec nostra mors est: veteris hominis, cupiditatis scilicet, quae manauit ab Adam, & est malorum omnium semen, & origo, interitus. Ea enim, mortis Christi merito, ita est, ac si non esset, eneruata valde,& debilitata: quia nisi ei obtemperemus, nullum illa ius, nullam habet in nos potestatem; non imperandi; non subigendi; non accusandi; non condemnandi. Hoc autem ea

Continuatio.

Mors nostra quae?

ea ratione factum est, vt peccati vis omnis, robur omne, imperium omne deleretur: quod quidem fit, si cupiditati nos non obtemperemus; si repugnemus; si tanquam mortuam, & extinctam parui, vel nihili potius, faciamus. Idem autem est, quod hoc loco dixit, seruire peccato, atq; ea, quae suprà dixerat, manere, & viuere in peccato: quod est, cupidum esse, & appetentem in peccato persistendi. A' qua seruitute liberatos nos esse ostendit, dicens. *QVI ENIM MORTVVS EST, IVSTIFICATVS EST A PECCATO.* Eò spectat ista translatio, vt liberos, & solutos à peccati dominatu nos sanctis baptismi mysterijs esse existimemus; non secus atq; si reuera mortui essemus, animi à corpore discessu. Sequitur conclusionis illius iteratio, ad quam haec tota dirigitur disputatio. *SI AVTEM MORTVI SVMVS CVM CHRISTO, CREDIMVS, QVOD SIMVL ETIAM VIVEMVS CVM EO.* Si nec cupiditati obtemperamus; nec peccandi libidine ducimur: quod est, vnà cum Christo in crucem actum, & mortuum esse; sine vlla controuersia, in nouitate, & innocentia vitae, in iustitia, & sanctitate perseuerabimus: tantum abest, vt in peccato manendum sit, propterea quia vbi abundauit delictum, superabūdauit & gratia.

Peccato seruire quid?

Mortui cū Christo simul cū eo viuent.

SCIENTES.

SIMILITVDINEM, quam nuper conclusit, nobisq; tradidit credendam, dicens; *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quòd simul etiam viuemus cum eo*; exquisitiùs enucleat, maioremq; earum rerum conuenientiam esse ostendit, quàm hactenus expresserit. Nam quòd vna tantùm fuerit Christi mors, vnus item in vitam reditus, & vtriusq; causas ad nos pertinere, & ad hanc similitudinem facere docet: vt ab omni cogitatione manendi in peccato nos abstrahat, nullumq; inepto illi sophismati locum relinquat, quod ex abundantia gratiae perseuerantiam, & permansionem in peccato conficiebat. Inquit autem. *SCIENTES, QVOD CHRISTVS, QVI RESVRREXIT A MORTVIS; NON AMPLIVS MORITVR, MORS ILLI VLTRA NON DOMINATVR.* Praeterea, quae de collatione ista docuimus hactenus, scire necesse est vnam dun-

Mors, & resurrectio Christi vna.

duntaxat fuisse Christi mortem, ex qua excitatus, non est amplius mortem subiturus: qui etiam non à morte solùm, sed ab omni mortis dominatu, atq; etiam metu liber est: cuius rei ratio ex mortis, & vitae causis sumenda est. Propterea inquit. *QVOD ENIM MORTVVS EST PECCATO, MORTVVS EST SEMEL: QVOD AVTEM VIVIT, VIVIT DEO.* Mortis Christi causa, peccatum fuit, non suum, sed nostrum: cuius delendi causa, semel mori satis fuit: at verò vitae causa, diuina potentia est: Nam (vt paulò ante dixit) surrexit à mortuis per gloriam Patris; aduersus quam nihil profectò est, quod valeat mors. Haec autem ad nos spectare, atq; ad mortem, & vitam nostram esse transferenda, sic monet. *ITA ET VOS EXISTIMATE, VOS MORTVOS QVIDEM ESSE PECCATO, VIVENTES AVTEM DEO IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO.* Ne fallacissima illa conclusione decipiamur, de qua haec tota quaestio est, mortis cum Christo nostrae causam peccatum esse nostrum statuamus, vitae verò, Dei gratiam, & benignitatem, quam per fidem in Christo collocati consequimur. Igitur quemadmodum Christo denuò moriendum non fuit, cùm vna morte peccatū extinxerit; ita neq; nobis in peccato manendum, peccato iam mortuis. Sicut ille diuina potentia vitam viuit perpetuam, & immortalem; ita, diuina nos adiuuante gratia, nouam, & innocentem continenter ducamus oportet; id, quod cum mansione in peccato è regione pugnat.

Mors Christi vna.

Mortis & Resurrectionis Christi causae?

Mortis & Resurrectionis nostrae causae?

NON ERGO.

DISPVTAVIT hactenus, vt vanitatem conuinceret, atq; redargueret huius argumenti. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: Manebimus ergo in peccato, vt gratia abundet: nunc autem hortatione agit, & praeceptis, qui totius sunt huiusce disputationis fructus. Neq; enim ob aliam causam, hanc introduxerat quaestionem, nisi quia videbat Euangelij, & diuinae gratiae praedicatione abuti multos ad nequitiam, & peccandi licentiam, à mendacibus magistris deceptos, libertatem (vt Petrus ait) promittentibus, cùm essent ipsi serui corruptionis. Est autem hortatio, haec.

Euangelij, & gratiae nominibus abutentes.

2. Pet. 2.

haec. *NON ERGO REGNET PECCATVM IN VESTRO MORTALI CORPORE, VT OBEDIATIS CONCVPISCENTIIS EIVS.* Si statuistis vos mortuos esse peccato, & viuentes Deo in Christo Iesu; superest regnum abrogare peccato, ne in corpore mortali imperet: Si animae libertatem consecuti estis, dare operam ne peccato seruiatis; ne in peccato maneatis; ne in peccandi affectu, & libidine perseueretis; ne peccati cupiditatibus obtemperetis. *SED NEQ; EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA INIQVITATIS PECCATO.* Mortalis vestri corporis membra peccato ne accommodetis; quibus ad vos oppugnandos, tanquam armis iniquitatis vtatur. Viribus corporis ad appetitiones peccati, & eius explēdas cupiditates ne abutamini. *SED EXHIBETE VOS DEO, TANQVAM EX MORTVIS VIVENTES, ET MEMBRA VESTRA ARMA IVSTITIAE DEO;* Deo vos totos credite, atq; committite, tanquam cum Christo mortuos, & Deo viuentes: & eos, quos nouam vitam ducere, nouisq; moribus praeditos esse deceat. Corporis quin etiam vestri membra omnia, tanquam iustitiae arma Deo accommodate, quibus ad iustitiae ipsius, & sanctitatis tutelam, & incrementum vtatur: quandoquidem noui homines creati estis in iustitia, & sanctitate veritatis. Hoc autem, ad quod cohortatur, & excitat, quanquam antea regnante peccato fieri non potuisset, perfacile tum factum esse, & procliue, declarat, inquiens. *PECCATVM ENIM VOBIS NON DOMINABITVR.* Si vos ad Dei voluntatem, & imperium accommodare nitamini, quantumuis licet repugnet peccatum, quod vos ad se trahere, & à Deo conatur abducere, nihil omnino proficiet, aut contra vos obtinere poterit, cuius rei ea est, quae sequitur, ratio. *NON ENIM ESTIS SVB LEGE, SED SVB GRATIA.* Eorum, qui in lege omnem salutis spem ponunt, & eius seruili quodam metu tenentur, conatus omnes irriti sunt, studiaquè omnia vana. Dicant obsecro, quid habet lex, quod ad salutem adipiscendam satis esse iudicari possit? an eorum, quae sequenda, quaeque fugienda sunt, notitiam? at naturae viribus neq; illa omnia sequi, neq; haec deuitare possumus. An peccati cognitionem? at ea nuda si fuerit, peccatum auget, maiusquè facit. An poenae, quam minitatur, denuncia-

Arma iniquitatis.

Arma iustitiae.

Eph. 4.

Lex ad salutem non sufficit, nec solius naturae vires.

tionem,

tionem, & terrorem? an boni re vera, & iusti non sumus, donec poenae metu à vitijs abstinemus, & malefactis. At verò qui Dei gratia, & beneuolentia confidunt, non frustra conantur, & student aduersari peccato; cùm ea primos cupiditatis motus, & impetus condonet, atq; ignoscat; adiumentumq; nobis ferat, qui contra eos resistimus, ac repugnamus; efficiat denique, ne aut peccatum nobis dominetur, aut nos ei obtemperemus.

Abstinētia à vitijs poenae metu, verè bonū non facit.

Diuinae gratiae effectus.

QVID ERGO?

VERVM profectò est, quod praemonuimus: mortalium neminem vnquam adeo cautum, prouidumquè vel in loquendo, vel in scribendo fuisse, vt eius aliquo dicto, quanquam verum illud quidem, syncerumq; sit, ad mendacia, & falsa confirmanda dogmata, malitiosi, & perfidi, atq; etiam voluptati dediti homines, abuti non potuerint. Id equidem sancti non assecuti sunt Apostoli; quamuis non suo, sed Dei spiritu loquerentur. Ecce nobis in Pauli verbis, & sanctissimis decretis, cùm primam vix euasissemus, altera impurorū, ac litigiosorum hominum quaestio, qui cum illud audissent verissimum dictum; *Non estis sub lege, sed sub gratia*: in dubiū vocarunt, in contentionemq; duxerunt. Ne ergo à versutis istis, callidisq; hominibus veritas contaminaretur, eorum quaestionem, ac fallacem conclusionem Paulus ipse sibi proposuit, dicens. *QVID ERGO? PECCABIMVS, QVONIAM NON SVMVS SVB LEGE, SED SVB GRATIA?* Licebit nè nobis hac ratione peccare, quia non sumus sub lege, peccatum vetante? Est nè gratia peccandi licentia; & scelera, ac flagitia concipiendi libertas? Respondēs autem; *ABSIT*; non tolerandam esse ostendit hanc hominum gratiae vim, vel ignorantium, vel deprauantium tortuosam argumentationem, cui in mente pia, & religiosa nullus relinqui deberet locus. Sunt autem id genus quaestiones in Paulo frequentes, eorum hominum gratia, quos ipse vocat animales, qui ea, quae Dei spiritus suggerit, non percipiunt: in quibus illa est mirifica improbitas, quòd ex ea doctrina peccandi ansam arripiant, ex qua ad diuinae gratiae munera agnoscenda, & virtutē amplectendam inflammari oportebat.

Scripturarum praua interpretatio semper fuit.

Peccandi licentiā an tribuat Gratiae praedicatio?

Animales homine.

AN NESCITIS.

T igitur peccandi licentiam cum diuinae gratiae libertate maximopere pugnare ostendat, assumit primum, non esse ignorandum vnumquenq; eius esse seruum, cui & animo sese ad obediendum accomodat, & reipsa obedit. Nam quod de Romanis inquit, ad omnes pertinere dubium non est. *AN NESCITIS, QVONIAM CVI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDVM, SERVI ESTIS EIVS, CVI OBEDITIS?* Non est putandum hoc à vobis ignorari, eius vos esse seruos, cuius voluntati, & imperio vos ipsos promptos, expeditosq; praebetis, cui etiam vestra sponte, & voluntarij obtemperatis. Nam si serui sunt, qui repugnantes & inuiti in alterius potestatem veniunt, ac detinentur, liberi profectò censendi non sunt, qui volentes, ac nihil omnino repugnantes, alij se submittunt cuius pareant iussis. Hoc autem, quod generatim proposuit, vnumquenq; eius esse seruum, cui voluntariè, & ex animo morem gerit, per partes explicat, vt duplex seruitutis genus, & vtriusq; fines agnoscamus, dicens. *SIVE PECCATI AD MORTEM, SIVE OBEDIENTIAE AD IVSTITIAM.* Si vos ipsos peccato dediderìtis, varijs eius cupiditatibus obtemperantes, serui eritis peccati; cuius seruitutis finis mors est; cui non melior vita, sed sempiternum supplicium succedit: sin autem vos obedientiae fidei addixeritis, & quasi consecraueritis, eius serui eritis, cui vni fides morigerari docet; cuius seruitutis finis iustitia est, quam beata subsequitur, & sempiterna vita. Tu verò obedientiam hoc loco eam intellige, cuius ratione ad omnes gentes legatum se dixit esse destinatum, Epistolae huius initio. *Accepimus*, inquiens, *gratiam, & apostolatum ad obedientiam fidei in omnibus gentibus.* Cuius quoq; causa aeternum Iesu Christi mysterium patefactum fuisse dicet. Complectitur autem & fidem, & eam, quam diuinis mandatis debemus obedientiam: quae duo si, quemadmodum oportet, coniuncta, & colligata fuerint, iustitiam pariunt, ac fouent illam, quae ad vitam ducit beatam, & immortalem. Assumit deinde gratias Deo à Romanis habendas esse, ob eam causam, quòd cùm fuissent serui peccati, eius turpissimae seruitutis iugum diuino beneficio repulissent; &

Serui qui? · *Seruitutis genera duo* · *Cap. 1.* · *Cap. 16.* · *Obedientia fidei.*

ex

ex animi deliberatione, atq; sententia ad obedientiam se transtulissent, iuxta eius doctrinae normam, cui traditi fuerant; itaq; à peccato soluti, & liberi, iustitiae sese in seruitutem dedidissent. Quae omnia sic expressit. *GRATIA AVTEM DEO, QVOD FVISTIS SERVI PECCATI, OBEDISTIS AVTEM EX CORDE IN EAM FORMAM DOCTRINAE, IN QVAM TRADITI ESTIS.* Gratiae Deo à vobis habendae sunt, cùm accepti summi beneficij perpetua memoria; tum laudibus assiduis, quòd cum & animi promptitudine, & reipsa peccati cupiditatibus addicti fueritis (id enim est seruum esse peccati) non simulatè, aut fictè, sed ex animo syncero, & integro obtemperastis, eius doctrinae secuti formam, cui ab ijs traditi estis, qui vobis Euãgelium praedicauerunt. Quae, inquies, haec est doctrinae forma? Non alia certè, nisi illa, quam suprà, obedientiam fidei appellauit, & optimam ad iustitiam ducem esse docuit; non secus atq; peccatum ad mortem. *Siue peccati ad mortem*, inquiens, *siue obedientiae ad iustitiam*. Consideratè autem non dixit doctrinam hanc illis fuisse traditam; sed illos doctrinae; vt Euangelium à doctrinis omnibus segregaret humanis. Hae nanq; traduntur ab homine; illud à Deo. Hae doctiores; illud obsequentiores reddit auditores. Harum doctores suam alijs impertiunt doctrinam; illius praedicatores ad Dei doctrinam alios admouent, & applicant; eiq; obedientes efficere student. Ex hac autem obedientia quid nacti fuerint, & quò peruenerint subiecit. *LIBERATI AVTEM A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS IVSTITIAE.* Ex obedientia fidei iustitiam consecuti estis, cuius praeceptis obtemperantes, iustè, & sanctè viuitis. Ex his autem abundè satisfactum est scelestae, & impiae illorum quaestioni, quorum hoc erat contortum, & aculeatum sophisma. Non estis sub lege, sed sub gratia; Peccandum est igitur. Nam gratiae fructus, & beneficium maximum est, à peccati seruitute liberare, & iustitiae seruos efficere. Repugnantia ergo haec, non consequentia sunt: Esse sub gratia, & peccare.

Peccati seruus qui.

Doctrinae Euangelicae breuissima forma.

Euangelij ab humanis doctrinis quid differat.

Sophisma ex Pauli doctrina.

HVMANVM DICO.

Christianorum sub gratia status.

DOCVIT hactenus duo illa, quae coniungere, & consociare alij nitebantur, inter se pugnare; peccatum nempe, & gratiam; vt Christianorum hominum sub gratia statum à peccandi cupiditate alienum esse monstraret: hortatur nunc eos, qui à peccati ad iustitiae dominatum migrauerāt, ita deseruire iustitiae, quemadmodum peccato ante id tempus deseruire consueuerant, sed praemittit. *HVMANVM DICO, PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRAE.* Cum longè inferiora dicturus esset, quàm res ipsa, quam tractat, requireret, rationem se habuisse ostendit humanae imbecillitatis, eiusq; causa cohortationem moderantiùs temperasse. Hortatur enim, ne segniores posthac essent ad iustitiae praecepta capessenda, quàm antea fuissent ad obtemperandum peccati cupiditatibus, cùm multò promptiores, & alacriores iustitiae, quàm peccati seruos esse oporteat; sed hominis agnoscit infirmitatem, eiusq; virium imbecillitatem metitur: propterea faciliora proponit; neq; statim ad ea, quae magna, & ardua sunt, inuitat. Inquit enim. *SICVT ENIM EXHIBVISTIS MEMBRA VESTRA SERVIRE IMMVNDITIAE, ET INIQVITATI, AD INIQVITATEM: ITA NVNC EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE IVSTITIAE AD SANCTIFICATIONEM.*

Hortatio humanae imbecillitati accommodata.

Humanae consulens infirmitati faciliora proponit.

Hoc illud est, id quod vos hortor, & à vobis requiro: vt quemadmodum antehac mortalis vestri corporis membra, arma iniquitatis peccato detulistis, quibus ad impuritatem, & iniquitatem, varia scilicet peccatorum genera, tanquam seruitijs abuteretur; ex vno scelere in aliud, caecorum, & amentium more, ruentes, ac saepe peccantes: non secus & nunc, nec minori alacritate, illa eadem corporis vestri mēbra, arma iustitiae Deo accommodetis, ad iusta, & honesta opera, ex quibus vestra proficiscatur sanctitatis, & assiduae ad puriorem, sanctioremq; vitam progressiones. Hoc autem, quod sequitur, ad cohortationem quoq; pertinet. Dum enim vtriusq; seruitutis & fructum ob oculos ponit, & finem, alteram fugiendam esse; amplectendam alteram, & arctè retinendam admonet. Itaq; primùm, tanquam inter se contra-

Seruire immunditiae.

Seruire iustitiae.

rias,

rias, vnà consistere non posse has seruitutes proponit, dicēs. *CVM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI, LIBERI FVISTIS IVSTITIAE.* In illo vestro priore statu erat cum seruitute libertas: nam cùm tanquam serui in potestate peccati essetis, à iustitia liberi prorsus eratis, nempe iniusti, ac nullo iustitiae vinculo constricti. Quae enim contraria sunt, coniungi simul nequeunt. Deinde quaerit, *QVEM ERGO FRVCTVM HABVISTIS TVNC IN ILLIS, IN QVIBVS NVNC ERVBESCITIS?* Ex illa seruitute, & hac libertate, quem obsecro fructum collegistis? Satis autem, quidnam illi respondere potuissent, indicauit, cùm dixit: pudere nunc eos praeteritae impuritatis, & iniquitatis, quia nullum ex eis fructum percepissent: id, quod subiecta ratione manifestat. *NAM FINIS ILLORVM MORS EST.* Quis ergo fructus illarum actionum esse potuit, quae ducunt ad mortem cum sempiterno cruciatu coniunctam? Nullus planè. At verò alterius seruitutis vberrimum esse fructum, & finem expetendorum omnium optimum, sic ostendit. *NVNC VERO LIBERATI A PECCATO, SERVI AVTEM FACTI DEO, HABETIS FRVCTVM VESTRVM IN SANCTIFICATIONEM, FINEM VERO VITAM AETERNAM.* Hoc tempore, quo (vt diximus) non sub lege vitam, sed sub gratia ducitis, tantum abest, vt peccato obtemperandum sit, vt liberi prorsus ab eius imperio vnius Dei serui sitis, cuius seruitutis fructus iucundissimus sanctitas est, quae est vitae innocentia, à peccati contagione libera, in qua continenter progredi, & proficere debetis, quoad optatissimum illum beatae, & sempiternae vitae finem vltimum assequamini. Sed ne aequo, & pari iure seruis peccati, mortem; & seruis Dei, vitam aeternam respondere arbitraremur, pulcherrimam hanc addidit sententiam. *STIPENDIA ENIM PECCATI MORS: GRATIA AVTEM DEI VITA AETERNA IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO.* Peccati seruis misera redditur & calamitosa mors, non aliter atq; militi iusta ac debita persoluuntur stipendia. Seruis autem Dei vita aeterna gratis donatur, non illa quidem ratione, quam diuini, humaniq; iuris euersores haeretici vsurpant, quòd omni prorsus careant merito: sed quia omnia illorum merita ex Dei

Seruitus cum libertate.

Mors quomodo peccatorũ finis.

Sanctitas fructus diuinae seruitutis.

Vita aeterna finis.

Mors peccatori quo redditur.

Vita aeterna quomodo datur.

Merita vitae aeternae.

Dei gratia oriantur. Serui peccati sua sponte, & voluntariè miserrimam seruiunt seruitutem. Serui verò Dei quod neque per seipsos velle, neque humanis vllis viribus assequi vnquam potuissent, diuinae benignitatis fauore sunt assecuti: nempe vt Deo seruirent, & vitam aeternam promererentur. Haec autem tanta Dei benignitas in illis quidem haerere primùm non potuisset: propterea in Christo Iesu collocata dicitur, vt ex eo, tanquam capite, & fonte dimanaret ad alios, qui fide cum eo coniuncti essent, & consociati. Hic mihi vide, quos ad vitam aeternam gradus Paulus numerauerit. Obedientiam primùm, quae Dei verbo absq; vlla tergiuersatione debetur. Iustitiam deinde, quae cum à peccati seruitute liberat, tum Dei seruos constituit. Denique sanctitatem, quae in odio peccati, ac Dei puro, synceroq; cultu, & in vitae innocentia, perpetua permansione, consistit.

Gradus ad vitã aeternam.
Obediẽtia.
Iustitia.
Sanctitas.

A N

65

AN IGNORATIS.

QVOD dixit Paulus, Non sumus sub lege: duplicem habere poterat quaestionem, Alteram eorum, qui peccandi licentiam, & carnis libertatem vndiq; aucupabantur, & colligebant: qui hac audita voce laeti tanquam quod diu quaesissent, nacti, concludebant. Peccabimus, quia non sumus sub lege. Et huic quidem quaestioni abundè satisfactum est. Alteram Iudaeis peculiarem, quibus haec vox dura, indigna, intoleranda erat: cùm nullam seclusa lege agnoscere vellent ad salutem viam. Hanc igitur nunc quaestionem Paulus aggreditur, & suam de lege sententiam in lucem veritatis profert. Erat enim ea maximè ratione Iudaeis, illis quoque, qui in Christum crediderant, grauiter suspectus, atque infensus; quòd audissent eum, & legi aduersari, & Moysi, qua de re Hierosolymam cùm venisset, commonefecit eum Iacobus; vtq; de ea se Iudaeis purgaret, adhortatus est. Quod ipse libenter quidem fecit, ne hac ratione, quae honestatis speciem habere videbatur, Euāgelij praedicatione prohiberetur. Primum ergo Iudaeis ipsis, tanquam legis studiosis, defensoribus, ac penè patronis, proponit, legem ius legitimum, & auctoritatem tandiu habere, quoad eam per mortem amittat. Inquit autem. *AN IGNORATIS FRATRES, SCIENTIBVS ENIM LEGEM, QVOD LEX HOMINI DOMINATVR, QVANTO TEMPORE VIVIT?* A vobis quaero, qui tanquam legis magistri, in eius doctrina assidui estis, ac propterea quod de lege dicturus sum, verisimile non est à vobis ignorari, an non legis in hominem vis, atq; imperium, morte extinguitur, atq; deletur? Neq; verò laborandum hoc loco est, qua de morte loquatur Apostolus; siue legis, quae est eius abrogatio; siue hominis: nihil enim prohibet, ambiguum hunc sermonem in vtramq; sententiam interpretari: de vtraq; etenim & legis, & hominis morte accipi potest. Nam siue moriatur homo, cui lex sancita est; siue lex ipsa abrogetur, omne illa perdit imperium, omnemq; potestatem. Quòd autem de qualibet lege communiter dixit, vnius separatim legis docet exemplo: eius nempe, quae est de matrimonio. Ea namq; mortuo viro, omne ius, omnem

CAPVT VII.

Iudaeorū de lege quaestio.

Act. 21.

Legis vis, atq; imperium quando deletur.

Lege matrimonij de-

omni lege concludit.

omnem perdit auctoritatem ; neq; vllum deinceps in mulierem habet dominatum : qua de re inquit. *NAM QVAE SVB VIRO EST MVLIER, VIVENTE VIRO, ALLIGATA EST LEGI.* Non licet nuptae mulieri, & quae matrimonij lege in viri potestate est, quoad ille vixerit, ab eo discedere. *SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS SOLVTA EST A LEGE VIRI.* At cum è vita vir eius excesserit, abrogata est, quod ad eam attinet, & antiquata lex de matrimonio : Ex hoc autem exemplo id, quod sequitur, aptè omnino, congruenterq; concluditur. *IGITVR VIVENTE VIRO, VOCABITVR ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO.* Si ergo mulier, donec vir ille, cui matrimonij lege copulata est, in vita fuerit, cum alio se viro coniuxerit, in ius vocabitur, ac fiet adulterij rea. *SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, LIBERATA EST A LEGE VIRI, VT NON SIT ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO.* Sin autem defuncto viro, alteri nupserit, seq; in matrimonium collocauerit, adultera non censebitur. Morte igitur viri, ius omne, atque imperium legis, quae est de matrimonio sublatum est. Nullā autem hoc loco Paulus diuortij mentionem fecit : qui etiam illud è medio tollere videtur, cùm vna tantum viri morte coniugij vinculum solui doceat. Tenebat scilicet Iesu Christi sermonem illum, quo neq; à natura, neq; à lege diuortium esse ostendit, sed duris Iudaeorum animis, & barbaris moribus à Moyse datum, ne vxorum fastidio in immane aliquod scelus delaberentur.

Matrimonium quādo soluitur.

Diuortiū sublatum.

ITAQVE.



HOC totum, quod de legis vi, & potestate, tanquam omnibus, Iudaeis praesertim manifestū proposuit, ad illud accommodat, quod docendum suscepit : quid videlicet de lege sentiēdum sit, & in quem sensum accipiendum, quod dixerat. Non sumus sub lege. Inquit ergo. *ITAQVE FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPVS CHRISTI.* Iudaeos, quos hoc loco perstringit, eo quòd legem nimis arctè amplecterentur,

Iudaei legis defensores.

tur, nimis accuratè defenderent, ac mordicus tenerent, non verbis asperioribus, sed leniſſimis appellãs: Fratres (inquit) mei, qui hoc, quod à me dictum est: *Non sumus sub lege:* aegriùs fortaſſe, quàm par est, feretis, hoc meum dictnm, nõ alterius cuiuſquam, sed meiјpſius interpretatione explicatum attendite. Vos vos inquam mortis Christi, & corporis eius interfecti, & perempti ratione, interfectos, & peremptos eſſe quodammodo affirmo, quantum videlicet ad legem attinet. Nam à legis tutela, dominatu, & imperio ſoluti eſtis, & liberi, non ſecus atq; mulier defuncto viro, à lege coniugij. Non igitur amplius, quemadmodum antea, omnis veſtra ſpes, ratio, cogitatio, vita, ſalus ex lege pendet. Quomodo autem (inquiet Iudaeorum aliquis) ſine lege vitam ducemus, & ſalutem, quam lex promittit, adipiſcemur? Reſpondet, cùm inquit. *VT SITIS ALTERIVS, QVI EX MORTVIS RESVRREXIT.* Quemadmodum mulieri mortuo viro, alteri citra adulterij crimen nubere licet: ita & vos, legi mortui, eò perducti eſtis, vt cum Christo Ieſu, è mortuis excitato, coniuncti ſitis; ſub eius tutela, ductu, & imperio collocati. Neq; verò ab re cùm corporis Christi, & mortis eius mẽtionem feciſſet, reſurrectionis quoq; meminit: vt eos cum viuente Christo coniunctos eſſe, & viuentem nactos eſſe maritum, & ducem oſtenderet, qui certiſſimus ad vitam, & ſalutem ductor eſſe poſſet: quod lex non poterat, in lapideis, & mortuis tabulis deſcripta. Ex hac autẽ arctiſſima coniunctione illud perfectum eſt, quod ſub lege perfici nunquam potuit. *VT FRVCTIFICEMVS DEO.* Eos fructus, quos à nobis requirit Deus, duce Christo feramns: quos quidem in ea, quae ad Galatas eſt, epiſtola, enumerauit. Sed magnam hoc loco, & diuinam Pauli prudẽtiam animaduertamus. Cum Iudaeis diſſerens, qui mentem habebant in legem maximè intentam, & infixam, non dixit mortuam eſſe legem, & diuina abrogatione ſublatam: ad eam enim vocem furore illi, & ira excanduiſſent, ab eius doctrina, & euangelio animos auertentes: ſed eos dixit legi mortuos, & cum Christo Ieſu copulatos: ac ſi diceret. Non eſt equidem ita mortua, & abrogata lex, vt aliquod officium non retineat, ſitq; nullius omnino vſus, ac penitus extincta, nam & peccati praebet notitiam, & quid agendum, quidq; deuitandum ſit, edocet: & multa quae in ea leguntur, ad Christum pertinere, & in Christo per-

Iudaei quomodo mortui legi.

Mortui legi cũ Christo coniungendi.

Fructus ſub lege nullus.

Lex an mortua.

Legis officium, & vſus.

fecta esse ostendit: verum vobis, per fidem cum Christo coniunctis, non est ea ratione necessaria, vt eam, tanquam ad iustitiam, & salutem, ducem sectemini. Nam duce, & auctore Christo omnia consequemini, quae legis ductu, & imperio quaerere quidem, sed adipisci nunquam potuissetis. Sed ad fructus reuertamur, de quibus dixit. *Vt fructificemus Deo:* quos quidem sub lege ferri non potuisse quanquam illa interrogatione ostẽderit: *Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?* apertiùs nunc declarat: ex quo illud etiam efficitur; ad hos fructus ferendos necesse fuisse mori legi, & cum Christo coniungi; omnes videlicet spes, cogitationesq; nostras à lege ad Christum transferre. Inquit autem. CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE. Esse sub lege est esse in carne: qui status est hominis sibi praefidentis, & ab omni diuini spiritus praesidio destituti, qui ad rectè agẽdum, nullum habet stimulũ, nisi poenae lege constitutae metum. *PASSIONES PECCATORVM, QVAE PER LEGEM ERANT, OPERABANTVR IN MEMBRIS NOSTRIS, VT FRVCTIFICARENT MORTI.* Vt saepe diximus, lex, quae nullam habet vim, nisi prohibendi peccatum; nullum incitamentum, nisi damnationis terrorem, ac poenae formidinem; peccandi impetus, & affectus commouebat, & augebat, membraq; nostra excitabat, ad earum rerum appetitiones, quae lege vetantur: atq; ita non Deo vitae, & salutis auctori; sed morti, atq; damnationi membra nostra seruiebant, fructusq; edebant. Sequitur autem aperta sententiae illius explicatio: *Mortui estis legi.* Inquit enim. *NVNC AVTEM SOLVTI SVMVS A LEGE MORTVI, IN QVA DETINEBAMVR.* Hoc tempore cum Christo Iesu mortui, & cum eo arctissimo fidei vinculo coniuncti, soluti sumus à lege. Quomodo (dicet aliquis) soluti? Ab eius nempe ductu, & potestate liberi: atq; quod ad legem attinet, sub cuius imperio coacti poenae formidine detinebamur, mortui. Hoc autem eandem habet vim, atq; illa, quae suprà dixit. *Non sumus sub lege. Legi mortui sumus:* quibus nihil planè aliud intelligi voluit, nisi legem nobis non dominari; sub legis imperio, tutela, & ductu non esse; duce lege vitam non instituere, neque salutis spem in lege ponere. Sed ne ex his contemnendam esse legem, nullaq; ei ratione obtemperandum statueremus, adiecit. *VT*

Cap. 6. Mori legi, & cũ Christo coniungi cur necessarium.

Esse sub lege quid.

legis tota vis.

Mortui legi quomodo sumus.

Legi mortuũ esse, & sub lege nõ esse, idem.

SERVIAMVS IN NOVITATE SPIRITVS ET NON IN VETVSTATE LITERAE. Haec nobis concessa libertas, atque à lege ad Christi gratiam migratio, eò pertinet, vt Deo seruiamus, atque eius mandatis studiosè, diligenterq; pareamus; nō nostris viribus freti, sed sancti Spiritus mentem, animumq; nostrum renouantis, ope firmissima: non literae extrinsecùs praecipientis, nihil interiùs renouantis, metum tantùm incutientis, ratione; sed charitatis, qua renouatur animus; lex in corde scribitur; timor foras expellitur.

Libertas à lege quomodo accipiēda.

QVID ERGO.

ÆC, quae hactenus de lege attulit, ne malus aliquis verae, atque syncerae doctrinae interpres, cuiusmodi multi & nunc sunt, & semper fuerunt vbiq; terrarum homines, in legis dedecus, & ignominiam detorqueret; perdifficilem, & obscuram ipse sibi suo more quaestionem posuit, dicens. *QVID ERGO DICEMVS? LEX PECCATVM EST?* Hoc enim ex eo consequi fortasse videri potest, quod primùm dixit, mortuos nos esse peccato, deinde etiam legi, ac si lex peccatum esset. Dixit praeterea, peccatorum affectus ex lege esse, & vsq; eò in nobis creuisse, vt fructus morti ederemus: cui consequens videri poterat, legem vel esse peccatum, vel peccati causam. Respondet autem. *ABSIT.* vt extra modum absonā, absurdam, dissentaneam eam esse consequētiam indicaret. Ad huius deinde argumenti vanitatem declarandā, quodnam peculiare sit, ac proprium legis opus, ostendit. Ex suo enim cuiusq; certo opere, ac peculiari munere res singulae sine vllo errore dijudicantur. Propterea inquit. *SED PECCATVM NON COGNOVI, NISI PER LEGEM.* Incipit hoc loco Paulus genus humanum vniuersum in se vnum transferre, ita vt quae de seipso affirmat, non ad ipsum tantùm, sed ad omnes homines pertinere intelligamus. Hoc autem ad finem vsq; huius disputationis facit, partim quidem, vt quae tractantur, obscura ea quidē, & inuoluta euoluat, clarioraquè, & apertiora efficiat, sub vnius hominis, suijpsius videlicet exemplo proposita: partim verò vt quicunq; haec legerit, & ad eorum sensum, atq; intel-

Lex an sit peccatum.

Cap. 6.

Responsio.

Legis opus proprium.

Homines omnes in se vnum cur transferat Paulus.

ligentiam penetrare optauerit, ad se omnia transferat, in se vera esse agnoscat, tanquam de se dicta accipiat. Hoc igitur est, quod intelligit. Si lex mihi peccatũ indicauit, & sub mentis aspectum posuit, non est ea quidem peccatum, sed peccati potius index. Quod quidem in interiore illa peccatorum omnium radice, quae peccatum rationabiliter nuncupatur, planum facit, & apertum inquiens. *NAM CONCVPISCENTIAM NESCIEBAM, NISI LEX DICERET, NON CONCVPISCES.* Nesciebam (inquit) cupiditatem, natura nobis insitam, ac pessimã illam, & occultam, quae in homine viget, malorum omnium radicem, esse peccatum, nisi eam lege prohiberi audiuissem. Non est autem vsus externarum rerum, quae lege vetantur exemplis; sed interioris tantùm cupiditatis. Nam cum secũdum naturam ea esse existimaretur, peccatum non reputabatur. Sed mirum quidem videtur, quomodo Paulus ignorasse se dixerit cupiditatis vitium, quoad illud lege vetitum animaduertisset? cũ philosophi ferè omnes, qui de moribus scripsère; & de lege hac, quae vnis Iudaeis data erat, nihil penitus acceperant, cupiditatis vitium cognouerint; accusauerint; deq; eo coercendo multa praeceperint. *Cupiditates,* inquit maximus ille orator, egregiusq; philosophus, *sunt insatiabiles: quae non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt: totam etiam labefactant saepe Rempublicam. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. Nec hae esse foris solùm iactant; nec tantùm in alios caeco impetu incurrunt; sed intus etiam in animis inclusae, inter se dissidẽt, atq; discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici.* Quid aduersus cupiditates aut verius dici potuisset, aut eloquentius? Ad hoc autem dicendum est, ex hoc loco liquere, non prohiberi, aut damnari illo legis mandato, *Non concupisces,* mala, quae ex cupiditate oriuntur, & ad quae cupiditatis impetu impellimur: de his enim alijs legis mãdatis speciatim cauetur, & ipsa naturae lege, quam ducem, & magistram secuti sunt philosophi: sed illos ipsos per se cupiditatis primos, quos appellant motus, & impulsus, quos neq; damnare, neq; vituperare ausi sunt philosophi, qui & eos naturales esse existimarunt, & in hominis potestate non esse: in eiusmodi autem rebus neq; virtutem, neq; vitium collocauerunt. At diuina lex, quae maximum hoc malum, immo malorum om-

Concupiscẽtia quomodo cognita est esse peccatum.

Quomodo Paulus cupiditatem esse vitium, se ignorare dixerit.

Cic. de fin. lib. 1.

Concupiscentia quõ à philosophis, et quõ à lege damnata.

Philosophi primos motus dãnare non sunt ausi.

omnium caput, & fontem, vel subire, vel deuitare, in hominis aliquando potestate fuisse docet, tanquam non à natura, sed ab Adae veteris illius totius humani generis parentis contumacia profectum, prohibet, condemnat, interdicit: vt nō modò peccatum illud esse agnoscamus, verùm etiam vnius Dei, & Domini nostri Iesu Christi merito ignosci. Qua de re sanè luculenter in his, quae sequuntur Paulus ipse aget, & Augustinus, qui Paulum vbiq; sectatur, pluribus locis egregiè disputat; qui illud etiam asseuerare ausus est: mandatum hoc, *Non concupisces*, ad hanc vitam minimè pertinere; sed illud, quod monet Sapiens. *Post concupiscentias tuas non eas.* Ideo autem praeceptum fuisse, vt admoneremur, quid fide exposcere; quo spem praemittere; & obliuiscendo, quae retro sunt, in quae anteriora nos extendere debeamus. Sed iam ad ea, quae sequuntur, Pauli verba regrediamur. *OCCASIONE AVTEM ACCEPTA, PECCATVM PER MANDATVM OPERATVM EST IN ME OMNEM CONCVPISCENTIAM.* Vide, quàm paucis verbis peccatorum omnium patefaciat originem; vt legem non modò peccatum non esse, sed ne peccati quidem causam ostendat. Cupiditas (inquit) quae peccatum illud est, lege patefactum, atque manifestatum, cùm seueriore legis mandato vetita esset, & interdicta, eam interdictionem, tanquam ansam arripuit incitandi hominem, qui licere sibi omnia vult, & nulla re, quae eum delectet, prohiberi; ad omniū earū rerū, quae alijs legis mandatis vetantur, effrenatam quandam appetentiam. Haec ergo est peccatorum omnium origo, cupiditas malorum mater feracissima, legi infesta, atque inimica: cui vt obsistat, atque repugnet, tanquam mala quaedam iners, & inutilis arbor multos noxios, & pestiferos ramos vsquequaque diffundit. Constat itaq; neq; peccatum, neq; peccati causam esse legem. Quod quidem cùm adhuc obscurum videri possit; latiùs explanat, patefacit, & illustrat: vt intelligamus, quod modò dixit, legem occasionem fuisse peccato, omnes in homine gignendi cupiditates: quamobrem inquit. *SINE LEGE ENIM PECCATVM MORTVVM ERAT.* Cupiditas illa, prauusq; animi impetus, quod peccatum appellauimus, cùm sine lege neq; cognosceretur, neq; suas omnes vires possideret, quarum magnam partem accepit à lege: nam (vt

Diuina lex concupiscētiam damnat, tanquam ab Adam profectam.
Aug. de spiritu, & li. cap. 35.
Concupiscentia in hac uita nō penit⁹ extinguitur.
Eccle. 18.
Peccatorū omniū origo.
Dictorum confirmatio.

Concupiscentia sine lege tāquā mortua.

1. Cor. 15.

Philipp. 3.

Paulus an aliquando sine lege vixerit.

In alterius personā hic Apostolus loquitur.

(vt alio loco inquit) *Virtus peccati lex*; tanquam mortua iacebat, peccati nomen, & rationem nondum induta. *EGO AVTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQVANDO.* Quando obsecro sine lege Paulus vixit? An nè Iudaeus natus non est, qui se Hebraeum ex Hebraeis esse dixit? An cùm ipse nasceretur, lata fortasse lex nondum erat, quae tot antea annos in exitu Israel de Ægypto lata fuerat? An legem in omni vita sectatus non est, qui secundum legem, pharisaeum; secundum aemulationem, vexatorem Ecclesiae Dei; secundum iustitiam, quae in lege est, versatum se esse dixit sine querela? Quid ergo est quod ait, Ego autem viuebam sine lege aliquando? In se (vt diximus) quae ad alios pertinent, hoc loco transtulit: & de ea humani generis maxima parte loquitur, quae legem non acceperat, atq; hanc ipsam cupiditatem peccatum esse ignorabat: id quod sola lege patefactum est, cum effrenata, & praeceps ad mala, & scelera omnia in homines importanda ferri coepit. *SED CVM VENISSET MANDATVM, PECCATVM REVIXIT, EGO AVTEM MORTVVS SVM.* Promulgata lege in

Cōcupiscētia quō per legem reuixerit, et hominem occiderit.

qua scriptum erat, *Non concupisces*, peccatum huic mandato contrarium, & repugnans, quod in Adae contumacia ortum, ad legem vsq; ignotum, occultum, & imbecillum, quasi extinctum fuerat, in vitam quodammodò rediit. Nouis enim, & maioribus viribus in hominem feruere coepit, & insolenter furere, ita vt hominem ipsum vita priuauerit: qui hoc cognito peccato, ab eo non abstinuerit; concupiscere perrexerit; & se ab ea quae sola, & vera vita est, exclusum non intellexerit. *ET INVENTVM EST MIHI MANDATVM, QVOD ERAT AD VITAM, HOC ESSE AD MORTEM.* Ex accurata harum rerum consideratione compertū est, & patefactum, id accidisse, quod à legislatoris mente plurimùm aberat; vt legis mandatum homini datum, quò esset illi ad vitam aeternam nanciscendam adiumento, id neglectum nonnihil ad eius mortem conferret. Quid ita? an quia

Mandatū datum ad vitam, qūo ducit ad mortem.

lex peccatum sit, proinde peccato, & morti opituletur? an aliquo alio legis id vitio accidit? Minimè omnium: sed ea ratione, quam paulò ante breuiter attigit, & nunc denuo exponit, dicens: *NAM PECCATVM OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATVM. SEDVXIT ME, ET PER ILLVD OCCIDIT.* Hoc illud est, quamob-

rem

rem mandatum, vitae gratia traditum, mortem inuexerit. Nam intinium illud cupiditatis peccatum, lege patefactum, & vetitum, ad aliorum omnium, quae lege interdicta erant, desiderium allicere coepit & attrahere: qua ratione & hominem de via abduxit, & in multa peccatorum genera induxit, in quibus acerbissimus consistit interitus. Hoc equidem respondet, & quadrat primae illi priscorum parentum nostrorum lapsioni, & morti: illos enim & astutè decepit serpens, & miserè occidit. Itaq; factum est, vt cupiditas, serpentis calliditate, in homine nata, serpentis ipsius vicaria esset ad homines circunscribendos, & occidendos: occasione ex legis, cum illo primo de cupiditate; tum alijs mandatis arrepta. Cùm ergo patefactum sit, peccatum ex legis mandato, sempiterni cuiusdam, & infiniti mali serendi ansam accepisse; omnem cupiditatem in homine genuisse; atq; eum decepisse, & occidisse; idq; totum non mandati, sed peccati vitio accidisse; quid de lege, & illo legis mandato, cupiditatem vetante, & circuncidente, sentiendum; quidq; ad hanc, quam tractauit, quaestionem, dicendum sit, concludit. *ITAQ; LEX QVIDEM SANCTA, ET MANDATVM SANCTVM, ET IVSTVM, ET BONVM.* Lex sancta; quia ad peccati admodum necessariam cognitionem adducit. Mandatum sanctum; quia datum est, vt ad vitam aeternam nanciscendam adiumento esset. Mandatum iustum; quia quod iniquum, & vetandum est, vetat. Mandatum bonum; quia non omne id, ex quo inducendi ad peccatum occasio sumitur, peccatum est: alioquin nihil esset in vniuerso adeo bonum, adeoq; perfectum, quod peccatum non esset.

Cõcupiscẽtia serpẽtis vicaria.

Lex quomodo sancta.

Mandatũ quomodo sanctum, iustum, & bonum.

QVOD ERGO.

OMNIA maximè prouidet, diligenter circumspicit, & accuratè considerat Paulus; ne ex suis fortasse verbis, suaq; doctrina ansam quis arriperet prauae alicuius opinionis. Huic enim vni rei, malitiosi, & subdoli eius aduersarij quã maximè inhiabant: qui cùm ex superioribus dictis efficere conati essent, legem ex Pauli sententia peccatum esse; idq; telum ex eorum manibus Paulus ipse iam extorsisset, ostendissetque, legem non esse peccatum, sed ex lege peccatum inferen-

Consequẽti calumniae prouidè occurrit Apostolus.

ferendae mortis occasionem accepisse; illud deniq; verissimè confecisset, legem sanctam esse, mandatum quoq; sanctum, & iustum, & bonum: hanc quoq; conclusionem calumniabātur. Nam de illorum persona, quae sequitur, accipienda est interrogatio. *QVOD ERGO BONVM EST, MIHI FACTVM EST MORS?* Mandatum ergo per se, & sua natura bonum, mihi traditum, mortis est, & damnationis ratio? studebant isti, quod cupiditatis peccato tribuendum erat, id legis mandato tribuere, vt Pauli doctrinam in inuidiam adducerent; ac si hominem excusaret; Deū legislatorem accusaret; non hominem sed legem malam esse conuinceret; non in hominem, sed in legem mortis, & damnationis causam referret. Paulus autem, vt consueuit, ad huiusmodi absurda, & absona respondet. *ABSIT.* Hoc, quod omnium ratione vtentium mentes aspernantur, ac respuunt, à me vnquam aut dictum, aut cogitatum fuisse. Quae verò ex sua sententia, malorum omnium, & praecipuè mortis causa fuerit, ostendit, cùm inquit. *SED PECCATVM, VT APPAREAT PECCATVM, PER BONVM, OPERATVM EST MIHI MORTEM.* Hoc est, quod dixi: hoc est, quod doceo. Peccatum cupiditatis, quod ante legem occultum delitescebat, & ne peccatū quidem reputabatur, lata lege, cuius sanctum illud, iustum, & bonum mandatum fuit, *Non concupisces*; repente prosiluit, seq; aperuit. Nam arrepta ex ea graui planè, & odiosa interdictione ansa, hominis mortem, & damnationem moliri, ac struere coepit: dum rerum omnium, quae lege vetantur, quemadmodum suprà dictum est, vehementiores appetitus excitauit, quibus assentiri quid aliud est, quàm mortis, & sempiternae damnationis reum fieri? Sequitur autem. *VT FIAT SVPRA MODVM PECCANS PECCATVM PER MANDATVM.* Hoc autem est, quod ad nos attinet, cognoscere, & statuere immoderatam, ac vehementem huius peccati iniquitatem, malitiam, fraudē: dum illud videmus ex sancto, iusto, & bono legis mandato furere, irritari, feruere; &, quod ad hominis vtilitatem spectabat, ad eius damnum: quod ad vitam; ad mortem: quod ad salutem; ad exitium legis mandatum conuertere.

Mandatū bonum an homini fuerit mortis causa, & dānationis.

Malorum omnium causa.

Peccatū ex lege occasionem accepit mortis inducēdae, & dānationis.

Peccati immoderata malitia.

SCIMVS ENIM.

NTERPOSITA, & soluta quaestione, quae oriri potuisset ex eo, quod dixerat, legem esse sanctam, & eius mandatum illud, *Non concupisces*, sanctum quoque esse, iustum, & bonum: ad id nunc explanandum reuertitur, quo perspicuum faciat, & omnibus ostendat, veram hanc fuisse, quam attulit cōclusionem de legis, & mandati sanctitate, iustitia, bonitate. Itaq; inquit, *SCIMVS ENIM, QVIA LEX SPIRITVALIS EST, EGO AVTEM CARNALIS SVM, VENVNDATVS SVB PECCATO.* Legis omne studium hoc est, vt homines efficiat spirituales: nullo enim alio vocabulo tam aptè, atq; congruenter, quod Paulus sibi vult, explicari posset. Quinam (inquiet aliquis) spirituales sunt homines? Perfecti illi, inquam, & perpurgati, qui nullam in seipsis sentiunt motionem, quae doctrinae normae, & regulae sancti spiritus aduersetur. Tales non erant Corinthij, cùm ad eos haec scriberet Paulus. *Ego fratres non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.* Quid dixi Corinthij? qui ab hac perfectione longissimè aberant; ne mortalium quidem vllus, quātūuis iustus, & sanctus, quoad corpus istud gesserit, quod Paulus appellat animale, hanc omni ex parte perfectionem absolutionemq; adipisci potuit. Tum autem verè, ac plenè sancti, & iusti homines spirituales erunt, cùm animali isto seminato corpore exurget spirituale; vnde radicitùs sublata, atq; extracta cupiditate, Spirituisancto nulla prorsus ratione repugnet. Proinde non de vno duntaxat Paulo, sed de Sanctis, & iustis omnibus, mortalem hanc vitam viuentibus, accipiendum est, quod ait: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* Nemo cupiditatis peccato, quod cum Dei spiritu, tanquam è regione continenter pugnat, omnino vacat: cùm omnes in eius potestatem, tanquam mancipia traditi à primo mortalium omnium genitore simus; ita vt ne iusti quidem ab ea seruitute omnino liberi censeantur. Nam etsi iustitiam in hac vita possideant; nondum tamen iustitiae sunt adepti coronam: iustitiam enim ita tenent, vt eam aduersus aduersan-

Legē sanctam esse, & mandatū sanctū, iustum, & bonum.

Legis scopus.

Spirituales qui.

1. Cor. 3.

Corinthij carnales.

Spiritualis in hac vita perfectè nemo.

1. Cor. 15.

Sancti omnes, & iusti in hac vita carnales.

Iustitia.

Iustitiae corona.

tem, ac repugnantem cupiditatem assiduè tueri oporteat: qua extincta, atq; deleta; & à carne, quae tum reuera spiritualis erit, eiecta penitus, atq; expulsa, tanquam teterrimi huius mali, & perpetui hostis victores, iustitiae corona donati, summa in pace, & tranquillitate regnabunt. Paulus enim cùm ad Timotheum scriberet, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui*; iustitiam declarabat suam: qui nihilominus iustitiae coronam expectare se ostendebat, cùm adderet. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Vt autem vnusquisq; se cum Paulo carnalem, & sub peccati huius ditione agnoscat, ac fateatur, videat, an in se sentiat, atq; experiatur, quod Paulus ipse de se apertè confitetur, atq; ingenuè praedicat, cùm inquit. *QVOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO*. Cognoscat quisq; semetipsum, dijudicet, & examinet ex suis operibus; ac primùm videat, an haec cum Paulo dicere possit. Opus meum tanquam meum, & à mea voluntate exortum non agnosco, non approbo: aliunde enim quàm ex animi mei sententia, iudicio, deliberatione proficiscitur. Quomodo autem (inquiet aliquis) hoc fieri potest? Audiat optimum naturae, vitae, & actionum humanarum aestimatorem, optimum magistrum, & verum suae sententiae interpretem; qui, quod dixit, explanans, ait. *NON ENIM QVOD VOLO BONVM, HOC AGO; SED QVOD ODI MALVM, ILLVD FACIO*. Quodnam bonum hoc est, quod vult quidem, sed non facit iustus hic, & sanctus Apostolus? quod malum, quod est illi odiosum, & facit? Illud certè nihil est aliud, nisi iustè, & rectè agere; diuinaeq; legi obtemperare, sine vlla omnino repugnante cupiditate, quae id volentem retardet, impediat, transuersum agere nitatur. Hoc autem, quod odio habere, & detestari nemo non debet, concupiscere est, & cupiditatis vitio ad ea moueri, excitari, impelli, quae diuinae legi, & voluntati aduersantur. Nemo certè sanctorum est, qui hanc pugnam, communem hunc hostem, has insidias non sentiat; non deploret; non sibi excutere toto pectore aueat: quod quidem non multò post Paulus ipse nos docebit apertiùs. Nunc autem ex ijs, quae dixit, duo conficit; alterum, quod de lege proposuit, dicens. *SI AVTEM QVOD NOLO, ILLVD FACIO: CONSENTIO LEGI, QVONIAM BONA EST*. Si quod ego facio, damno, improbo,

2. Tim. 4.
August. de gratia, & lib. arb. c. 6.
In Epist. Io. Tract. 4

Opus proprium non agnoscere.

Bonum, quod volumus, & nō facimus.

Malum, quod odimus, & facimus.

probo, odio habeo, illud autem lex quoq; vetat: meo certè suffragio efficitur, legem esse bonam, quae id prohibeat, quod ego tanquam malum nolens, & inuitus ago. Alterum est, de quo inquit. *NVNC AVTEM IAM NON EGO OPEROR ILLVD, SED QVOD HABITAT IN ME, PECCATVM.* Quod ego deuitare cupio, nolensq; facio, quis est, qui vereatur nō à me proficisci, sed ab eo, quod in me penitus insidet, cupiditatis maximo vitio? quod tanquam tyrannus aliquis, id à me extorquet; id in me violenter agit, à quo mea & mens, & voluntas maximopere abhorrent. Hoc autem, quod dixit, in sanctis & iustis hominibus, quos omnes dum de se vno loqui videtur, designauit, habitare peccatum, Ioannes magnus Apostolus, Christo per familiaris, & syncerus Euangelij scriptor, apertè confessus est, cùm de sua, & Sanctorum omnium persona dixit. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et vtriusq; Apostoli vestigia persequentes Gregorius Romanus Pont. & Augustinus Hyponensis Episcopus sine vlla dubitatione docuerunt. Ille enim sic inquit. *Peccatum in corpore mortali non esse, sed regnare prohibuit Paulus: quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest.* Hic autem plerisq; locis hac de re apertè loquitur, eo praesertim libro, quem omnium postremum scripsit: vbi haec ipsa, de quibus nūc agimus, Pauli verba pertractans; *In libris,* inquit, *quos aduersus Pelagianos edidimus, spiritualis hominis, iamq; sub gratia constituti meliùs intelligi verba ista monstrauimus, propter carnis corpus, quod spirituale nondum est; erit autem in resurrectione mortuorum: & propter ipsam carnis concupiscentiam, cum qua ita confligunt Sancti, non ei consentientes ad malum; vt tamen eius motibus, quibus repugnantibus resistūt, non careant in hac vita. Nō eos autem habebunt in illa, vbi mors absorbebitur in victoriam.* Propter hanc itaq; concupiscentiam, motusq; ipsos, quibus ita resistitur, vt tamen sint in nobis, potest quisq; Sanctus iam sub gratia positus dicere ista omnia verba. Paulus verò qūo quod dixit, habitare in se peccatum, accipiendum esset, latiùs enucleauit; quò omnes intimum hunc nostrum inimicum, & quod in sanctis hominibus habet domiciliū, agnoscentes, eius insidias cauere; vires debilitare; robur comminuere niteremur: in quo vera quidē certè, quam alio ipse loco sic appellat, mortificatio consistit. Inquit

Legem bonam esse quomodo cognoscimus.

Peccati opus in iustis in quibus etiam habitat.

Peccatum habitare in Sanctis.

1. Ioan. 1.

Mor. lib. 21. cap. 3.

Retr. lib. 1. cap. 3.

Mortificatio vera quae.

Coloss. 3.

autē. *SCIO ENIM, QVOD NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA BONVM.* Quoniam id, quod dicturus erat, experientia didicerat, scire se, & nihil vereri affirmat, in viris iustis, & sanctis, quod ad eorum carnem attinet, non habitare bonum: sed ne quis fortè quod dixerat, habitare in se peccatum, sic interpretaretur, vt viros sanctos totos, & omni ex parte à peccato occupari definiret; peccati propriam descripsit, ac declarauit sedem, cùm dixit. In me, hoc est in carne mea: vt duo, quae inter se maximè pugnant in viro iusto, agnoscamus: bonum, & sanctum Dei spiritum in mente; peccatum, & malum in carne; & sanctorum in hac vita conditionem cognitam habeamus: quam non multò post eorum ad impios addita comparatione, de Pauli sententia describemus. Nunc ad ea, quae restant, pergamus. Quonam argumento hoc Paulus didicit, quod scire se dixit? Hoc nempe, quod sequitur. *NAM VELLE ADIACET MIHI, PERFICERE AVTEM BONVM NON INVENIO.* Quod attinet ad voluntatem, animae partem altissimam, diuini spiritus eam incolentis munere, volo, & opto non concupiscere; perfecta mea omnia esse opera; omni vitio carere: verùm ad hāc absolutionem, perfectionemq; perueniendi viam uon inuenio: quod sequor, non assequor: quò tendo, non peruenio. Huius autem aperta, & clara probatio ex eo accipitur, quod suprà dixit, & nunc replicat. *NON ENIM, QVOD VOLO BONVM, HOC FACIO: SED, QVOD NOLO MALVM, HOC AGO.* Ecce tibi, quòd vult quidē rectè, & mala, omni reiecta cupiditate, agere: sed illa ipsa, quae viget in carne, mala cupiditas obstat: quae in causa est, vt non totus rectè agat; non totus diuinae legi, & voluntati obtemperet: sed altera sui parte tanti sit boni percupidus; altera vitiosè concupiscat, atq; in id feratur, quod diuina lege prohibetur expressè. Ex his autem illud concludit, & efficit, quod suprà positum, iam omnibus patere, & manifestum esse potest. *SI AVTEM, QVOD NOLO, ILLVD FACIO; IAM NON EGO OPEROR ILLVD, SED QVOD HABITAT IN ME PECCATVM.* Quod quisq; nolens, repugnans, inuitus agit, ipse non agere rectè, & meritò dicitur. Quam ob rem audacter sanè, & fidenter, Non ego ille sum, qui concupisco (inquit) qui id ipsum detestor,

Spiritus-sācti sedes.
Peccati sedes.

Sācti quid velint, & quid agāt.

ftor, & odio habeo; fed peccatum, in carne mea penitus defixum, & haerens, quo plenè liberatus, & folutus non fum, contra mentem, & voluntatem meam, immò contra Dei fpiritum, cuius vnius beneficio fana mihi mens eft, fanaq; voluntas, acerrimè pugnat, & vires omnes oftentat, exercetq; fuas.

Carnis, & fpiritus in fanctis pugna.

INVENIO IGITVR.

TOTIVS huiufce difputationis breuis eft epilogus, quo iuftorum, & fanctorum hominum duae declarantur, quas in hac vita habent, conditiones, quarum prima haec eft. *INVENIO IGITVR LEGEM VOLENTI MIHI FACERE BONVM, QVONIAM MIHI MALVM ADIACET.* Dixerat adeffe fibi velle, fiue fanam, & integram voluntatem. Dum ergo ea duce rectè omnia, & perfectè agere vellet, atq; ad legis iuffa actiones accommodare, malum fibi proximum, intimum, & familiare deprehendit; quod fufcepto mentis propofito, & voluntatis defiderio, aduerfabatur, fibi inquam, volenti, & cupienti benefacere, ad eius legis praefcriptum, quae vetat concupifcere: ita vt non folùm boni abfentiam, de qua dixerat, Scio, quòd non habitat in me, hoc eft in carne mea, bonum; fed & mali praefentiam, de qua etiam dixerat. Habitat in me peccatum; animaduerteret. Quo autem argumento voluntatis fuae fanitatem cognofceret, quae in eo pofita erat, vt quod bonum erat iuxta legem, fiue vt lex praefcribit, facere vellet, fine vlla omnino cupiditate, fic declarauit. *CONDELECTOR ENIM LEGI DEI SECVNDVM INTERIOREM HOMINEM.* Delectabat eius mentem, & voluntatem, qui interior eft homo, non contriftabat, lex Dei: quam amabat, non timebat; amplectebatur, non fugiebat. Talem nempe defcripfit Dauid hominem in hac vita beatum, cuius effet in lege Dei voluntas; atq; in ea dies, noctefq; meditaretur. Quo etiam argumento malum fibi adeffe perciperet, apertè explicat, atq; confitetur inquiens. *VIDEO AVTEM ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS, REPVGNANTEM LEGI MENTIS MEAE, ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI, QVAE EST IN MEMBRIS MEIS.*

Sāctorum hominum ī hac praefenti vita conditiones.

Voluntatis Sāctorum fanitas vnde cognofcitur.

Delectatio in lege.

Pfal. 1.

Malum iu ftis adeffe vnde cognofcitur.

Lex in mẽbris quae? MEIS. Lex in membris cupiditas est, de qua suprà dixit. Habitat in me peccatum: Scio enim, quòd nõ habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Haec enim tanquam iniqua quaedam lex, non persuadet, non ducit volentem, sed nolẽtem cogit, & impellit. *Lex mentis quae?* Lex mentis Spiritussanctus est, qui iustorum mentem, qui interior est homo, sanctè gubernat; rectè dirigit; suauiter moderatur. Semper autem huic sanctissimae legi, iniquissima illa, quae in membris est, repugnat, & aduersatur, quae vinctum hominem, & captiuum detinet sub lege peccati. *Lex peccati quae?* Quae est ista (dicet aliquis) lex peccati? Ea, quantùm assequi ego possum, nihil est aliud, nisi propensio quaedam ad peccandum, eandem habens cum ipsa cupiditate membrorum lege sedem, eundem locum: cui tamen, nisi mens ipsa legis suae consilio relicto, consenserit, neq; reuera peccatum dici, neq; damnare hominem valet: id tãtùm agit, vt eum imbecillum reddat; & non totum diuinae legis obedientiae deditum esse sinat, quinimmo ad eius contemptionem, & despicientiam aliqua ex parte propensum efficiat. *Iustorũ hominum in praesẽti vita altera cõditio.* Sed iam tempus est, ad alteram iustorum, & sanctorum hominum conditionem transeundi. Ea verò est, vt quotidiano gemitu, questu, suspirio, descripti huius vitae status taedere se, & vehementer poenitere testentur, maximeq; exoptent ex hac vita ad illam migrare, in qua deuicto peccato, & morte, toti absq; vlla omnino repugnantia, & contrarijs legibus, vni diuinae legi, & voluntati obtemperent; id, quod diuina ista, quae sequitur exclamatione, quae miram doloris, & indignationis significationem continet, egregiè admodum Paulus fecit. *INFELIX EGO HOMO, QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS?* *Corpus mortis.* Corpus humanũ in huius vitae statu, corpus mortis propriè, vereq; appellauit; cum quia morti obnoxium est, & destinatum; tum verò quia sine eius morte molestae huius pugnae finis, & vera à lege membrorum, legeq; peccati libertas contingere nequeat. Vera profectò est, & consolatione plenissima, quae sequitur responsio, qua viri iusti sustentãtur, quam dies, & noctes in ore, & in animo habent. *Iustorum in praesenti vita consolatio.* *GRATIA DEI, PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.* Illa eadem Dei benignitas, quae non meo, sed vnius Iesu Christi Domini nostri pretioso merito, mẽtis mihi libertatem largita est, corpus quoq; à seruili peccati iugo vacuum

cuum, & solutū in libertatem vindicabit. Qua de re alio loco dixit. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem virtutis suae, qua etiam possit subijcere sibi omnia.* *Phil. 3.*

IGITVR.

BREVITER, & sententiosè complectitur omnia, quae de statu, & conditionibus iustorum hominum disputauit, & docuit. Inquit enim. *IGITVR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI; CARNE AVTEM LEGI PECCATI.* Mente seruit legi Dei, qui legem agnoscit esse bonam; eiusq; praeceptum illud, *Non concupisces*, sanctum, iustum, & bonum esse confitetur: cui velle bonum adest, quem lex, quod ad mentem attinet, delectat. Carne autem seruit legi peccati, qui quod vult bonum, non perficit, qui membrorum legem sentit, legi mentis obsistentem, atq; repugnantem, qui legi peccati ita mancipatus est, & obstrictus, vt eius à se iugum excutere non valeat. Quam ob rem exclamare cogitur. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed huius infelicitatis consolatio ex his, quae mox adijciet, petenda est; quibus declarabit Iesu Christi singulari beneficio factum esse, vt status hic molestus, incommodus, odiosus, iustos homines condemnare non possit; modò eorum mens integra, atq; incorrupta permaneat. *Sāctorum hominum ĩ praesēti vita status, & conditio.*

Obseruanda autem, & colligenda hoc loco sunt, quaenam ea sint, quibus à iustis hominibus impij differant. Nam illorum mens boni, caro autem mali domicilium est: horum autem & mentem, & carnem incolit malum. Illi, quod bonum est volunt quidem, sed non perficiunt: at hi neq; volunt, neq; perficiunt. Illorum mentem diuinae legis meditatio delectat: horum contristat, atq; affligit. Illi duas habent in seipsis leges; alteram mentis; membrorum alteram: hi vnam tantùm; cui non repugnantes, peccato flagitiosissimè seruiunt. Illi in hoc vitae statu lugent, & miseros se esse existimant: hi gaudio triumphant, ac planè beatos se esse arbitrantur. Quod in illis habitat, non est, sed appellatur peccatum; cum quia à peccato fluxit; tum quia ad peccādum incitat, quod autem in istis regnat, *Iustorū hominum ab impijs differentia.* *Concupiscentia quo modo ĩ iustis quomō in iniustis.*

regnat, adeo peccatum est, vt illud poena sequatur sempiterna. Deum ergo semper precemur, vt quos ad fidem, & gratiā Domini nostri Iesu Christi gratuito perduxit, eos omni prorsus malo solutos, ac liberos ad perfectam illam, & omnibus numeris expletam, iustitiam perducat: quae (vt Augustinus docet) non in merito, sed in premio; non in praecepto, sed in mercede; non in pugna, sed in corona, posita est. Quam ob rem Paulus, Augustino interprete, & perfectum se esse dixit, ea videlicet perfectione, quae in hanc vitam cadere potest; & nondum perfectum, cùm non esset adhuc in eo extincta cupiditas, inimicum haberet, confligeret. Propterea se non modò imperfectum, sed infelicem existimabat, & inquirebatur: *Infelix*, inquiens, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Contra du. epist. Pel. lib. 3. cap. 7. lib. 4. c. 10.

Paulus quō in pñti vita perfectū se esse dixit, et imperfectū.

August. de Verb. Ap. Quaest. 15.

NIHIL

NIHIL ERGO.

OST iustorum hominum querelas, ac voces, molestiae plenas, & anxietatis, quorũ vitae praesentis statum, & conditionem de sua ipsius persona sic expressit. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati*; eorundem sequitur consolatio. Et cùm paulò ante, post diuinam illam vocem, qua eius vitae conditionem, tot periculis, & telis propositae, infelicem sibi, & miseram esse ostenderat, libertatem sibi pollicitus esset; non equidem suo, sed vnius Dei, & Domini nostri Iesu Christi promerito, eius libertatis partem quandam se iam accepisse declarat: quam tamen integram, & absolutam expectaret. Haec verò omnia non vni Paulo, sed omnibus, qui sunt, quiq; fuerunt, ac futuri sunt, gratia Dei per Iesum Christum iustis tribuenda sunt. Neq; enim se vnum, sed iustos omnes hoc sermone designat. Ex superiore ergo sentẽtia, qua (vt diximus) iustorum omnium in hac vita statum complexus est, haec, quae ascribit, tanquam consequentia concludit, & efficit. *NIHIL ERGO NVNC DAMNATIONIS EST HIS, QVI SVNT IN CHRISTO IESV: QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLANT, SED SECVNDVM SPIRITVM.* Ecce tibi iustorum omnium inter tot huius vitae miserias consolatio. Ecce pars illa libertatis, quae cum iustitia coniuncta est: quam ob rem, tanquam de re iam adepta, & praesenti, dixit, *NVNC*. Sed vide mihi quaeso, & attentè considera, non esse hanc libertatem à seruitute legis peccati, siue propensionis ad peccandum, cui quandiu vitam hanc viuimus, quantumuis iusti simus, & sancti, per legem in membris, cupiditatem videlicet, addicti sumus: qua ratione quanquam dixisset. *Ego ipse mente seruio legi Dei:* mox adiecit: *Carne autem legi peccati.* Quaenam igitur (dicet quispiam) libertas haec est? A damnationis iudicio, a sempiterno supplicio, ab iracundia Dei, & iusta, & implacabili. In hoc igitur haec libertas posita est, vt iustus, quamuis carne seruiat legi peccati; non tamen ea ratione condemnetur, ac poenas luat sempiternas: quia mente seruit legi Dei, dum cupiditati repugnat, & resistit. Ad illos autem, qui & carne,

CAPVT VIII.

Iustorum consolatio.

Iustorum consolatio, & vitae praesentis libertas.

Vitae praesentis libertas quae?

& mente, lege peccati tenentur obstricti, hanc libertatem non pertinere, illud declarat, quòd in Christo Iesu secundum carnem ambulant, non secundùm spiritum. Quo loco maximè animaduertendum est: in Christo Iesu secundum spiritum eos ambulare, qui cum Iesu Christo tanquam membra cum capite copulata, secundum interiorem hominem, Christi spiritu moderatum, & directum Dei lege delectantur, quique mente eodem spiritu renouata, & instaurata, eidem legi seruiunt. Hi enim, quanquam carne seruiant legi peccati, dum legem in membris contra legem mentis pugnantem sentiunt, cùm Christo Iesu secundum spiritum ambulent, à damnatione sunt liberi. Contrà verò, secundum carnem eos ambulare dicimus, qui vna duntaxat, & solitaria fide plenè in Christo Iesu se esse iactant; & hanc libertatem ita accipiunt, vt legem omnino contemnant, atq; reijciant; carni prorsus obtemperent; cupiditates sequantur; & ad peccandum procliuitatem alant, atq; adaugeant: quorum vita vitijs, flagitijsquè multis inquinata, & debita, neque iustitiae, neq; verae, & Christianae libertatis particeps esse vlla ratione potest. Sed libertatis huius rationem, & causam, quam Paulus affert, animaduertamus. Inquit enim. *LEX ENIM SPIRITVS VITAE IN CHRISTO IESV, LIBERAVIT ME A' LEGE PECCATI, ET MORTIS.* Sensus est. Dei spiritus, quem humana mens legis vice accipit, cum Christo per fidem adhaerescit, id primùm efficit, vt homo neq; in seipso viuat, neq; sibi ipsi praefidat; verùm & in Christo Iesu viuat, & suis omnibus viribus diffidens, se tanquam mortuum habeat, & reputet. Qua deinde morte à lege peccati, cui totus antea subiectus erat, se eripit, non vt carne illi non seruiat, sed vt eius seruitutis ratione non intereat: quod vt explicaret, addidit; *ET MORTIS*: quò declararet, iustum hominem non penitus à lege peccati solutum esse, & liberum; sed ea tantùm ratione, qua mors illam siue damnatio comitatur. Cauendum autem magnopere est, ne vel nobis ipsis, vel mortalium cuipiam hanc libertatem assignemus, nisi in Christo Iesu secundum spiritum ita ambulemus; vt hoc Pauli de seipso dictum, in nos verè quadrare possit, in quo libertatis huius vera ratio posita est. Lex spiritus vitae in CHRISTO IESV liberauit me à lege peccati, & mortis. Quod verbum cùm ad se quisque rectè transferre potest,

Ambulãtes secundum spiritũ qui.

Ambulãtes secundum carnẽ qui.

Libertatis sanctorum in praesenti vita ratio.

Libertas sanctorum quibus assignanda.

potest, summam certè affert miseriarum omnium leuationem.

NAM QVOD.

LIBERTATEM hanc à damnatione, & interitu sempiterno, quae (vt diximus) non omnibus suis numeris expleta, sed pars tantùm quaedam libertatis est, à lege proficisci non potuisse; ac propterea singulari Iesu Christi beneficio, acceptam eam esse referendam explanat. *NAM QVOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI, IN QVO INFIRMARATVR PER CARNEM.* Libertatem hanc lex largiri non poterat; neque eius compotes, & participes fieri, qui sub lege vitam agebant; idq; nō aliquo legis ipsius vitio, sed carnis, quae non modò cum spiritu, verum etiam cum lege, quae, vt suprà dixit, spiritualis est, summa contentione pugnabat: qua ratione, inualida lex efficiebatur, & debilis. Quid ergo factū est, vt quod lege fieri non potuit, id ne amitteremus, sed alia ratione, & via consequeremur, ea declarant, quae sequūtur. *DEVS FILIVM SVVM MITTENS IN SIMILITVDINEM CARNIS PECCATI, ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE.* Coniunctio, *ET*, superuacua non est, sed declarat Deum non modo Filium suum misisse, eaq; missione innumera in genus humanum beneficia contulisse; verùm hoc, quod praecipuum fuit, perfecisse, in quo omnes legis vires carni succubuerant; vt pro peccato in carnem Filij sui commisso, quae similitudinem, speciemq; carnis peccato obstrictae gerebat, in carne nostra, quae reuera peccatrix est, damnaretur peccatum, & veram amitteret peccati vim, atq; rationem. Manifestum autem est, quodnam fuerit peccatum in carnem Filij Dei commissum: illud nempe, de quo Augustinus, qui hunc obscuri huius loci sensum primus attigit, sic inquit. *De peccato damnauit peccatum, quia non dictum est de peccato suo, potest quispiam sic intelligere, vt dicat, eum de peccato Iudaeorum damnasse peccatum, quia de peccato eorum qui eum crucifixerunt, factum est, vt sanguinem suum in remissionem funderet peccatorum.* Haec Augustinus. Vbi magnum profectò elucet diuinae benignitatis argumentum: qui (vt alio loco scripsit Paulus) eum, *Qui peccatum non nouerat,* pro

Libertas sanctorum in praesenti vita ex lege esse non potuit.

Peccati in carne nostra damnatio.

Lib. 5. con. du. ep. Pel. cap. 6.

2. Cor. 5.

pro nobis peccatum fecit; hostiam videlicet pro peccato, & ex immani hominum scelere diuinum hoc, & diu expectatum munus, damnationis peccati in carne nostra, tanquam ex densissimis tenebris iucundissimam lucem, fecit exoriri: non ita quidem, vt peccatum omnino non esset; sed ne regnaret, vt antea; ne dominaretur; ne denique ad damnationem esset, & interitum; quod paulò ante Gregorij, & Augustini grauissimis testimonijs ostendimus. Sed huius damnationis fructum in eo, quod sequitur attendamus: sequitur enim. *VT IVSTIFICATIO LEGIS IMPLERETVR IN NOBIS, QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLAMVS, SED SECVNDVM SPIRITVM.* Ex hac peccati in carne nostra damnatione, factum est, vt iustificatio, quae lege quaerebatur, & promittebatur, verùm ob carnis repugnantiam non exhibebatur, Iesu Christi merito nobis contingeret: sed ne cum Paulo, suiquè similibus, de quibus praesens est sermo institutus, alieni à vera Christi iustitia homines miscere se, & inserere audeant, tenendum est discrimen illud, quod iam declarauimus, inter eos, qui secundum carnem, & eos, qui secundum spiritum ambulant. Illos ab hoc mortis Christi fructu semper esse repellendos, hos asciscendos. Nam illi Christianam ita accipiunt libertatem, vt impune carnis cupiditatibus obtemperare, & eius intimum morbum, quo ad malum prona est, sequi posse opinentur: at hi diuini spiritus auxilio, & ductu mente seruiunt legi Dei, & carnis cupiditatibus continenter aduersantur, Christianam libertatem collocantes in edomandis carnis affectibus, & temerarijs omnibus eius motibus coercendis. Illud autem est, vt maximum hoc Christi beneficium agnoscamus, diligenter animaduertendum: fuisse carnem, quod Paulus docet, lege potentiorem, quandoquidem eam debilitare, & infirmare potuit: spiritum verò, quem vna in Christum fides elargitur, esse potentissimum, qui & temerarios carnis impetus cohibere, & animi voluntatem diuinae legi obtemperantem reddere potest.

Sup.cap.7.

Iustificatio vnde contingat.

Paulò superius.

Libertatis Christianae varia acceptio.

Caro lege, spirit⁹, carne potentior.

QVI

QVI ENIM.

AD hanc, quam legis iustificationem appellauit, quae non in eo posita est, vt nullas omnino carnis cupiditates in nobis sentiamus: nã eas sentire ne ad damnationem obesse posset, & interitum, singulari Iesu Christi beneficio consecutos nos esse declarauit: verùm ne eas ipsas carnis cupiditates sequamur, eisq; obedientes nos praebeamus; ad hanc inquã iustificationem non peruenisse eos, qui secundum carnẽ ambulant, sed eos, qui secundum spiritum, declarare incipit. Nam dixerat, damnatione peccati in carne completam esse legis iustificationem in ijs, qui secundum spiritum, non autẽ secundum carnem ambularent. Sed horum inter se maximè disiunctas, atq; contrarias conditiones animaduertere opus est: sunt etenim quatuor, de quarum prima inquit. *QVI ENIM SECVNDVM CARNEM SVNT, QVAE CARNIS SVNT, SAPIVNT: QVI VERO SECVNDVM SPIRITVM SVNT, QVAE SVNT SPIRITVS, SENTIVNT.* Non alij sunt, quos nunc secundum carnem, aut spiritum esse ait, atq; illi, quos paulò ante dixit secundum carnem, aut spiritum ambulare: quorũ haec prima est differentia, quòd illi, cùm sibi ipsi confidant, & suis tantùm viribus nitantur, quae ad carnis attinent cupiditates meditantur, & curant, quos ea ratione animales alio loco appellauit homines: at isti, Spiritusancto duce, tantum abest, vt carnis cupiditatibus studeant, aut morigerentur; vt cum eis, tanquam cum saeuissimis hostibus, bellum assiduum gerant, in ea intenti, quae, Spiritusancto auctore, mente concipiunt, ac sentiunt. Altera haec est, quae sequitur differentia. *NAM PRVDENTIA CARNIS, MORS EST: PRVDENTIA AVTEM SPIRITVS, VITA ET PAX.* Hominis (inquit) carnis cogitationibus, & affectibus dediti, & à spiritu Dei vacui, atq; nudi, quantumuis magna prudentia sit; quantumuis licet emineat, & excellat, praeter mortem parere nihil potest: id quod in homine primo, cuius fuit ad bona deligenda, & reijcienda contraria, prudentia singularis, abundè declaratum est: quae praeter iustissimam damnationem, quid aliud obsecro, vel sibi, vel nobis posteris peperit? Contrà verò ab eorum, qui Spiritumsanctum

Ambulantiũ secũdũ spiritum, & secũdũ carnẽ differẽtiae quatuor.

Differẽtia prima.

1. Cor. 2.

Differẽtia secunda.

Prudẽtia carnis, & prudentia spiritus qd differant.

autẽ. *SCIO ENIM, QVOD NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA BONVM.* Quoniam id, quod dicturus erat, experientia didicerat, scire se, & nihil vereri affirmat, in viris iustis, & sanctis, quod ad eorum carnem attinet, non habitare bonum: sed ne quis fortè quod dixerat, habitare in se peccatum, sic interpretaretur, vt viros sanctos totos, & omni ex parte à peccato occupari definiret; peccati propriam descripsit, ac declarauit sedem, cùm dixit. In me, hoc est in carne mea: vt duo, quae inter se maximè pugnant in viro iusto, agnoscamus: bonum, & sanctum Dei spiritum in mente; peccatum, & malum in carne; & sanctorum in hac vita conditionem cognitam habeamus: quam non multò post eorum ad impios addita comparatione, de Pauli sententia describemus. Nunc ad ea, quae restant, pergamus. Quonam argumento hoc Paulus didicit, quod scire se dixit? Hoc nempe, quod sequitur. *NAM VELLE ADIACET MIHI, PERFICERE AVTEM BONVM NON INVENIO.* Quod attinet ad voluntatem, animae partem altissimam, diuini spiritus eam incolentis munere, volo, & opto non concupiscere; perfecta mea omnia esse opera; omni vitio carere: verùm ad hãc absolutionem, perfectionemq; perueniendi viam non inuenio: quod sequor, non assequor: quò tendo, non peruenio. Huius autem aperta, & clara probatio ex eo accipitur, quod suprà dixit, & nunc replicat. *NON ENIM, QVOD VOLO BONVM, HOC FACIO: SED, QVOD NOLO MALVM, HOC AGO.* Ecce tibi, quòd vult quidẽ rectè, & mala, omni reiecta cupiditate, agere: sed illa ipsa, quae viget in carne, mala cupiditas obstat: quae in causa est, vt non totus rectè agat; non totus diuinae legi, & voluntati obtemperet: sed altera sui parte tanti sit boni percupidus; altera vitiosè concupiscat, atq; in id feratur, quod diuina lege prohibetur expressè. Ex his autem illud concludit, & efficit, quod suprà positum, iam omnibus patere, & manifestum esse potest. *SI AVTEM, QVOD NOLO, ILLVD FACIO; IAM NON EGO OPEROR ILLVD, SED QVOD HABITAT IN ME PECCATVM.* Quod quisq; nolens, repugnans, inuitus agit, ipse non agere rectè, & meritò dicitur. Quam ob rem audacter sanè, & fidenter, Non ego ille sum, qui concupisco (inquit) qui id ipsum detestor,

Spiritus-sãcti sedes.
Peccati sedes.
Sãcti quid velint, & quid agãt.

ſtor, & odio habeo; ſed peccatum, in carne mea penitus defixum, & haerens, quo plenè liberatus, & ſolutus non ſum, contra mentem, & voluntatem meam, immò contra Dei ſpiritum, cuius vnius beneficio ſana mihi mens eſt, ſanaq; voluntas, acerrimè pugnat, & vires omnes oſtentat, exercetq; ſuas. *Carnis, & ſpiritus in ſanctis pugna.*

INVENIO IGITVR.

TOTIVS huiuſce diſputationis breuis eſt epilogus, quo iuſtorum, & ſanctorum hominum duae declarantur, quas in hac vita habent, conditiones, quarum prima haec eſt. *INVENIO IGITVR LEGEM VOLENTI MIHI FACERE BONVM, QVONIAM MIHI MALVM ADIACET.* Dixerat adeſſe ſibi velle, ſiue ſanam, & integram voluntatem. Dum ergo ea duce rectè omnia, & perfectè agere vellet, atq; ad legis iuſſa actiones accommodare, malum ſibi proximum, intimum, & familiare deprehendit; quod ſuſcepto mentis propoſito, & voluntatis deſiderio, aduerſabatur, ſibi inquam, volenti, & cupienti benefacere, ad eius legis praeſcriptum, quae vetat concupiſcere: ita vt non ſolùm boni abſentiam, de qua dixerat, Scio, quòd non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum; ſed & mali praeſentiam, de qua etiam dixerat. Habitat in me peccatum; animaduerteret. Quo autem argumento voluntatis ſuae ſanitatem cognoſceret, quae in eo poſita erat, vt quod bonum erat iuxta legem, ſiue vt lex praeſcribit, facere vellet, ſine vlla omnino cupiditate, ſic declarauit. *CONDELECTOR ENIM LEGI DEI SECVNDVM INTERIOREM HOMINEM.* Delectabat eius mentem, & voluntatem, qui interior eſt homo, non contriſtabat, lex Dei: quam amabat, non timebat; amplectebatur, non fugiebat. Talem nempe deſcripſit Dauid hominem in hac vita beatum, cuius eſſet in lege Dei voluntas; atq; in ea dies, noctesq; meditaretur. Quo etiam argumento malum ſibi adeſſe perciperet, apertè explicat, atq; confitetur inquiens. *VIDEO AVTEM ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS, REPVGNANTEM LEGI MENTIS MEAE, ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI, QVAE EST IN MEMBRIS MEIS.*

Sanctorum hominum in hac praeſenti vita conditiones.

Voluntatis Sanctorum ſanitas vnde cognoſcitur.

Delectatio in lege.

Pſal. 1.

Malum iuſtis adeſſe vnde cognoſcitur.

Lex in mẽbris quae? MEMBRIS. Lex in membris cupiditas est, de qua suprà dixit: Habitat in me peccatum: Scio enim, quòd nõ habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Haec enim tanquam iniqua quaedam lex, non persuadet, non ducit volentem, sed nolẽtem cogit, & impellit. *Lex mentis quae?* Lex mentis Spiritussanctus est, qui iustorum mentem, qui interior est homo, sanctè gubernat; rectè dirigit; suauiter moderatur. Semper autem huic sanctissimae legi, iniquissima illa, quae in membris est, repugnat, & aduersatur, quae vinctum hominem, & captiuum detinet sub lege peccati. *Lex peccati quae?* Quae est ista (dicet aliquis) lex peccati? Ea, quantùm assequi ego possum, nihil est aliud, nisi propensio quaedam ad peccandum, eandem habens cum ipsa cupiditate membrorum lege sedem, eundem locum: cui tamen, nisi mens ipsa legis suae consilio relicto, consenserit, neq; reuera peccatum dici, neq; damnare hominem valet: id tãtùm agit, vt eum imbecillum reddat, & non totum diuinae legis obedientiae deditum esse sinat, quinimmo ad eius contemptionem, & despicientiam aliqua ex parte propensum efficiat. *Iustorũ hominum in praesẽti vita altera cõditio.* Sed iam tempus est, ad alteram iustorum, & sanctorum hominum conditionem transeundi. Ea verò est, vt quotidiano gemitu, questu, suspirio, descripti huius vitae status taedere se, & vehementer poenitere testentur, maximeq; exoptent ex hac vita ad illam migrare, in qua deuicto peccato, & morte, toti absq; vlla omnino repugnantia, & contrarijs legibus, vni diuinae legi, & voluntati obtemperent; id, quod diuina ista, quae sequitur exclamatione, quae miram doloris, & indignationis significationem continet, egregiè admodum Paulus fecit. *INFELIX EGO HOMO, QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS?* *Corpus mortis.* Corpus humanũ in huius vitae statu, corpus mortis propriè, vereq; appellauit; cum quia morti obnoxium est, & destinatum; tum verò quia sine eius morte molestiae huius pugnae finis, & vera à lege membrorum, legeq; peccati libertas contingere nequeat. Vera profectò est, & consolatione plenissima, quae sequitur responsio, qua viri iusti sustentãtur, quam dies, & noctes in ore, & in animo habent. *Iustorum in praesenti vita consolatio.* *GRATIA DEI, PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.* Illa eadem Dei benignitas, quae non meo, sed vnius Iesu Christi Domini nostri pretioso merito, mẽtis mihi libertatem largita est, corpus quoq; à seruili peccati iugo vacuum

cuum, & solutũ in libertatem vindicabit. Qua de re alio loco dixit. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem virtutis suae, qua etiam possit subijcere sibi omnia.* *Phil. 3.*

IGITVR.

REVITER, & sententiosè complectitur omnia, quae de statu, & conditionibus iustorum hominum disputauit, & docuit. Inquit enim. *IGITVR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI; CARNE AVTEM LEGI PECCATI.* Mente seruit legi Dei, qui legem agnoscit esse bonam; eiusq; praeceptum illud, *Non concupisces*, sanctum, iustum, & bonum esse confitetur: cui velle bonum adest, quem lex, quod ad mentem attinet, delectat. Carne autem seruit legi peccati, qui quod vult bonum, non perficit, qui membrorum legem sentit, legi mentis obsistentem, atq; repugnantem, qui legi peccati ita mancipatus est, & obstrictus, vt eius à se iugum excutere non valeat. Quam ob rem exclamare cogitur. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed huius infelicitatis consolatio ex his, quae mox adijciet, petenda est; quibus declarabit Iesu Christi singulari beneficio factum esse, vt status hic molestus, incommodus, odiosus, iustos homines condemnare non possit; modò eorum mens integra, atq; incorrupta permaneat. *Sãctorum hominum ĩ praeſẽti vita status, & conditio.*

Obseruanda autem, & colligenda hoc loco sunt, quaenam ea sint, quibus à iustis hominibus impij differant. Nam illorum mens boni, caro autem mali domicilium est: horum autem & mentem, & carnem incolit malum. Illi, quod bonum est volunt quidem, sed non perficiunt: at hi neq; volunt, neq; perficiunt. Illorum mentem diuinae legis meditatio delectat: horum contristat, atq; affligit. Illi duas habent in seipsis leges; alteram mentis; membrorum alteram: hi vnam tantùm; cui non repugnantes, peccato flagitiosissimè seruiunt. Illi in hoc vitae statu lugent, & miseros se esse existimant: hi gaudio triumphant, ac planè beatos se esse arbitrantur. Quod in illis habitat, non est, sed appellatur peccatum; cum quia à peccato fluxit; tum quia ad peccãdum incitat, quod autem in istis regnat, *Iustorũ hominum ab impijs differentia.* *Concupiscentia quo modo ĩ iustis quomõ in iniustis.*

regnat, adeo peccatum est, vt illud poena sequatur sempiterna. Deum ergo semper precemur, vt quos ad fidem, & gratiā Domini nostri Iesu Christi gratuito perduxit, eos omni prorsus malo solutos, ac liberos ad perfectam illam, & omnibus numeris expletam, iustitiam perducat: quae (vt Augustinus docet) non in merito, sed in premio; non in praecepto, sed in mercede; non in pugna, sed in corona, posita est. Quam ob rem Paulus, Augustino interprete, & perfectum se esse dixit, ea videlicet perfectione, quae in hanc vitam cadere potest; & nondum perfectum, cùm non esset adhuc in eo extincta cupiditas, inimicum haberet, confligeret. Propterea se non modò imperfectum, sed infelicem existimabat, & inquirebatur: *Infelix*, inquiens, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Contra du. epist. Pel. lib.3.cap.7. lib.4.c.10.

Paulusq̃uo in p̃ntivita perfectũ se esse dixit, et imperfectũ.

August. de Verb. Ap. Quaest.15.

NIHIL

NIHIL ERGO.

POST iustorum hominum querelas, ac voces, molestiae plenas, & anxietatis, quorũ vitae praesentis statum, & conditionem de sua ipsius persona sic expressit. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati*; eorundem sequitur consolatio. Et cùm paulò ante, post diuinam illam vocem, qua eius vitae conditionem, tot periculis, & telis propositae, infelicem sibi, & miseram esse ostenderat, libertatem sibi pollicitus esset; non equidem suo, sed vnius Dei, & Domini nostri Iesu Christi promerito, eius libertatis partem quandam se iam accepisse declarat: quam tamen integram, & absolutam expectaret. Haec verò omnia non vni Paulo, sed omnibus, qui sunt, quiq; fuerunt, ac futuri sunt, gratia Dei per Iesum Christum iustis tribuenda sunt. Neq; enim se vnum, sed iustos omnes hoc sermone designat. Ex superiore ergo sententia, qua (vt diximus) iustorum omnium in hac vita statum complexus est, haec, quae ascribit, tanquam consequentia concludit, & efficit. *NIHIL ERGO NVNC DAMNATIONIS EST HIS, QVI SVNT IN CHRISTO IESV: QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLANT, SED SECVNDVM SPIRITVM.* Ecce tibi iustorum omnium inter tot huius vitae miserias consolatio. Ecce pars illa libertatis, quae cum iustitia coniuncta est: quam ob rem, tanquam de re iam adepta, & praesenti, dixit, *NVNC*. Sed vide mihi quaeso, & attentè considera, non esse hanc libertatem à seruitute legis peccati, siue propensionis ad peccandum, cui quandiu vitam hanc viuimus, quantumuis iusti simus, & sancti, per legem in membris, cupiditatem videlicet, addicti sumus: qua ratione quanquam dixisset. *Ego ipse mente seruio legi Dei:* mox adiecit: *Carne autem legi peccati.* Quaenam igitur (dicet quispiam) libertas haec est? A damnationis iudicio, a sempiterno supplicio, ab iracundia Dei, & iusta, & implacabili. In hoc igitur haec libertas posita est, vt iustus, quamuis carne seruiat legi peccati; non tamen ea ratione condemnetur, ac poenas luat sempiternas: quia mente seruit legi Dei, dum cupiditati repugnat, & resistit. Ad illos autem, qui & carne,

CAPVT VIII.

Iustorum consolatio.

Iustorum consolatio, & vitae praesentis libertas.

Vitae praesentis libertas quae?

& mente, lege peccati tenentur obstricti, hanc libertatem non pertinere, illud declarat, quòd in Christo Iesu secundum carnem ambulant, non secundùm spiritum. Quo loco maximè animaduertendum est: in Christo Iesu secundum spiritum eos ambulare, qui cum Iesu Christo tanquam membra cum capite copulata, secundum interiorem hominem, Christi spiritu moderatum, & directum Dei lege delectantur, quiquè mente eodem spiritu renouata, & instaurata, eidem legi seruiunt. Hi enim, quanquam carne seruiant legi peccati, dum legem in membris contra legem mentis pugnantem sentiunt, cùm Christo Iesu secundum spiritum ambulent, à damnatione sunt liberi. Contrà verò, secundum carnem eos ambulare dicimus, qui vna duntaxat, & solitaria fide plenè in Christo Iesu se esse iactant; & hanc libertatem ita accipiunt, vt legem omnino contemnant, atq; reijciant; carni prorsus obtêperent; cupiditates sequantur; & ad peccandum procliuitatem alant, atq; adaugeant: quorum vita vitijs, flagitijsquè multis inquinata, & debita, neque iustitiae, neq; verae, & Christianae libertatis particeps esse vlla ratione potest. Sed libertatis huius rationem, & causam, quam Paulus affert, animaduertamus. Inquit enim. *LEX ENIM SPIRITVS VITAE IN CHRISTO IESV, LIBERAVIT ME A' LEGE PECCATI, ET MORTIS.* Sensus est. Dei spiritus, quem humana mens legis vice accipit, cum Christo per fidem adhaerescit, id primùm efficit, vt homo neq; in seipso viuat, neq; sibi ipsi praesidat; verùm & in Christo Iesu viuat, & suis omnibus viribus diffidens, se tanquam mortuum habeat, & reputet. Qua deinde morte à lege peccati, cui totus antea subiectus erat, se eripit, non vt carni illi non seruiat, sed vt eius seruitutis ratione non intereat: quod vt explicaret, addidit; *ET MORTIS:* quò declararet, iustum hominem non penitus à lege peccati solutum esse, & liberum; sed ea tantùm ratione, qua mors illam siue damnatio comitatur. Cauendum autem magnopere est, ne vel nobis ipsis, vel mortalium cuipiam hanc libertatem assignemus, nisi in Christo Iesu secundum spiritum ita ambulemus; vt hoc Pauli de seipso dictum, in nos verè quadrare possit, in quo libertatis huius vera ratio posita est. Lex spiritus vitae in CHRISTO IESV liberauit me à lege peccati, & mortis. Quod verbum cùm ad se quisque rectè transferre potest,

Ambulātes secundum spiritū qui.

Ambulātes secundum carnē qui.

Libertatis sanctorum in praesenti vita ratio.

Libertas sanctorum quibus assignanda.

potest, summam certè affert miseriarum omnium leuationem.

NAM QVOD.

LIBERTATEM hanc à damnatione, & interitu sempiterno, quae (vt diximus) non omnibus suis numeris expleta, sed pars tantùm quaedam libertatis est, à lege proficisci non potuisse; ac propterea singulari Iesu Christi beneficio, acceptam eam esse referendam explanat. *NAM QVOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI, IN QVO INFIRMARATVR PER CARNEM.* Libertatem hanc lex largiri non poterat; neque eius compotes, & participes fieri, qui sub lege vitam agebant; idq; nō aliquo legis ipsius vitio, sed carnis, quae non modò cum spiritu, verum etiam cum lege, quae, vt suprà dixit, spiritualis est, summa contentione pugnabat: qua ratione, inualida lex efficiebatur, & debilis. Quid ergo factū est, vt quod lege fieri non potuit, id ne amitteremus, sed alia ratione, & via consequeremur, ea declarant, quae sequūtur. *DEVS FILIVM SVVM MITTENS IN SIMILITVDINEM CARNIS PECCATI, ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE.* Coniunctio, *ET*, superuacua non est, sed declarat Deum non modo Filium suum misisse, eaq; missione innumera in genus humanum beneficia contulisse; verùm hoc, quod praecipuum fuit, perfecisse, in quo omnes legis vires carni succubuerant; vt pro peccato in carnem Filij sui commisso, quae similitudinem, speciemq; carnis peccato obstrictae gerebat, in carne nostra, quae reuera peccatrix est, damnaretur peccatum, & veram amitteret peccati vim, atq; rationem. Manifestum autem est, quodnam fuerit peccatum in carnem Filij Dei commissum: illud nempe, de quo Augustinus, qui hunc obscuri huius loci sensum primus attigit, sic inquit. *De peccato damnauit peccatum, quia non dictum est de peccato suo, potest quispiam sic intelligere, vt dicat, eum de peccato Iudaeorum damnasse peccatum, quia de peccato eorum qui eum crucifixerunt, factum est, vt sanguinem suum in remissionem funderet peccatorum.* Haec Augustinus. Vbi magnum profectò elucet diuinae benignitatis argumentum: qui (vt alio loco scripsit Paulus) eum, *Qui peccatum non nouerat,* pro

Libertas sanctorum in praesenti vita ex lege esse non potuit.

Peccati in carne nostra damnatio.

Lib. 5. con. du. ep. Pel. cap. 6.

2. Cor. 5.

pro nobis peccatum fecit; hostiam videlicet pro peccato, & ex immani hominum scelere diuinum hoc, & diu expectatum munus, damnationis peccati in carne nostra, tanquam ex densissimis tenebris iucundissimam lucem, fecit exoriri: non ita quidem, vt peccatum omnino non esset; sed ne regnaret, vt antea; ne dominaretur; ne denique ad damnationem esset, & interitum; quod paulò ante Gregorij, & Augustini

Sup. cap. 7. grauissimis testimonijs ostendimus. Sed huius damnationis fructum in eo, quod sequitur attendamus: sequitur enim. *VT IVSTIFICATIO LEGIS IMPLERETVR IN NOBIS, QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLAMVS, SED SECVNDVM SPIRITVM.* Ex hac peccati in carne nostra damnatione, factum est, vt iustificatio, quae lege quaerebatur, & pro-

Iustificatio vnde contingat. mittebatur, verùm ob carnis repugnantiam non exhibebatur, Iesu Christi merito nobis contingeret: sed ne cum Paulo, suique similibus, de quibus praesens est sermo institutus, alieni à vera Christi iustitia homines miscere se, & inserere audeant, tenendum est discrimen illud, quod iam declarauimus, inter eos, qui secundum carnem, & eos, qui secun-

Paulò superiùs. dum spiritum ambulant. Illos ab hoc mortis Christi fructu semper esse repellendos, hos asciscendos. Nam illi Christianam ita accipiunt libertatem, vt impune carnis cupiditati-

Libertatis Christianae varia acceptio. bus obtemperare, & eius intimum morbum, quo ad malum prona est, sequi posse opinentur: at hi diuini spiritus auxilio, & ductu mente seruiunt legi Dei, & carnis cupiditatibus continenter aduersantur, Christianam libertatem collocantes in edomandis carnis affectibus, & temerarijs omnibus eius motibus coercendis. Illud autem est, vt maximum hoc Christi beneficium agnoscamus, diligenter animaduertendum, fuisse carnem, quod Paulus docet, lege potentiorem, quan-

Caro lege, spiritus carne potentior. doquidem eam debilitare, & infirmare potuit: spiritum verò, quem vna in Christum fides elargitur, esse potentissimum, qui & temerarios carnis impetus cohibere, & animi voluntatem diuinae legi obtemperantem reddere potest.

QVI

QVI ENIM.

AD hanc, quam legis iustificationem appellauit, quae non in eo posita est, vt nullas omnino carnis cupiditates in nobis sentiamus: nã eas sentire ne ad damnationem obesse posset, & interitum, singulari Iesu Christi beneficio consecutos nos esse declarauit: verùm ne eas ipsas carnis cupiditates sequamur, eisq; obedientes nos praebeamus; ad hanc inquã iustificationem non perueniße eos, qui secundum carnẽ ambulant, sed eos, qui secundum spiritum, declarare incipit. Nam dixerat, damnatione peccati in carne completam esse legis iustificationem in ijs, qui secundum spiritum, non autẽ secundum carnem ambularent. Sed horum inter se maximè disiunctas, atq; contrarias conditiones animaduertere opus est. sunt etenim quatuor, de quarum prima inquit. *QVI ENIM SECVNDVM CARNEM SVNT, QVAE CARNIS SVNT, SAPIVNT: QVI VERO SECVNDVM SPIRITVM SVNT, QVAE SVNT SPIRITVS, SENTIVNT.* Non alij sunt, quos nunc secundum carnem, aut spiritum esse ait, atq; illi, quos paulò ante dixit secundum carnem, aut spiritum ambulare: quorũ haec prima est differentia, quòd illi, cùm sibi ipsi confidant, & suis tantùm viribus nitantur, quae ad carnis attinent cupiditates meditantur, & curant, quos ea ratione animales alio loco appellauit homines: at isti, Spiritusancto duce, tantum abest, vt carnis cupiditatibus studeant, aut morigerentur; vt cum eis, tanquam cum saeuissimis hostibus, bellum assiduum gerant, in ea intenti, quae, Spiritusancto auctore, mente concipiunt, ac sentiunt. Altera haec est, quae sequitur differentia. *NAM PRVDENTIA CARNIS, MORS EST: PRVDENTIA AVTEM SPIRITVS, VITA ET PAX.* Hominis (inquit) carnis cogitationibus, & affectibus dediti, & à spiritu Dei vacui, atq; nudi, quantumuis magna prudentia sit; quantumuis licet emineat, & excellat, praeter mortem parere nihil potest: id quod in homine primo, cuius fuit ad bona deligenda, & reijcienda contraria, prudentia singularis, abundè declaratum est: quae praeter iustissimam damnationem, quid aliud obsecro, vel sibi, vel nobis posteris peperit? Contrà verò ab eorum, qui Spiritum-

Ambulantiũ secũdũ spiritum, & secũdũ carnẽ differẽtiae quatuor.

Differẽtia prima.

1. Cor. 2.

Differẽtia secunda.

Prudẽtia carnis, & prudentia spiritus qd differant.

sanctum ducem sequuntur prudentia, quae spiritus, potiusquam ipsorum prudentia dicenda est, vita proficiscitur, & ea quidem tranquilla, & pacifica, quam illi possident, qui beati nuncupantur. Nam in huius vitae miseria quotusquisq; est, qui non à seipso aliquando dissideat? qui aliam in membris suis, aliam in mente legem non videat? Tertiam nunc accipe differentiam. *QVONIAM SAPIENTIA CARNIS, INIMICA EST DEO.* Vnde verò carnis prudentiae aduersus Deum inimicitiae oriantur, illud declarat, quod sequitur. *LEGI ENIM DEI NON EST SVBIECTA, NEQ; ENIM POTEST.* Hinc prudentia carnis, mors est: hinc cum Deo graues gerit inimicitias, quia legi Dei neq; subiecta est, neq; obediens. Quid ita? quia ne in potestate quidem eius est, vt diuinae legis subiectam se, & obtemperantem praebeat. Tentat id equidem caro: cùm autem sine spiritu assequi non possit; tum legem negligit, atq; à Deo sese abalienat, à quo nimis duram sibi legem impositam esse arbitratur. Prudentiam autem spiritus & Deo esse amicam, & eius legi obsequentem, nihil sanè dicere opus erat, cùm dixisset eam esse vitam, & pacem, & omnibus in rebus eam prudentiae carnis aduersariam esse intelligendum sit. Quarta sequitur differentia. *QVI AVTEM IN CARNE SVNT, DEO PLACERE NON POSSVNT.* Manifestum equidem hoc, non posse homines, carnis prudentia, studio, & viribus ad hoc peruenire, vt Deo placeant: quàobrem in solenni quadam precatione cum Deo sic loquitur Ecclesia. *Tibi sine te placere non possumus.* Hoc enim illi tantùm assequuntur, qui cum in spiritu sint, toti à Dei spiritu pendent, in quo vno omnia ponunt. Sed eam iam ex his differentijs colligamus conclusionem, quam Paulus ipse sibi declarandam proposuit. Tripliciter de carnis studiosis hominibus sermonem commutauit. Dixit, eos secundum carnem ambulare: quod ad eorum vitam, ad actiones, sed opera refertur, in quibus omnibus regnat caro. Dixit, eosdem secundum carnem non ambulare modò, sed esse; quòd eorum affectus, curae, studia, cogitationes, voluntates cum carnis cupiditatibus semper coniunctae sint. Dixit denique, in carne eos esse; quia cùm à Dei spiritu vacui sint, & expertes, nihil praeter naturae vires habent; quibus, quae supra carnem sunt, curare, studere, attingere omnino non possunt. Quis autem est,

Differẽtia tertia.

Prudentia carnis Deo inimica.

Prudentia spirit. Deo amica.

Differẽtia quarta.

Dom. 18. post Pent.

Prudentia carnis Deo gratos homines facere nõ põt.

Secundum carnẽ ambulare.

Secundum carnẽ esse.

In carne esse.

est, qui quatuor illis, quas paulò ante numerauimus, auditis istorum conditionibus, quibus ab illis discernuntur, qui secundum spiritum ambulant, dubitare possit, nihil omnino ad eos legis iustificationem posse pertinere, qui in carnem toti incumbunt? quorum prudentia tendit ad mortem, & Deo est inimica? quamobrem Deo placere non possunt. Ad eos ergo iustificatio illa peruenit, qui Dei spiritu duce, quae ad illum pertinent, curant, & eius prudentia nituntur, quae cum ad vitam perducit, & pacē, tum Deo amica est: qua ratione Deo placere, & cari esse, atq; ab eo diligi possunt, & amari. *Iustificatio legis nihil animo ad eos pertinet qui in carne ambulant.*

VOS AVTEM.

PRAESENTEM, & futuram iustorum hominum libertatem declarandam suscepit Apostolus: & huc aequidem omnia spectant, quae hoc capite tractauit, de libertate à lege peccati, & mortis; de damnatione peccati in carne; de completa legis iustificatione; de differentijs eorum, qui secundum carnem, ab ijs, qui secundum spiritum ambulant. Quorum omnium haec est conclusio, in qua iustos ipsos, tanquam eos intueretur, alloquitur. *VOS AVTEM IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITV.* Qui reuera iusti sunt, hoc habent praecipuum, vt sibi ipsis, & suis viribus nihil omnino nitantur; quamuis pulchrae illae quidem, & eximiae videantur; sed diuini, ac salutaris spiritus auxilio freti, ductorem illum omnibus in rebus sequuntur. At vide, quid huic addiderit sententiae. *SI TAMEN SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS.* Ecce Pauli ipsius aperta, & clara sententia, cognoscimus quidnam sit, in spiritu esse. Hoc nempe, Dei spiritum intus in animo habitantem habere: quod quidem in omnes iustos conuenire, nullam omnino habere potest dubitationem: quando ea duntaxat ratione iusti sunt, quia sanctum Dei Spiritum in seipsis habent habitatorem. Ex quo illud etiam, nisi stupidi planè simus, intelligimus, quidnam sit, esse in carne, nihil aliud scilicet, nisi diuini spiritus domicilium non esse; eum in rebus agendis ducem, & auctorem non sequi; carnis tantùm siue naturae viribus vti. Sed vide mihi quaeso in his Pauli sententijs iucundissimam, qua seipsos in huius vitae miseria, & conflictio- *Iustorum hominum praesens et futura libertas.* *Iusti quomodo in carne non sunt.* *In spiritu esse quid?* *In carne esse quid.* *Iustorũ in praesẽti vita cõsolatio*

fictione iusti sustentare possunt, consolationem. Nullam dixerat metuendam esse damnationem ijs, qui in Christo Iesu non secundum carnem ambularent, sed secundum spiritum; ad iustos nunc sermonem conuertens inquit: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; siquidem spiritus Dei habitat in vobis: ac si diceret. Vos vos inquam estis, ad quos haec libertas, haec consolatio pertinet: quibus à damnatione nihil omnino timendum est. Atq; vt in ijs dictis nihil obscurũ, nihil inuolutum, nihil, quod in quaestionem venire posset, relinqueretur: qui secundum spiritum in Christo Iesu versentur, & qui ab hac libertate, & consolatione excludendi sint, manifestat, cùm inquit, *SI QVIS AVTEM SPIRITVM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EIVS*. Vbi sunt, qui Paulum semper habent in ore, & in sola fide, ac peccatorum venia omnem iustificationis ratione, vt inaniter, ita pertinaciter completam esse defendunt? Dicãt obsecro, Possuntne iusti vel esse, vel dici, qui ad Christum non pertinent? Non arbitror eos vsq; adeo esse impudentes, vt hoc, quod ab omni mente alienum est, audeant affirmare. An verò ad Christum pertinere possunt, qui eius spiritum non habent? Id equidem dicere, nihil profectò aliud esset, quàm huic loco apertè contradicere: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius*. Quo ergo iudicio, quà fronte à iustificatione, Christi spiritum excludunt? In hac ergo negatione, illa intelligenda est affirmatio; Qui habet spiritum Christi, hic est eius. Verùm negatione, potiusquam affirmatione vti fortasse voluit Paulus, quia longè promptius, & facilius est, spiritus Christi absentiam, quàm praesentiam cognoscere: quẽadmodum de hominis in Dei gratia statu posteriores Theologi acutè sanè disputauerunt. Neq; verò alium esse Christi, alium Dei spiritum hoc loco intelligamus, sed eundem: ex quo illud efficitur, vt qui spiritum Dei, vitae, & actionum ducem habent, & moderatorem, hi in Christo Iesu secundum spiritum ambulent, quibus peccatum in carne nihil officiat ad condemnationem. Haec igitur libertas est, vel potius pars illa libertatis, quam habent in hac vita iusti, qua seipsos sustentant, & consolantur: quam his verbis concludit. *SI AVTEM CHRISTVS IN VOBIS EST, CORPVS QVIDEM MORTVVM EST PROPTER PECCATVM; SPIRITVS VERO VIVIT PRO-*

Secundum spiritum in Christo Iesu num sint qui ambulant.

Spiritus Christi absentiã, quã praesentiã facilius est cognoscere.

Iustorũ in praesenti vita libertas, & consolatio.

PTER

PTER IVSTIFICATIONEM. Si vos Christi Iesu, & Dei spiritus carni eripit, ducit, ac moderatur; haec vestra erit praesentis vitae libertas, vt corpus ratione eius, quod in eo habitat, peccati, cuius legi carne vos estis addicti; quae (vt saepe diximus) facilis quaedam est in peccata lapsionis, & lubrica quasi procliuitas; morti sit adiudicatum, siue mori necesse sit: neq; enim adhuc est à morte liberum; verùm mens vestra ratione iustitiae, quam à Dei spiritu ita accepit, vt etiam ipsa spiritus appelletur, viuat; & ita viuat, vt ab omni mortis, & condemnationis metu libera sit, & soluta. Haec igitur est iustorum praesens libertas: quae quamuis imperfecta sit, tota carnis est viribus eripienda; tota in Dei spiritum referenda. De futura nunc, & expectata libertate, ab omni prorsus seruitute, atq; etiam, quod ad corpus attinet, ab ea morte, de qua dixit; *Corpus mortuum est propter peccatum*; quid dicat audiamus. *QVOD SI SPIRITVS EIVS, QVI SVSCITAVIT IESVM A MORTVIS, HABITAT IN VOBIS.* Non ab re spiritum Dei, spiritum eius appellauit, qui Iesum Christum excitauit à mortuis: nam Christi Iesu resurrectio, nostrae est resurrectionis, ad cuius spem nos excitare vult, certissimum argumentum, & maximum pignus. Si hic spiritus (inquit) posteaquam remissa vobis, & condonata sunt peccata, vos tanquã Dei filios gubernat, ac regit, quid de vobis futurum sit, diligenter attendite. *QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM A MORTVIS, VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA PROPTER INHABITANTEM SPIRITVM EIVS IN VOBIS.* Ille idem Deus (inquit) qui Iesum Christum exsuscitauit, ratione spiritus sui in animis vestris, tanquam patrisfamilias habitantis, corpora quoq; vestra, quae nunc mortalia sunt, & legi peccati obedientia, immortalia, & ab omni seruitute expedita, & libera in integrum restituet: vt viua, & animorum perpetua domicilia sint, neq; peccatum, neq; mortem, neq; malum deinceps vllum formidantia; ac plena, & ex omni parte perfecta libertate, & pace fruantur. Pulcherrimè profectò, vt omnia, Beatus pater Augustinus, cùm de fide gratuitae, & omne meritum excludentis iustificationis disputaret, duplicem hanc libertatem; duplicem à mortuis resurrectionem appellauit: alteram mentis; corporis alteram: ad

Iustorum corpus quo modo mortuum.

Iustorum mens quomodo viuat.

Iustorum futura, & expectata libertas.

Iustorum perfecta libertas post resurrectionem.

hunc (vt opinor) Pauli locum aptè alludens. *Per hanc enim* (inquit) *fidem, credimus, quòd etiam nos Deus à mortuis excitet interim spiritu; vt in nouitate eius gratiae temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc saeculo; post etiam carne nostra ad immortalitatem resurrecturа: quod meritum spiritus est, qui eam in resurrectione sibi congrua, hoc est in iustificatione praecedit.*

De spiritu & litera cap. 29.

ERGO FRATRES.

VT ergo ab ea libertate, quam in hac vita iusti nanciscuntur, ad plenam illam, & vndiq; expletam alterius vitae libertatem deueniant; hortatur, & monet, ne secundum carnem, sed secundum spiritum ambulent; à damnationis metu eos absoluit, hac adiecta conditione, si non secundum carnem, sed secundum spiritum ambularent. Inquit autem. *ERGO FRATRES DEBITORES SVMVS NON CARNI, VT SECVNDVM CARNEM VIVAMVS.* Omnes loquendi modos, tralatitios illos quidem, & non satis apertos, quibus hactenus vsus est, ambulare videlicet secundum carnem, esse secundum carnem, esse in carne; hoc loco, tanquam explanans, viuere dixit secundum carnem. Id verò est (quemadmodum antea quoq; diximus) cupiditati, quae in carne sedem habet, & propensioni ad malum obsequentem se praebere. Sed quam afferat, vide, cohortationis huius rationem. *SI ENIM SECVNDVM CARNEN VIXERITIS, MORIEMINI.* Verè admodum suprà dixit, Prudentiam carnis esse mortem; cui hoc aptè respondet, quod modò attulit. Tantum enim abesse, inquit, vt ad alterius vitae libertatem aspirare valeatis, vt post mortẽ corporis nihil vobis, secundum carnem viuentibus, expectandũ sit boni; eam etenim secunda mors, siue damnatio ad poenã sempiternam mox consequetur. Videtur autem aliquid hoc loco Paulus intelligendum reliquisse, more quidem suo, qui [illegible] libenter sectatur: puta hoc. Sed debitores sumus spiritui, vt secundum spiritum viuamus. Quae enim vita sit secundum spiritum, & quid eam insequatur, ostendit, dicens. *SI AVTEM SPIRITV FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS, VIVETIS.* Ecce quae vita est secundum spiritum: opera nempe carnis, motus scilicet, & cupi-

Secundum carnem nõ viuẽdum.

Secundum carnem viuere quid?

Mors secunda.

Vita secundum spiritum quae.

cupiditates eius, spiritu Dei adiuuante, conculcare, ac deprimere: quam, qui sectantur, vitam, illam assequuntur, quae sola reuera vita est, de qua suprà dixit: *Prudētia spiritus, vita & pax.*

QVICVNQ. ENIM.

QVOMODO autem pacificam hanc vitam, quae cùm sempiterna sit, & ab omni perturbatione libera, diuina potiusquàm humana censenda est, homines sibi polliceri queant, explanare incipit; ac primum proponit: eos homines, de quibus ipse loquitur, qui secundum spiritum viuunt, eoq; duce & auctore facta carnis domant, & reprimunt, ad hunc vsq; altissimum gradum erigi, & efferri, vt filij Dei non modò nuncupentur, verùm etiam sint. Audacter ergo inquit. *QVICVNQ; ENIM SPIRITV DEI AGVNTVR, HI SVNT FILII DEI.* *Filij Dei qui?* Qui secundum Dei spiritum viuunt, & facta carnis frangunt, atq, repellunt, non suo illi quidem spiritu tantum valent, tantumq; possunt; verùm diuino spiritu agitantur, ducuntur, gubernantur: ex quo intelligi facilè potest, esse illos filios Dei. Proprium nanque, & peculiare filiorum est, non ex se, & sua sponte vitam instituere, sed patrum monita, atq; praecepta sequi. Cùm autem Dei quoq; spiritu Iudaeos ex Aegypto eductos, & in terram, eorum patribus promissam, introductos fuisse constaret; vbi diuinae legis ductu vitam agebant: quid inter illos, & eos, quos nunc Dei filios esse ait, interesset, ostendit, dicens. *NON ENIM ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS ITERVM IN TIMORE; SED ACCEPISTIS SPIRITVM ADOPTIONIS FILIORVM, IN QVO CLAMAMVS ABBA PATER.* Ducebantur illi quidem à spiritu Dei; verùm tanquam serui, ad hoc vsque, vt scelerum, & neglectae diuinae legis poenam formidarent: at iusti ex fide, & gratia Domini nostri Iesu Christi, non tanquam serui, sed tanquam adoptione filij suauissimo amoris iugo ducuntur, & gubernantur: in quibus (vt Beatus Ioannes inquit) *perfecta charitas foras mittit timorem.* Huius ergo spiritus virtute, & impulsu, quò apud omnes nationes haec eorum gratia cognita sit, & peruulgata, Deum, patris nomine, omnes ex fide iusti inuocamus; tā nos

Iudaei quō à spiritu Dei ducebantur.

Iusti ex fide quomodo à spiritu Dei ducātur.

1. Io. 4.

Iudaei, quam aliarum gentium homines: nos quidem nostra voce, Abba: illi sua, Pater. Dum autem hunc Pauli locum legimus, ne filijs Dei ociosis, & cessantibus esse licere existimemus, vel ex eo, quòd Dei spiritu agantur, vel quòd non seruitutis, sed adoptionis spiritum acceperunt; quemadmodum eum Sanctus Pater Augustinus tẽperauerit, meminisse oportet. Is enim aduersus sui temporis haereticos, dicentes. *Vt quid nobis praedicatur, atq; praecipitur, vt declinemus à malo; & faciamus bonum, si hoc nos non agimus; si id velle, & operari Deus operatur in nobis? Intelligant,* inquit, *si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est, agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant.* IPSE ENIM SPIRITVS TESTIMONIVM REDDIT SPIRITVI NOSTRO, QVOD SVMVS FILII DEI. Hac voce, hoc clamore, quo Deum patrem inuocamus, ad quem non suo, sed Dei spiritu iusti incitantur, eiusdem spiritus testimonio discunt, se esse filios Dei. Sed est hoc loco diligenter animaduertendum, eos, qui Dei spiritu excitante, Deum inuocantes, patrem appellant, hoc adoptionis suae testimonium capere, & sanctiorem quandam confirmationem: quibus etiam atq; etiã videndum est, ne, quod proprio agunt spiritu, id se Dei spiritu agere falsò existiment; ac adoptionis in haereditatem ius temere sibi assumant. Qua quidem in re magnum animaduerti lapsum in ijs, qui ab huius temporis haereticis miserè circũuenti, multa de paterna Dei erga seipsos singulariter beneuolentia, audacter dicunt, & immoderatè iactant. Mortalium omnium miserrimi homines, qui an filiorum ipsi vitam, & mores exprimant, vel non cogitant; vel dissimulant, ignorantes omnino, quae loquuntur, & de quibus affirmant. Sed iam digitum intendit, ad eam vitam, quae cum perfecta libertate copulata est, commonstrandam; quam iustis, spiritu facta carnis domantibus, pollicitus est, cùm inquit. SI AVTEM FILII, ET HAEREDES: HAEREDES QVIDEM DEI, COHAEREDES AVTEM CHRISTI. Quis est, qui dubitare possit, filios paternorum bonorum haeredes esse? An agricolae videntes filium, non dixerunt, *Hic est haeres?* Quis item non videat, iustos omnes à Deo adoptatos, Dei ipsius, tanquam patris, non natura sed voluntate haeredes fore, & Christi cohaeredes, qui natura, Dei Filius

De corr, & gratia cap. 2.

Filij Dei quo spiritu Dei aguntur.

Testimoniũ spiritus.

Spiritus testimoniũ circumspectè capiendum.

Haereditas filiorũ.

Filius est? *Hinc enim* (vt Augustinus ait) *adoptionem recepimus, quòd Filius ille vnicus non dedignatus est participationem naturae nostrae, factus ex muliere: vt non solùm vnigenitus, vbi fratres non habet, sed etiam primogenitus in multis fratribus esset.* Diuina haec haereditas, vita illa est, & absoluta libertas, ad quam Deus Pater, qui excitauit Iesum Christum à mortuis, exsuscitabit mortalia iustorum omnium corpora; quam ipsi nunc omnes auidissimè expectant. Quod autem addidit. *SI TAMEN COMPATIMVR, VT ET CONGLORIFICEMVR.* In omnibus Dei filijs, iustis omnibus, secundum spiritum (vt diximus) viuentibus, verissimum est: qui cum Christo aduersa omnia patienter tolerant, vt vitae illius, de qua sermo est, ac beatae, & sempiternae gloriae vnà cum eo tanquã cohaeredes, participes esse possint, & consortes.

In ep. ad Galat.

Adoptio vnde contingat.

Libertas perfecta in aeterna haereditate.

EXISTIMO ENIM.

De hac filiorum Dei haereditate, & gloria, vt ad eius desiderium animos erigat, & inflammet, quaedam edocet, quorum primum ad eius amplitudinem pertinet, & excellentiam, de quo inquit. *EXISTIMO ENIM, QVOD NON SVNT CONDIGNAE PASSIONES HVIVS TEMPORIS AD FVTVRAM GLORIAM, QVAE REVELABITVR IN NOBIS.* Non opinione, & coniectura ductus, dixit, *EXISTIMO*, sed ad rei ipsius veritatem, quae absq; vlla est haesitatione sequenda: vt subducta ratione iudicandi, decernendi, asserendi vim hoc habeat verbum. Decernit enim; aerumnas, miserias, calamitates omnes, quas dum hanc vitam viuunt filij Dei perpetiuntur, ac perferunt, impares esse futurae gloriae, cuius haeredes scripti sunt. Ptopterea fortè non simpliciter suprà dixit. *Si tamen patimur, vt & glorificemur:* Sed vnà cũ Christo addidit: quò ostenderet, absq; fide, quae cum Christo connectit, & copulat, nihil prodesse in afflictionibus, & rebus aduersis tolerantiam. Ille enim innocentissimus agnus omni immanitate, atq; feritate cruciatus, & sibi, & suis omnibus imitatoribus hanc tantam, & tam praeclaram haereditatem, ac gloriam commeruit, atq; comparauit: quae (vt inquit) in ipsis Dei filijs suo tempore manifestanda est, nunc autem occulta

Haereditatis diuinae amplitudo, & excellentia.

Tolerantia in rebus aduersis cum Christo esse debet, & cur.

culta latet. Haec illa est gloria, de qua alio loco Dei filios cùm alloqueretur Paulus: *Mortui* (inquit) *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Vide obsecro, quam haec sibi mutuo aptè respondeant. Nam quod ait, *Mortui estis*, ita est accipiendum, vt illud, quód paulò ante declarauimus; *Corpus mortuum est propter peccatum.* Vita verò mortalium oculis nunc abscondita, quae vnà cum Christo apud patrem est, iustitia filiorum Dei est, cuius ratione in corpore mortuo spiritus viuit. Patefactio autem filiorum Dei vnà cum Christo praeclara, & gloriosa, cum eo congruit, quod dixit. *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Alterum, quod de hac haereditate, & gloria declarat, ad expectationem spectat totius vniuersi, anxiè, & vehementer optantis huius gloriae filiorum Dei eminentem, & claram explicationem. Accipiendum autem, quod inquit, expectari hoc ab vniuersó mundo, non propriè; quod quidem illis congruit, qui id sentiunt, quod expectant: sed per quandam similitudinem accipiédum est; quemadmodum terra imbrem expectare dicitur, & tempus ad fructus ferendos opportunum. Non aliter intelligere oportet, quod ait expectari ab vniuerso ad sui renouationem, gloriam filiorum Dei: ante enim illud tempus nõ renouabitur. De hoc ergo inquit. *NAM EXPECTATIO CREATVRAE REVELATIONEM FILIORVM DEI EXPECTAT.* Res omnes creatae, cœlum, terra, & quae eis continentur omnia, solicito, & vehementi laborant desiderio patefactionis gloriae filiorum Dei: hoc requirunt; hoc sitiunt; hoc postulant. Vnde verò vniuersitatis huius adeò vehemens, ac solicita expectatio oriatur, statim aperit, cùm inquit. *VANITATI ENIM CREATVRA SVBIECTA EST, NON VOLENS, SED PROPTER EVM, QVI SVBIECIT EAM IN SPE; QVIA ET IPSA CREATVRA LIBERABITVR A SERVITVTE CORRVPTIONIS IN LIBERTATEM GLORIAE FILIORVM DEI.* Hic primùm diligenter animaduertenda est rerum omnium creatarum vanitas, quo verbo earum exprimitur mutabilitas, aerumna, mise-

Col. 3.

Iusti quo mortui.

Iustorum abscondita vita quae.

Manifestatio filiorum Dei quae.

Expectatio vniuersi.

Creaturae totius vanitas.

miseria, corruptio, interitus: deinde his omnibus malis eas esse obnoxias, non suo quidem aut consilio, aut appetitu; quemadmodum homo, qui volens, ac lubens illis ijsdem se submisit calamitatibus, sed ita iubente Deo: qui cùm res cōdidisset vniuersas, hominis vnius gratia, & eas omnino valde bonas, peccante homine, non secus atq; homo ipse, vanitati subiectas esse voluit. Nam & homo quoq; (vt Dauid inquit) vanitati similis factus est, & dies eius sicut vmbra praetereūt. Postea illud quoq; intelligendum; placuisse Deo, rebus conditis, & vanitati ob eam, quam diximus causam, subiectis, aliquam relinquere spem; illam scilicet, quòd à vanitate, quam mutato vocabulo seruitutem corruptionis appellat, aliquando tandem liberandae essent, atq; in libertatem aptam gloriae filiorum Dei asserendae. Concludendum deniq; hanc rerum creatarum vanitatem, seruitutem, & spem, in causa esse huius tam solicitae, & anxiae expectationis: quam Paulus ipsis rebus creatis attribuit; at verò Petrus filijs Dei, de quorum persona dixit, *Nouos coelos, & nouam terram expectamus, in quibus iustitia habitat.* Vtrisq; enim conuenit; sed filijs Dei propriè; rebus verò creatis, per quandam (vt diximus) translatam similitudinem.

Psal. 143.

Creaturae spes.

2. Pe. 3.

SCIMVS ENIM.

EXPECTATIONEM hanc, & moram, quāquam bona spe sustentetur, & rebus nihilominus à Deo procreatis omnibus, & ipsis quoq; Dei filijs grauem esse, atq; molestam declarat. Nam (vt dixit Sapiens) *Spes, quae differtur, affligit animam, lignum vitae desiderium veniens.* De rebus igitur creatis inquit. *SCIMVS ENIM, QVOD OMNIS CREATVRA INGEMISCIT, ET PARTVRIT VSQ; ADHVC.* Gemitibus, & magnis parturientis doloribus totius vniuersi molestiam comparat, & angorem. Dixit autem, *Scimus*, quia ante omnium oculos versatur, ac manibus ferè attrectatur: cùm nulla sit huius vniuersitatis pars, quae dum variè commutatur, ac nunquam in eodem statu permanet; dum corrumpitur, & interit, non ostendat, & quadam quasi voce, & clamore testetur, se status praesentis poenitere, eiusq; conditiones, odiosas, & molestas habere. Addidit autem & de

Expectatio molesta.

Prou. 13.

Status praesentis cōditiones omni creaturae odiosa.

de filijs Dei. *NON SOLVM AVTEM ILLA, SED ET NOS IPSI, PRIMITIAS SPIRITVS HABENTES, ET IPSI INTRA NOS GEMIMVS, ADOPTIONEM FILIORVM DEI EXPECTANTES, REDEMPTIONEM CORPORIS NOSTRI.* Diuturnae huius expectationis, & tarditatis ratione, filiorum quoq; Dei animos occulto, & interiore gemitu, atq; intimo cordis dolore folicitari, inquit, & angi. Qui quamuis primitias spiritus habeāt, partem scilicet illam libertatis, cuius gratia (vt diximus) mortuo corpore propter peccatum, spiritus viuit propter iustitiam, quamuis etiam spiritum adoptionis acceperint; adhuc tamen spiritus expletionem, & illam adoptionis partem anxij, & gementes expectant, qua perfecta, & absoluta libertas, corporis quinetiam ab omni seruitute liberatio continetur. Et haec quidē de maxima expectationis huius molestia, & solicitudine.

Filiorum Dei angustiae, & gemitus.

SPE ENIM.



HÆC adeo longa, & molesta expectatio, cuius gratia mūdus vniuersus, & ipsi quoque, ad quos praecipuè pertinet, filij Dei moerent, ingemunt, affliguntur, duobus maximè praesidijs sustentatur, ac nititur: quorum primum spes est, de quo inquit. *SPE ENIM SALVI FACTI SVMVS.* Vt enim res creatae vniuersae vanitati ita subiectae sunt, vt futurae spe libertatis non omnino careant: ita filij quoq; Dei perfectae, & absolutae salutis in hac vita spem tantummodo habeant. *SPES AVTEM, QVAE VIDETVR, NON EST SPES: QVOD ENIM VIDET QVIS, QVID ET SPERAT?* Cùm eò ventum est, vt illud ab oculos adsit, quod spectatur, nullum sibi locum spes vendicare potest. Quis enim vsq; adeo desipiat, vt quod iam adeptus est, id adhuc sperare se dixerit? *SI AVTEM, QVOD NON VIDEMVS, SPERAMVS; PER PATIENTIAM EXPECTAMVS.* Hac ergo bona, & magna spe ducuntur filij Dei, vt quod eorum libertati deesse aspiciunt, magna id auiditate, & patientia expectent. Est autem illud, vt saepe diximus, carnis ab omni seruitute, legis praesertim peccati, & membrorum libertas.

Filiorum Dei in praesenti miseria adiumēta.

Salutis perfectae spes.

Filiorum Dei, spes quae?

SIMI-

SIMILITER AVTEM.

LTERVM filiorum Dei in hac expectatione praesidium ab auxilio manat Spiritussancti in eis habitantis, eosq; dirigentis, & moderantis, de quo inquit. *SIMILITER AVTEM ET SPIRITVS ADIVVAT INFIRMITATEM NOSTRAM.* Non vna spes, Dei filios in hac expectatione alit, & sustinet; sed & Spiritussancti adiumentum: quod nisi illis similiter atq; spes adesset, & à spe statim, & à patientia deciderent; tanta est omnium hominum in hac vita imbecillitas. Hoc autem vnius dũtaxat rei declarat exemplo, quae est ad salutem, & expectationis huius temperandas molestias summopere necessaria, & tanquam salutaris quaedam medicina. Ea est precatio: in qua humanam primùm pondera imbecillitatem; de ea enim inquit. *NAM QVID OREMVS, SICVT OPORTET, NESCIMVS.* Tanta quidem est animi humani infirmitas, vt quamuis multa Deum precari quotidie oporteat, ignoret tamen & quid precibus poscendum sit, quod certò affirmare queat fore sibi salutare; & rectam precãdi rationem, ac viam. Huic verò tam perniciosae ignorantiae, quae summa est animi imbecillitas, quam opem ferat Spiritussanctus, sic explanat. *SED IPSE SPIRITVS POSTVLAT PRO NOBIS GEMITIBVS INENARRABILIBVS.* Nihil profectò horum Spirituisancto tribui rectè posse videtur, non gemitus, non postulatio, qui cum Patre & Filio vnus est Deus, vnus est Dominus; nisi eos sequamur, qui dicunt, haec ad illum ea ratione transferri, qua in filiorum Dei spiritu, quem incolit, illa efficit, dum eis ad rectè, & quemadmodum decet, gemendum, & postulandũ opitulatur: quod quidem quonam modo in eis efficiat, illi ipsi Filij Dei enarrare non possunt: sentiunt tantùm, effari verò nequeunt. Sed attendendum diligenter est, hoc in loco miserè olim lapsos fuisse, & cecidisse Macedonianos, qui sermonis huius occasione Spiritumsanctum diuina natura spoliarũt, & in rebus creatis numerarunt: at verò Paulus haec eadem paulò suprà, Dei filijs dedit; dum clamare illos, & gemere dixit, quae nunc Spirituisancto attribuit; vt quò haec, quae absona videntur, & à fide, quae in Spiritumsanctum esse debet, abhorrentia, spectarent,

Spiritussãcti auxiliũ.

Humana in precãdo imbecillitas.

Spiritussanctus, quo postulat, et gemit.

Macedoniana haeresis.

ctarent, animaduerteremus: eò quippe, vt intelligeremus nihil omnino neq; preces, neq; lacrymas ad salutem prodesse, nisi ex ea parte, qua, Spiritusancto auctore, & effectore, proficiscuntur: cuius vnius, non alterius vllius rei respectu, & lacrymas filiorum suorum respicit Deus; & preces exaudit: ad quod illud pertinet, quod sequitur. *QVI AVTEM SCRVTATVR CORDA, SCIT, QVID DESIDERET SPIRITVS.* Deus, qui res occultas omnes, & penitus intimas cognoscit, & introspicit, quem ea ratione Dauid renes, & corda scrutari dixit, studium, ac desiderium, quod in filijs eius Spiritussanctus efficit, agnouit, & approbauit: cuius ratio est. *QVIA SECVNDVM DEVM POSTVLAT PRO SANCTIS.* Hoc illud est, quod ignorare homines, suprà dixit; quodq; per seipsos, naturae scilicet vi, facere nequeunt: hoc est; orare, sicut oportet; ad diuinam volútatem in votis, & precibus se conformare: quod tum maximè fit, cùm de perfecta sanctorum libertate preces adhibentur: quas audit Deus libentissimè, cùm ad regni eius aduentum, & perfectionem pertineant. Hoc autem loco nos ipsos totos erigamus oportet: vt agnoscamus, quam exiguum illud sit, quod in sanctis, & salutaribus operibus nobis ipsis assumere, & nostris viribus cócedere iure possumus: posteaquam gemere, & precari, non pro alijs, sed pro nobis ipsis, Spiritui sancto tribuit magnus secretorum Dei conscius, qui in sémetipso Spiritumsanctũ, & omnes eius motus sentiebat Apostolus. Rem hanc totam ita expressit, vt haereticis potius negandi Spiritussancti diuinitatem, ansam non eripere, quam Filijs Dei occasionem dare, aliquid sibi ad salutem sempiternam arrogandi, & suis viribus tribuendi, noluisse videatur: vsq; adeo salutaria omnia ad Spiritumsanctum, bonorum omnium auctorem, & effectorem, & Dei gratiam, atq; benignitatem, referri voluit.

Preces, & lacrymae vt ad salutẽ prosint.

Scrutari corda, & renes. Psal. 7.

Salutis opera Spiritui sancto potissimùm tribuenda.

SCIMVS AVTEM.

PRAETER duo praesidia, quibus in hac diuturna, & molesta expectatione Filios Dei sustentari declarauimus; quorum alterum spes est futurae libertatis; alterum Spiritussancti adiumentum: tertium attulit diuinus Apostolus, quod summopere valet non ad minuendam solùm huius

Filiorum Dei tertiũ

huius expectationis molestiam; sed ad toleranda libenter omnia, quaecunq; eis in hac vita contingere possunt aduersa. Hoc vnum (vt arbitror) Dei filios omnes in contumelijs, tormentis, aduersissimis omnibus rebus, ac morte deniq; ipsa non moestos, sed laetos; non vacillantes, sed constantes; non timidos, sed securos constituebat. Arrigendae autem nobis non tam corporis, quàm animi aures sunt: nam versari incipimus in loco, quo profundissima Dei secreta tractantur: vnde prophani, impuri, & contentiosi procul arcendi sunt homines; mundi huius sapientes, & prudentes amouendi; paruuli verò aduocandi. Pelagus est vastissimum, in quo quamuis mergantur elephanti, agni tamen natant. Sed videamus, qua animi fidentia, & quàm intrepidè profundum hoc, & immensum mare Paulus ingrediatur. Inquit enim. *SCIMVS AVTEM, QVONIAM DILIGENTIBVS DEVM OMNIA COOPERANTVR IN BONVM.* Nihil veremur; cognitum habemus, & certum; fidenter affirmamus, non modò hanc tandiu dilatam expectationem, sed omnia prorsus filijs Dei, Deum tanquam patrem religiosè colentibus, & diligentibus, omnia inquam, quae eis in hac vita accidunt, adiumento esse, & suffragari, ad summum bonum, & optatissimum absolutae, & perfectae beatitudinis finem adipiscendum. Sed age Paulo duce, demus vela ventis, profunda Dei ingrediamur. Quinàm ij sunt, quos tot eximijs titulis ornauit, tot praeclaris, ac diuinis nominibus illustrauit? Filios Dei appellauit, haeredes Dei, & cohaeredes Christi instituit: quos postremò non seruos metuentes, sed liberos diligentes Deum suo, quasi certo, ac proprio nomine nominauit: quibus antea dixerat. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Vide quaeso quemadmodum hosce describere; & suis quasi coloribus depingere; ac tantam eorum amplitudinem, atque dignitatem in suas veras, & altissimas causas referre aggrediatur. Inquit enim. *HIS, QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI.* Hi sunt, quorum erga Deum amorem, Dei vocatio antecedit. Neq; enim Deum diligerent, nisi vocati prius à Deo: vocati verò secundum propositum, non ipsorum, sed Dei: non quia sancti essent; sed vt sancti efficerentur. Ne igitur haec vocatio, communis illa intelligeretur, quae ad omnes pertinet; eos etiam,

in praesenti vita adiumentum. *Hinc tripudiū inter spinas.*

Prou. 9.

Filijs Dei ad salutem omnia suffragantur.

Filiorum Dei nomina.

Filij Dei qui? *Aug. Prop. 55. Epistole ad Rom.*

qui diuinae voci non auscultant, eam non simpliciter vocationem appellauit, sed secundum propositum adiecit. Vt autem vocationis istius mentibus nostris memoria firmissimè infixa inhaereat; & ab illa discernatur, quae ad omnes communiter homines porrigitur, de qua legimus, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: quae eam praecurrant, quaeq; subsequantur, ostendit: quibus cognitis illud liquidò constabit, quod proposuit: sanctos Dei filios ab omnibus, quae eis in hac vita contingunt, siue secunda ea, siue aduersa sint, ad vltimũ bonorum omnium finem adipiscendum adiuuari. Inquit autem. *NAM QVOS PRAESCIVIT, ET PRAEDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SVI.* Praescientiam praedestinationi anteposuit, vt Dei filios declararet, ante mundi constitutionem (vt alio loco inquit) praedestinatos, siue delectos à Deo fuisse, cùm procreati nondum essent; sed illos Deus, quos nondum procreauerat, nosset: nec tantùm nosset, verùm etiam diligeret; approbaret; & quales ipsi non naturae viribus futuri essent, sed eos ipse gratiae suae beneficio facturus esset, decerneret. Habet enim scientiae, siue cognitionis in sacris literis vocabulum, Augustino teste, vim significandi saepenumero non nudam quandam, & simplicem Dei notitiam; sed cum amore, beneuolentia, & probatione coniunctam: quò illud Dauidis spectare voluit. *Declinantem à me malignum non cognoscebam.* Illud praeterea, quod ad Galatas scripsit Paulus. *Nunc autem cùm cognoueritis Deum, immo cogniti sitis à Deo.* Quo etiam & ego spectare arbitror Iesu Christi illud aduersus eos, qui vaticinia, & miracula in extremo iudicio iactabunt. *Nunquam noui vos.* Illud quoq; caelestis spõsi ad fatuas virgines. *Nescio vos.* Et quod Paulus scripsit ad Corinthios. *Siquis diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Signum denĩq; illud, quod est graece σφραγὶς, de quo scripsit ad Timotheum. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Sed ad propositum reuertamur. Primum, quod hoc loco de praedestinatione docemur, est: eam esse sempiternam, & in praescientia Dei factam: quod post Paulum his verbis docuit Augustinus. *Antequam faceret nos Deus, praesciuit nos, & in ipsa nos praescientia, cùm nondum fecisset, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, nisi ab eo, qui vocat omnia, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt?*

Sed

De Praedest. San. cap. 18.

Vocatio secũdũ propositum.

Matth. 20

Praescientia praedestinationi cur anteposita.

Eph. 1.

Cognitionis, siue scientiae in sacris literis nomen quid saepe significet.

In Ps. 100. & Epist. ad Galat.

Psal. 100.

Galat. 4.

Matth. 7. & 25.

1. Cor. 6.

2. Tim. 2.

Praedestinatio in praesciẽtia Dei sempiterna.

Sed ne praeſcientiae voce fallamur, maximopere cauendum eſt, quemadmodum & illi, qui (vt Auguſtinus ait) praeſcientiam Dei contra gratiam Dei defendebant, atq; idcirco dicebant. Nos Deus elegit, quia bonos futuros eſſe praeſciuit. O magnam profectò à veritate aberrationem: cùm fatendum ſit, nimia pietate, & ſummo amore nullius praecogniti meriti reſpectu, eos Deum elegiſſe, quos gratiae ſuae munere ex malis, perditis, damnatis, bonos, ſaluos, felices efficere ſtatuiſſet. Alterum, quod docemur eſt, quidnam ſit, quod aeterno illo diuinae praedeſtinationis decreto, contineatur: hoc nempe: praedeſtinatos conformandos eſſe ad imaginem Filij Dei IESV CHRISTI Domini noſtri. Quae obſecro haec eſt imago, ad quam illi conformandi ſunt, de quibus diuinum, ac ſempiternum extat decretum? Imago haec, illa complectitur, quibus Epiſtolae huius initio Ieſum Chriſtum declaratum, & tanquam in ſpeculo demonſtratum fuiſſe Filiū Dei Paulus oſtendit. Ea fuère, Potentia, Spiritusſanctus, & Exſuſcitatio à mortuis ad vitam immortalem, cum corpore, gloria, & ſplendore clariſſimo. Simillimi equidem in his omnibus ei ſunt reliqui filij Dei: nam quid eſt in rebus humanis, illis potentius, qui non cum carne, & ſanguine, ſed cū principibus, & potentiſſimis mundi huius tenebricoſi rectoribus, ac ſpiritualibus nequitijs luctantur? Quid Spiritui ſancto familiarius? quo duce non facta modò, & verba; ſed ſuas omnes moderantur cogitationes: cuius teſtimonio diſcunt, ſe eſſe filios Dei. Quid eorum corporibus, poſt eam, quam auidiſſimi expectant, à mortuis reſurrectionem, diuinitùs inſtauratis ſplendidius, ornatius, glorioſius? De hac imagine ſcripſit ad Corinthios Paulus. *Sicut portauimus imaginem terreni, portabimus & imaginem coeleſtis*. Imago terreni eſt, quicquid Adam, qui primus fuit homo de terra terrenus, in ſuam poſteritatem deriuauit; ſiue ad animam ſpectet; ſiue ad corpus. Imago coeleſtis haec eſt, de qua diximus, quam filij Dei à Deo patre accipiunt, qua ad imaginem aeterni, & vnici Filij ſui conformantur, qui fuit ſecundus homo de coelo coeleſtis. Sed in hac inter vnicum Dei Filium, & alios praedeſtinatos ſimilitudine magna omnino attendenda eſt varietas, quam breui Paulus innuit, potiuſquam explicet, inquiens. *VT SIT IPSE PRIMOGENITVS IN MVLTIS FRATRIBVS*. Non exaequantur huic, qui eſt natura Filius,

De prædeſt. & gratia cap. 5.

Electio an ex futurorum praeſcientia.

In Ioan. Tract. 86.

Praedeſtinationis decretū quid contineat.

Imago filij Dei quae.

Praedeſtinatorum conformatio ad imaginem filij Dei.

1. Cor. 15.

Imago terreni.

Imago coeleſtis.

Praedeſtinati reliqui à Chriſto quid differant.

lius, alij adoptione filij. Hic enim, tanquam primogenitus, ad haereditatem iure suo, ac merito peruenit: alij haereditatem gratuito participant. Hic nullo vnquam fuit peccato inquinatus: alij huius vnius gratia redemptionem habent, & remissionem peccatorum. Hic imago est Dei inuisibilis: alij imaginis illius tenuem quandam sortiti sunt partem. Huius est gloria, vt capitis: aliorum, vt membrorum, quae nihil boni à seipsis, omnia habent à capite. Cùm autem praedestinatio (vt diximus) aeterna sit, & tota in praescientia Dei: quid in ipsis praedestinatis suo tempore pariat, Paulo referente, videamus. Primum itaq; omnium vocatio est, de qua inquit. *QVOS AVTEM PRAEDESTINAVIT, HOS ET VOCAVIT.* Non haec illa est vocatio, qua nonnulli ad coenam siue nuptias vocati venire noluerunt: hac enim, cùm ad solos pertineat praedestinatos, quicunq; vocantur, voluntarij veniunt: & ea est, quam paulò ante secundum propositum appellauit, ac non multò post inter Dei munera numerat, quae sunt ἀμεταμέλητα. quorum Deus nullam vnquam habiturus sit causam poenitendi. Vocantur autem praedestinati, ad fidem, quae primum est Dei donum, sine quo fieri nõ potest, vt Deo quis placeat. Vocantur ad bonam voluntatem: Deus est enim, qui operatur velle. Vocantur denique ad opera bona, & vitae aeternae merita: quae quamuis Dei gratiam, & benignam erga suos voluntatem non pariant, ab ea tamen pariuntur. Quid autem hanc sequatur vocationẽ, sic explicauit. *ET QVOS VOCAVIT, HOS ET IVSTIFICAVIT.* Non ergo, priusquam à Deo vocarentur, iusti erant: nam & fide carebant, & bona voluntate: nec vlla eorum opera tam bona erant, quàm illa esse oportet, quae Deo probantur. Haec enim tum assequuntur, cùm ex impijs iusti; ex seruis filij; ex inimicis, condonatis peccatis, & Spiritussancti gratia accepta, amici efficiuntur. Deniq; cùm iusti fuerint, quid eis esset expectandum, tanquam horum omnium diuinorum bonorum vltimum, sic expressit. *QVOS AVTEM IVSTIFICAVIT, ILLOS ET GLORIFICAVIT.* Ad eam gloriae magnitudinem eos extulit Deus, vt imaginis Filij sui iam conformes, coelestium, & sempiternorum bonorum, velut filij, & haeredes, participes essent. Duo sunt hoc loco minimè praetereunda: quae non meis, sed summi huius doctrinae, si à Paulo recesseris, magi-

stri

Christus primogenitus.

Praedestinatio quid in praedestinatis pariat.

Vocatio praedestinatorum.
Matth.22.
Luc.14.
August.83. quest.q.68.
De praed. San. c. 16.
Epist. 59. Cap.11.
Fides.
Eph.2.
Voluntas bona.
Hebr.11.
Phil. 2.
Merita.
Iustificatio

Glorificatio.

ſtri, Auguſtini inquam verbis proponam. Eorum alterum ad loquendi modum, quo Paulus vtitur, attinet, qui de rebus nondum perfectis, tanquam de iam perfectè praeteritis, loquitur; alterum ad eorum retundendam temeritatem dicam, an ignominiam, an improbitatem potius? qui haec de filijs Dei communiter dicta ſibiipſis vſurpant, ac docent: oportere Chriſtianos omnes catholica, & minimè dubia fide ſeipſos ſigillatim praedeſtinatos, atq; ad gloriam filiorum Dei certò adipiſcẽdam aſcriptos eſſe credere. De primo itaq; ſic inquit. *Adhuc vſq; in finem ſaeculi multi vocandi, & iuſtificandi ſunt: & tamen verba praeteriti temporis poſuit de rebus etiam futuris: tanquam iam fecerit Deus, quae iam vt fierent, ex aeternitate diſpoſuit.* Ideo de illo dicit Propheta Eſaias. *Qui fecit, quae futura ſunt. Quicunq; ergo in Dei prouidentiſſima diſpoſitione praeſciti, praedeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, iam filij Dei ſunt.* De altero, *Quis eſt* (inquit) *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero praedeſtinatorum ſe eſſe praeſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanae angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus.* Et de vocatione, quam ſecundum propoſitum Paulus appellauit, inquit. *Ad hanc vocationem pertinere nullus eſt homo ab hominibus certa aſſeueratione dicendus, niſi cum de hoc ſaeculo exierit. in hac autem vita quae tentatio eſt ſuper terrã, qui videtur ſtare, videat ne cadat.*

Loquendi modus.
De corr. & gratia cap. 9.
Iſa. 45.
Praedeſtinatio occulta.
Aug. vbi ſup. cap. 13
De bo. per. cap. 13.

QVID ERGO.

ACTENVS Spirituiſancto placuit per hunc ſanctum Apoſtolum religionis magiſtrum exquiſitum, & veritatis doctorem electiſſimum, diuinae, & aeternae praedeſtinationis arcanũ, occultumq; decretum reſerare: ad confirmandam nunc, & corroborandam filiorum Dei in tam moleſta, longa, & dura expectatione ſpem, reuertitur: & illud efficit, atq; concludit, quod propoſuerat: diligentibus Deum omnia adiumento eſſe, & ſuffragari ad veram adipiſcendam felicitatem. Inquit autem. *QVID ERGO DICEMVS AD HAEC?* Quid eſt, quod afferri queat aduerſus haec filiorum Dei tot, & tam firma, ac ſalutaria praeſidia, quibus ab omni aduerſariorum incurſu, & impetu ſepti, munitiq; ſunt? Quid

Filijs Dei ad ſalutem omnia ſuffragantur.

eſt

est, quod eorum spem, aut praecidere, aut in dubium reuocare possit? Ostendit autem, nullum eis metuendum esse aduersarium, à quo spe, qua sustentantur, fraudari possint, dicens. *SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS?* Si filijs Dei, aeterno Dei ipsius decreto, diuina, & coelestis haereditas destinata est; si ad eam accersiti; si iustitia, quam nullis meritis adipisci poterant, gratuitò donati; si verae, & sempiternae gloriae tam proximi habendi sunt, vt eam iam adepti videantur; quis tantū habebit virium, vt eorum expectationem irritam facere posit, & vanam? Cùm autem haec, quae attulit, Dei erga suos filios beneficia, altiora sint, quàm vt à quocunq; intelligi, & penetrari animo possint, quae ipsis quoq; Dei filijs, quoad hanc vitam viuunt, vt Augustini testimonio declarauimus, abscondita sunt; patentiùs nunc, & expeditiùs, quodq; magis eminet, & apparet, diuinae erga eosdem beneuolentiae argumentum affert, quod maximum est salutis eorum, & futurae gloriae pignus, de quo inquit. *QVI ETIAM PROPRIO FILIO NON PEPERCIT, SED PRO NOBIS OMNIBVS TRADIDIT ILLVM.* Magnum hoc diuini amoris, & immensum pignus semper ob oculos habendum, ille ipse Dei Filius pro nobis traditus, priusquam à Paulo cognosceretur, sic expressit. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ex quo illud per interrogationem efficit, quod huius disputationis initio proposuerat: omnibus quibusuis rebus, Dei filios adiuuari, ad summi boni adeptionē. Est autem interrogatio haec. *QVOMODO NON ETIAM CVM ILLO OMNIA NOBIS DONABIT?* Omnium obstruit ora, vt aliter respondere non possint, nisi Iesum Christum suscipientibus, atq; in eo omnes suae salutis spes, & cogitationes collocantibus, omnia (vt Pauli verbis vtar) in bonum cooperari, non aliter atq; ipsi Christo. Qui si semetipsum demisit, & submissè gessit, à Patre erectus est; à quo & nomen accepit, quod est super omne nomen; si indigna multa, & aspera passus est, per ea in gloriam suam ingressus est. Si interfectus est, excitauit eum Pater à mortuis. Si crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei: & (vt vno verbo complectar omnia) si descendit è coelo, ascendit in coelum, subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.

Dei erga suos filios immensa beneficia.

Magnum diuini amoris pignus.

Io. 3.

Christo omnia in bonum cooperata.

Philip. 2.

Luc 23.

Act. 3.

2. Cor. 13.

1. Pet. 3.

QVID

QVIS ACCVSABIT.

OMNES ad vnũ homines Epistolae huius initio accusauit Paulus, & sanctorum Prophetarum collectis oraculis, testimonijsq; firmissimis, magnorum criminum reos fecit, condẽnauitq; & nobis ob oculos posuit, naturam humanam vniuersam, tanquam vnam perditionis, & damnationis massam (vt Augustini verbo vtar) vitiosae radicis macula affe ctam, atq; pollutam. Ab ea nunc dura sententia, & iusta condemnatione, Dei filios absoluit, & liberos esse pronũciat, idq; minutis duabus interrogatiunculis: quarum prima haec est. *QVIS ACCVSABIT ADVERSVS ELECTOS DEI?* Primum, quod in legitimis omnibus iudicijs quaeritur, accusator est. Eã ob rem, quisnã filiorum Dei accusator futurus sit, quaerit. Sed eos mutato nomine electos Dei appellat; vt diuinae electionis mysteria intelligere incipiamus; atq; in eis Dei misericordiam, & iudicium, quae duae sunt eius, nobis ignotae, & quae inuestigari non possunt, viae, magna animi demissione, & reuerentia veneremur: ac fateamur ex perdita illa, & iure damnata totius generis humani natura, ab ipsa omni carente principio aeternitate, antequam conditus esset mundus, secreuisse Deum, ac selegisse absq; vllis eorum, de quo postea disputabitur, vel existentibus, vel praecognitis, quos voluit: selegisse autem non eam ob causam, quod ex seipsis, suaue sponte vel essent, vel futuri essent fideles, iusti, sancti; verùm vt eos gratiae suae beneficio tales faceret; in quo immensa eius elucet misericordia cuius tanti, tamq; profundi mysterij rationem aliam nemo quaerat, praeter Dei voluntatem: quae, (vt Augustinus, è cuius purissimis fontibus haec hausimus omnia) inquit, *occulta esse potest, iniusta esse non potest*. Quod verò ad hanc respondet interrogationem, argumentum est certissimum: neminem inueniri posse, qui aduersus electos à Deo, accusationem possit instituere: inquit enim. *DEVS, QVI IVSTIFICAT.* Opponere ne se Deo quisquam audebit, eos accusans, quos ille iustos esse vult? impuros quis dixerit, quos purgat Deus? aut inquinatos, quorum elicit maculas omnes? Quòd autem paulò ante de iustificatione, tanquam de re perfecta locutus est, *Quos vocauit*, inquiens, *hos & iustificauit*: de ea verò nunc

Genus humanũ vniuersum à Paulo accusatum.

Hyp. lib. 6. con. du. Ep. Pel. lib. 2. cap. 7.

De praed. & gratia cap. 3.

Electi Dei accusatores nõ habent.

Electionis diuinae mysterium.

Electionis diuinae ratio.

Epist. 59.

ita loquitur, quasi nondum absoluta sit, sed agatur potius, cùm Deum asserat iustificare: ideo factum est, vt illud (quemadmodum diximus) ad aeternum, & immutabile Dei decretum; hoc ad eam, quae in ipsis electis in tempore fit, iustitiam referatur: quae quoad mortalem hãc vitam vixerint; vel peccatis ignoscendis; vel cupiditatibus reprimendis; vel ipsemet iustitia augenda diuinae gratiae adiumento semper fit: nec vnquam perfecta erit, donec ad eam gloriam peruentum sit, quae iustitiae praemium est, laborum merces, militiae corona. Siquis autem hoc grauiore aliquo testimonio confirmari quaerat, Augustinum legat: nos autem ad alteram interrogatiunculam properemus. *QVIS EST, QVI CONDEMNET?* Alterum enim, quod in legitimis iudicijs desideratur, iudex est, qui causa cognita reum factum, vel tanquam sontem condemnet, vel tanquam insontem absoluat. Quis ergo (inquit) futurus est iudex, qui eos condemnet, quos Deus elegit? Quae verò sequitur responsio apertè declarat, non accusatorem modò, sed ne iudicem quidem dari posse, qui à Deo selectos damnare valeat: Inquit enim. *CHRISTVS IESVS, QVI MORTVVS EST; IMMO, QVI ET RESVRREXIT; QVI ET EST AD DEXTERAM DEI, QVI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS.* Cùm ille ipse, qui futurus est iustissimus omnium iudex, Iesus Christus à Deo electorum salutis gratia haec omnia fecerit, quisnam ille erit, qui condemnare audeat electos? Horum autem prima duo ad eorum iustitiam faciunt, de quibus suprà dixit. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Postrema verò ad eorundem gloriam, quibus dictum intelligere oportet. *Vado parare vobis locum*: quod multis equidem nobis ignotis modis facit; sed eò praecipuè, quòd Patrem assidue precatur, vt quam filijs ab aeterno designauit gloriam, eam illis suo tempore benignè largiatur. In Christi ergo fide, & patrocinio quicunque est, conuinci, & perire nulla ratione potest. Atq; hoc loco patet, quod huius initio capitis proposuit. Nulla ergo nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.

Electi quomodo & iustificati dicantur, & semper iustificetur.

De ver. Ap. ser. 16. De Gen. ad literam lib. 8. cap. 12.

Electi iudicē, qui eos damnare possit, non habent.

Christi erga electos beneficia.

Cap. 4.

Ioan. 14.

QVIS

QVIS NOS.

EST huiusce totius disputationis pulcherrima, & diuina conclusio, & quaedam quasi peroratio, qua colligit, nullum esse tanti malorum genus, quod filios Dei, & ab eo electos, vel in dubitationem adducere valeat de Christi ergo se amore, & animi propensa voluntate, cuius tot illustria haberent testimonia; vel de eorum erga Christum amore quicquam imminuere. Et haec quidem oratio ad excitandos, & inflammandos ad charitatem animos maximi ponderis est. *QVIS NOS SEPARABIT A' CHARITATE CHRISTI?* Quo quis instrumento vtetur, vt Dei filios vel de Christi erga se amore formidare faciat, vel eos de amore erga Christum dimoueat? Multa autem enumerat, quae ad haec idonea videntur instrumenta. *TRIBVLATIO? AN ANGVSTIA?* Illa corpus affligit; haec animum opprimit. *AN FAMES? AN NVDITAS?* Illa perimit inedia; haec cùm frigoris vim, & aestus molestiam auget, tum ignominia notatur, & dedecore. *AN PERICVLVM? AN PERSECVTIO? AN GLADIVS?* Primum à ruina est impendente; alterum à tyrannorum saeuitia; tertium ceruici mortem ostendit imminentem. *SICVT SCRIPTVM EST.* Dauidis ad haec vsurpat testimonium, quo eorum, quos ad haec perferenda Deus elegit, promptus, & paratus designatur animus. Ipsos enim cum Deo sic loquentes fecit. *QVIA PROPTER TE MORTIFICAMVR TOTA DIE, AESTIMATI SVMVS, SICVT OVES OCCISIONIS.* De summo tuo (inquit) in nos amore, summisq; beneficijs certi, per haec omnia malorum genera, tãta quotidie crudelitate ab aduersarijs vexamur, laceramur, excruciamur, necamur; vt non pluris nostrum omnium vitam facere videantur, quam ouium, quae ad caedem designantur, & escam. Hactenus Dauid: cuius verbis Paulus de eorũ quoq; persona, qui haec aduersa libenter tolerabant, addidit. *SED IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS PROPTER EVM, QVI DILEXIT NOS.* In tot, & tantis calamitatibus non modò victores sunt, sed fortiores facti certãt fidentiùs, Christi Iesu eis communicata, & impartita virtute, & gratia: de cuius amore erga se, tot argumẽtis certissimi, ni-

Amor Christi erga electos & electorum erga Christũ certissim⁹.

hil omnino ambigunt. His autem omnibus, quae enumerauit, minimè contentus, vt apertiùs ostendat, & expresiùs diuini amoris aduersus eos, quos in filios sibi delegit, magnitudinem, & eorum rursus aduersus Deum firmitatem, atque constantiam, attexuit. *CERTVS SVM ENIM.* Quid ni de eo, quod sequitur certi sint, qui in tot malorum generibus gloriosam victoriam reportant? Cur non hoc quoq; persuasum, ac minimè dubium habeant? Quid illud? Audi, & obstupesce. *QVOD NEQ; MORS, NEQ; VITA.* Neq; illius metus; neq; huius cupido. *NEQ; ANGELI, NEQ; PRINCIPATVS, NEQ; VIRTVTES.* Non illa, quae naturae dignitate, & excellentia, dominatu quoque; & potestate communes hominum vires longò superant interuallo. *NEQ; INSTANTIA, NEQ; FVTVRA.* Non res praesentes, siue contristent, siue delectent: neq; rerum futurarum siue spes, siue metus. *NEQ; ALTITVDO, NEQ; PROFVNDVM.* Nihil, quod supra nos; nihil, quod infra sit. Atque, vt vno omnia verbo complectatur, inquit. *NEQ; CREATVRA ALIA.* Quod omnia bona, & mala, praeter vnum rerum omnium procreatorem Deum, excludit; vt nequeant id facere, quod sequitur. *POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI.* Dicitur charitas Dei, quae Dei est erga suos filios, & quae ipsorum erga Deũ: quarũ altera alterã gignit. Nos enim (vt Ioannes inquit) diligimus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Quod autẽ postremò adiecit. *IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO.* Magnum continet mysterium: Deum videlicet filios suos non diligere in ipsis; hoc est earum rerum ratione, quae in eorum natura sunt; sed in Christo; earum scilicet rerũ respectu, quas cum Christo cohaerentes adipiscuntur; Christum nempe ipsum, & omnia, quae salutis eorũ gratia gessit: quorum paulò ante summam breui complexus est. *Qui mortuus est*, inquiens; *immo qui & resurrexit: qui & est ad dexteram Patris; qui & interpellat pro nobis.* Hoc illud est, quare Christus, vt in eo manerent, multis verbis suos discipulos hortabatur. Nam siquis in eo non manserit (vt ipse dixit) non modò nullum fructum feret, verùm mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

Charitas Dei.

1. Io. 4.

Electi quo diliguntur à Deo.

Io. 15.

VERI-

VERITATEM.

DE immensa Dei erga filios suos charitate, quos (vt vidimus) & electos ab ipso Deo, & multis alijs nominibus appellare possumus, disputauit Apostolus: cuius occultam originem, & ab hominum cogitatione remotam, tanquam altissimam quandam radicem, aliquantulum detexit; diuinam nẽpe, & aeternam praedestinationem. De ipsis nunc filijs Dei, de quibus magna inter Iudaeos, & reliquas orbis terrarum nationes (quemadmodum in huius Epistolae argumento diximus) exorta erat controuersia, disputationem aggreditur. Iudaei nanq; diuina omnia munera, legis, & antiquae patrũ originis ratione ad se transferebant, ab eorum commissione alios omnes excludentes, qui ab eorum lege, & mysterijs essent alieni. Eorum errorem, falsamq; opinionem Paulus arguit, ostendens, ad causam multò altiorem diuina munera pertinere, quàm vel lex sit, vel ortus, & origo, quam Genealogiã vocant. Verùm vnde exordiuntur attendamus: & quantam adhibeat diligẽtiam: ne Iudaeorum animos à gratia Domini nostri Iesu Christi, ab Euangelij veritate, à salute deniq; ipsa abalienet. Cùm enim multa dicturus esset de Iudeorum reiectione, & aliarum gentium selectione, veritus, ne illa ex priuato suo aduersus Iudaeos odio, non ex ipsa rei veritate, dicta acciperentur, eximium quiddam, & singulare de suo erga Iudaeos amore praemittit. Id autem nouum cùm sit, inauditum, incredibile, ne non verè, sed ὑπερβολικῶς dictum putaretur, priùs inquit. *VERITATEM DICO IN CHRISTO IESV, NON MENTIOR.* Nemo veritatis amicus est, & cultor, qui cum Paulo non agnoscere, ac profiteri debeat, non sua, sed Iesu Christi virtute, & illustratione id assequi, vt vera loquatur: siquidem verissimum est, quod in suo excessu dixit Dauid; *Omnis homo mendax.* *TESTIMONIVM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA, IN SPIRITV SANCTO.* Veritatis huius, quam polliceor, me dicturũ; & mentis, quam gero, neminem decipiendi, & nihil omnino simulandi, testem habeo conscientiam meam; non simplicem illam quidem ac solitariam, sic enim errare, & labi facilè posset; sed cum Spiritu-

sancto

CAPVT IX.

Suprà, capite 8.

Iudaeorũ, & aliarum nationum controuersia.

Veritatis notitia vnde.

Psal. 115.

Veritatis certissimus testis.

sancto connexa, atq; copulata, qua ratione neq; labi potest, neq; decipi. *QVONIAM TRISTITIA MIHI MAGNA EST, ET CONTINVVS DOLOR CORDI MEO.* Eius, quam mox aperiam rei gratia, magno moerore, & intimo atq; assiduo cordis dolore excrucior. Tāti autem moeroris, & tam perpetui doloris causam esse, maximam, & incredibilem aduersus Iudaeos charitatem nouo (vt diximus) & inaudito ostendit argumento, de quo inquit. *OPTABAM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBVS MEIS, QVI SVNT COGNATI MEI SECVNDVM CARNEM.* Magno laborabam desiderio salutis Iudaeorum fratrum meorum; vsque adeo, vt optarem vnus ego à Christo reijci, & repelli, modò illi cum Christo coniuncti seruarentur omnes, quos propterea fratres appellaui meos, quia eiusdem sumus gentis, ac nationis, quae genus est quoddam cognationis naturalis. Quibus autem cogitationibus in eam cupiditatem ab omni humano sensu abhorrētem inductus esset, attēdamus: nam de eis inquit. *QVI SVNT ISRAELITAE.* Res indigna, & intoleranda videbatur Apostolo; eius gentis maximam partem à salute alienatam, ac reprobatam esse, quae tali ac tanto honore dignata esset; vt qui est omnium gentium Deus, peculiari quadam ratione eius Deus nuncupari voluerit. Passim enim in sanctis libris legimus, Deum Israel, eiusq; nomen magnum in Israel, eius quoq; haereditatem esse Israel: ad quos deniq;, nisi ad Israelitas diuina illa promissio pertinebat; *Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum? QVORVM ADOPTIO EST FILIORVM.* De Israelitis enim non modò scriptum est, *Filius meus primogenitus Israel;* verùm, & illud Dei omnipotentis oraculum, quod Paulus alibi retulit. *Ero eis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios, & filias. ET GLORIA.* Nulla est enim natio, quae tot, & tantis Dei beneficijs laetari possit, & gloriari: quod Dauid testatur; *Nō fecit* (inquiens) *taliter omni nationi.* Huc autem diuina illa pertinet beneficiorum exprobratio. *Quid est, quod debui vltra facere vineae meae, & non feci ei? an quòd expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas? ET TESTAMENTA.* Posuit testamenta pro firmis, immutabilibus, sanctis pactis, & foederibus: quae perinde integra atq; inuiolata habenda sint, atq; supremae voluntates testamentis con-

Iudaeorum saluté quāti Paulus faciebat. *Cur Iudaeos fratres vocauerit.* *Israelitae.* *Ps.67.75.77.* *Isa.19.* *Ierem.31.* *Adoptio.* *Exod.4.* *2.Cor.6.* *Gloria.* *Psal.147.* *Isa.5.* *Testamēta.*

conſcriptae. Eorum praecipuum illud fuit, de quo Petrus in ea, quam ad Iudaeos habuit, concione dixit. *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti; quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiae terrae*. Alia multa in Prophetarum libris ſparſa ſunt, è quibus illa tantùm hoc loco aſcribēda duxi, quae apud Ieremiam ijs verbis in ea, quae ad Hebraeos eſt, epiſtola Paulus retulit. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti; quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo; & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vnuſquiſq; proximum ſuum, & vnuſquiſq; fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me, à minore vſq; ad maiorem: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non recordabor*. Haec de teſtamentis. Quae ſequuntur, *ET LEGISLATIO, ET OBSEQVIVM*: ad legem ſpectant. Nam Iudaeis lex per Moyſen data eſt, qua verus vnius Dei cultus inprimis continetur. *ET PROMISSA*. Multa praeterea & in lege, & in Prophetis, Iudaeis beneficia promiſſa leguntur: quae quidem omnia ita perfecit Deus, vt Ioſue ſcripſerit; ne vnum quidem verbum, quod illis praeſtiturum ſe eſſe promiſerat, aut irritum fuiſſe, aut reipſa non expletum: quorum omnium praecipuum, ac maximum illud eſt, quod ſequitur, quo omnes aliarum omnium nationum dignitates, ac praerogatiuas longè, multumq; ſuperat Iudaeus. *QVORVM PATRES, ET EX QVIBVS EST CHRISTVS SECVNDVM CARNEM*. Ex ijſdem patribus & illi, & Chriſtus Ieſus genus ducunt: quod quàm magni aeſtimandum ſit, in eo, quod addidit, conſiderandum eſt. *QVI EST SVPER OMNIA DEVS BENEDICTVS IN SECVLA*. Non potuiſſet profectò clariùs explicari diuinae incarnationis myſterium, quàm ijs verbis, quibus Chriſtum confitetur Paulus, & diuinam in ſe habere naturam, quae ſola ſemper fuit, eritq; omni illuſtri laude celebrata: & humanam, quam de pura illiba-

Act. 3.
Ierem. 31.
Hebr. 3.
Lex.
Promiſſiones.
Ioſ. 21.
Chriſtus.
Incarnatio.

illibataq; Virgine, ex Iudaeorum exorta patribus, accepit. Adhibuit autẽ ad purissimae huius veritatis sanctiorẽ quandam confirmationẽ, verbum illud Hebraeis vsitatum, ac tritum; *AMEN:* quod quidem ea, quae dicta sunt, firma ac perpetua fide amplectenda, & tenenda esse indicat. Sed praeter ea, quae de hoc tam vehementi Pauli erga Iudaeos amore sanctissimi, & doctissimi viri tradiderunt, nescio, quomodo mihi in mentem venit, eximij huius amoris adeo excelsum, ac sublimem gradum diuino cuidam, eidemq; rarissimo muneri tribuere: quod non absq; grauissima ratione Paulus acceperit. Nam cùm aduersus Iudaeorum pertinaciam, & obstinationem nemo magis pugnaturus esset, quàm Paulus; ne vehemens illa, & acerba eorum oppugnatio ex priuato aliquo odio proficisci putaretur, ingenti quadam, & singulari erga Iudaeos charitate, Paulum donauit Deus; qua incensus optaret ipse à Christo repelli, modò illi cum Christo coniuncti seruarentur. Et hic quidem charitatis excellentissimus gradus, à quo humana natura, quae seipsam inprimis diligit, & saluam esse vult, abhorret, Dei donum est, non absq; necessaria, & singulari aliqua ratione mortalibus cõcessum: quo Moysen quoque donatum fuisse, vt credam, eius verbis adducor, quibus pro populi sui salute Deum sic precabatur. *Obsecro Domine peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntq; sibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Verùm quiduis potius contingere posse putemus, quàm vnum capillum perire posse de capite eorum, quos Deus seruare decreuit: tantum abest, vt hoc Pauli desiderium perfici vnquam potuisse existimemus. *Saepe enim* (vt Augustinus inquit) *bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius, multoq; certiùs voluntate: nam illius voluntas, mala esse nunquam potest.*

Pauli erga gentem suã amor eximius.

Moysi aduersus Iudaeos maxima charitas.

Exo. 31.

Ench. cap. 101.

NON AVTEM.

OMNIA, quae Iudaeorum genti Paulus attribuit, quorum gratia caeteris nationibus excellunt, verbo Dei, quemadmodum ostendimus, continentur: quo Israelitarum nomen adoptio, gloria, testamenta, lex, cultus, promissa, & humana Iesu Christi origo descripta, & cognita sunt. Ne quis ergo

ergo suspicaretur vehemens istud, & incredibile Pauli de salute Iudaeorum desiderium, inde proficisci, quòd nō saluis Iudaeis diuinum verbum, illud praesertim, quod promissiones complectitur, mansurum, & firmum non videretur, inquit. *NON AVTEM QVOD EXCIDERIT VERBVM DEI.* Non ea me ratio mouet, vt Iudaeorum salutem anteponam meae, quasi vnà cùm illis diuinarum promissionum verbum inane factum, & irritum, ex sua constantia, & firmitate deciderit. Hoc autem cùm enodare, & explanare vellet, ad explicationem altissimi diuinae electionis mysterij propiùs accedit: quod ostendit neq; in naturam, hoc est gentis, seu nationis alicuius praestantiam; neq; in humana, siue consilia; siue voluntates; siue facta, esse referendum: sed in sempiternum dumtaxat diuinae voluntatis propositum. Verùm nomina priùs, quibus electos à Deo, designauit, animo aduertenda, ac memoria retinenda sunt: nunc enim eos Israelitas appellat, nunc filios tantùm, aliquando filios Dei, aliquando filios promissionis, nonnunquam dilectos. Inquit autem. *NON ENIM OMNES, QVI SVNT EX ISRAEL, HI SVNT ISRAELITAE.* Non, qui ex Iacob genere oriunt, illi sunt omnes à Deo selecti, ad quos diuinae pertinent promissiones. *NEQ; QVIA SEMEN SVNT ABRAHAE, OMNES FILII.* Neq; insuper quia ex Abraham originem ducunt, omnes idcirco filij censendi sunt Abrahae, ad quos diuina spectet promissio. Ad discernendos verò eos, quos Deus elegit, veros Israelitas, verosq; Abrahae filios, Dei scilicet gratia, & promissionis natos ab ijs, qui natura tantùm eiusmodi sunt: Dei sermonem illum, quo, quid Abrahae promissum fuerit, explicatur, considerandum proponit dicens. *SED IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN.* Hic Dei sermo: haec Dei ad Abraham promissio: quod sancta docet historia: cuius interiorem sensum nemo profectò aperire, & illustrare potuisset, nisi spiritu Dei praeditus, quemadmodū Paulus erat, qui eam explanans inquit. *IDEST, NON, QVI FILII CARNIS, HI FILII DEI: SED, QVI FILII PROMISSIONIS, AESTIMANTVR IN SEMINE.* Non, qui communiter, vt reliqui homines ex eorum parentibus, auis, ac proauis, carnis origine ex Abrahae stirpe, & genere oriuntur, propterea Filij Dei censendi sunt;

Electionis diuinae mysterium.

Electorum apud Paulum nomina.

Israelitae qui?

Abrahae filij qui?

Gen. 21. Promissio.

Explanatio.

V verùm

verùm Abrahae proprium semen, & filios Dei illi constituunt, qui vnà cum Isaach promissi sunt Abrahae. Quo fit, vt quoties à Deo electus aliquis, siue ex Abrahae, siue ex quocunq; alio genere nascitur, toties Abrahae promissum semen augeatur. Qua (vt arbitror) ratione Ioannes Baptista ad eos, qui de Abrahae genere gloriabantur, dicebat. *Ne dixeritis intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quòd potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Quòd autem Abraham non communi aliorum filiorum more, sed diuina promissione Isaach susceperit, promissione ipsa declarauit, de qua inquit. *PROMISSIONIS ENIM VERBVM HOC EST; SECVNDVM HOC TEMPVS VENIAM, ET ERIT SARAE FILIVS.* Quo verbo nõ Isaach tantùm promissum intelligo, sed & omnes omnium gentium Dei filios, quorũ caput Christus est, Abrahae & ipse filius, cum omnibus à Deo electis tunc promissus Abrahae, cùm dixit illi Deus. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Has gentes filios promissionis appellat; quia Abrahae vnà cum Isaac promissae sunt: & filios Abrahae, tum quia fratres sunt Iesu Christi, filij Abrahae; tum quia Abrahae fidem aemulantur: & qui ex fide sunt, vt scripsit ad Galatas, ij sunt filij Abrahae: tum quia eius opera quoq; imitantur. Quam ob rẽ, eos qui de Abrahae stirpe immoderatiùs se iactabant, reprimebat Christus, cum diceret. Si filij Abrahae estis, opera Abrahae facite. Dei deniq; filios appellauit: nam istorũ est adoptio; istorum potestas, qua filij Dei efficiantur: istorum haereditas; iuxta illud, quod ad Galatas scripsit. *Semen Abrahae estis, & secundum promissionem haeredes.* Ab Abrahae ergo tempore sacrosanctum, & occultum electionis suae mysterium manifestare coepit Deus, cùm Isaach, & non aliorum Abrahae filiorum semine benedictionem omnibus orbis terrarum nationibus promisit: quod quidem Paulo interprete didicimus.

Matth. 3. *Isaac diuina natus promissione.* *Gen. 18.* *Gen. 22.* *Filij promissionis.* *Filij Abrahae.* *Matt. 1.* *Gal. 3.* *Filij Abrahae filij Dei.*

NON SOLVM AVTEM.

NON isto solùm filiorum Abrahae exemplo, quod aliquas habere potest apud imperitos dubitationes, sed & alio nepotum eius, in quod nulla cadit dubitatio, diuinae electionis mysterium declaratur. Nam de filijs Abra-

Filiorum Abrahae exemplum calumnias

Abrahae, dicet quispiam, matres fuisse diuersas; & alteram quidem liberam; alteram verò ancillam: tempus quoq; partus aliud. Quam quidem personarum, & temporum varietatem in causa fuisse suspicabitur electionis Isaach, atq; benedictionis, eius semini, & posteritati promissae. Quid praeterea (dicet) haec habet electio, quod ad gloriae, & felicitatis sempiternae, de qua disputatur, adeptionem referri queat? Omnia ad longam posteritatem, & vitae praesentis felicitatem spectare potius videntur, non aliter atq; illud Dauidis. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae. Filij tui, sicut nouellae oliuarum, in circuitu mensae tuae.* At in hoc posteriore exemplo ita clara, & aperta sunt omnia, vt nihil horum contra afferri possit. Nam parens vterq; idem; filij gemini; ac diuini in alterum amoris, in alterum odij extat oraculum: quae non huius vitae commoda pariunt, vel incommoda; sed futurae, cuius veram felicitatem amor; odium verò perpetuam gignit miseriam. De hoc igitur exemplo inquit. *NON SOLVM AVTEM ILLA, SED ET REBECCA EX VNO CONCVBITV HABENS ISAAC PATRE NOSTRO.* Non vnius Sarae historia, propter diuinas ante conceptum Isaach promissiones, sanctissimae electionis, & occultae segregationis mysterium designauit; sed & Rebeccae quoq;, vxoris Isaac, propter illa, quae ei contigerunt, cùm ex ipso Isaac, vno omnium, de quibus disputamus, à Deo electorum patre, grauida facta esset. Sed antequam in hanc ingrediamur historiam, recolendi sunt modi, quibus mysterium hoc Paulus proposuit: vt eos in promptu, & tanquam numeratos habeamus. Primùm enim dixit; *Non omnes, qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitae.* deinde: *Neq; quia semen Abrahae, omnes filij.* postea. *Non qui filij carnis, ij filij Dei.* deinceps. *Qui fily promissionis, aestimantur in semine.* Quod autem inquit, *Ex vno concubitu habens Isaac patre nostro;* duo demonstrat; alterum, quae de Sara dicta sunt, ante conceptum Isaac contigisse: quae de Rebecca, cum iam in vtero gemellos haberet, quò diuina illa electio ante natos & conceptos homines, immo ante orbem conditum facta intelligatur. Alterum, eam ob causam Isaac vnum omnium, quos Deus elegit, patrem appellari; quia in illo vno de omnibus, qui eiusmodi futuri erant Abrahae spopondit Deus, diuino illo verbo, quod paulò ante citauit. *In Isaac vocabitur*

habere potest.

Psal. 127.

Electionis diuinae mysterii insitijs Isaac.

Israelitae. Filij. Filij Dei. Filij promissionis.

Electio diuina sempiterna.

Isaac electorũ omniũ pater.

Gen. 21

tibi semen. Sed quomodo in Rebeccae fuerit filijs patefactū electionis diuinae mysterium, ex his demonstrat, quae ea de re scripta sunt à Moyse. *CVM ENIM NONDVM* Gen. 25. *NATI FVISSENT, AVT ALIQVID BONI EGISSENT, AVT MALI.* Nondum Rebeccae filij Esau, & Iacob collisio an vitiosa? in lucem editi erant, sed in eius vtero collidebantur. Nihil quoq; vel benè, vel prauè gesserant. Nam illa eorum in vtero matris, collisio, neq; virtuti illis, neq; vitio danda est. *VT SECVNDVM ELECTIONEM PROPOSITVM DEI MANERET.* Ecce tibi, quod propositum intellexit, cùm dixit. Cap. 8. *Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt,* Propositū Dei. *Sancti;* Propositū inquam Dei firmum, & immutabile, ac sempiternae respondens electioni, quae ipsa quoq; firma est, & immutabilis. Quam ob rem illud factum est, quod sequitur. *NON EX OPERIBVS, SED EX VOCANTE DICTVM EST EI, QVIA MAIOR SERVIET* Filij minoris electio. *MINORI.* Haec minoris filij electio neq; ad naturam referri potest, cùm sit ordini naturae contraria, quae maiorem filium minori praefert: neq; ad parentes, qui (vt diximus) ijdem erant: neque ad ortum, eodem enim partu sunt editi: neq; ad opera, vel praeterita, vel praesentia; quae cùm nihil Aug. lib. 6. con. Iul c. 8 adhuc vel boni, vel mali fecissent, nulla erant: neq; etiam ad futura. Vt enim omnia Paulus excluderet opera, ac totam De praed. et grã. cap 7. electionis causam ad vocantem transferret, simpliciter dixit, *Non ex operibus, sed ex vocante.* Deo nempe, qui vocat ea, Con. du. ep. Pel. li. 2. c 7 quae non sunt, tanquam ea, quae sunt: qui non Isaac solùm antequam conciperetur, vocauit; verùm etiam Ieremiam, cui Suprà, c. 4. postea dixit. *Priusquā te formarem in vtero, noui te:* nō solùm Iere. 1. Iacob antequam nasceretur, sed & Esaiam ea ratione clamātem. *Audite insulae, & attendite populi de longe. Dominus ab* Esa. 49. *vtero vocauit me.* & Ioannem Baptistam; cuius mater cùm à virgine Spiritusancto plena salutaretur, *Ecce,* dixit, *vt facta* Luc. 1. *est vox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Qui deniq;, quos praedestinauit, hos & vo- Suprà c. 8. cauit: & Rebeccae se consulenti, cùm gemini sese in eius vtero Vt quid Iacob praelatus est fratri Esau. collideret, inter caetera respondit. *Maior seruiet minori.* At verò quaenā fuerit decretae Iacob dominationis, & Esau seruitutis causa, longo post tempore, Deo ipso docente, didicit Malachias; cuius verba Paulus recitat: *SICVT SCRIPTVM*

PTVM EST (inquiens) IACOB DILEXI, ESAV AVTEM ODIO HABVI. Quo quidem oraculo intellexit Paulus dominationis Iacob, Dei ipsum eligentis amorem in causa fuisse: seruitutis autem Esau, Dei reprobantis odium. Nos ergo ad Apostoli mentem respiciamus; & nostras omnes cogitationes reijciamus: qui hoc loco declarare voluit, ab Abrahae temporibus ostendisse Deum mortalibus electionis suae sacramentum; dum certos quosdam à se selectos homines, & ab alijs segregatos fuisse, manifestauit: Isaac primùm, ab alijs Abrahae filijs, non eo solùm, quem ex Agar ancilla, sed & alijs, quos ex Cetura ingenua susceperat. Iacob deinde ab Esau; quò declararet, non omnes, qui cùm Abraham, Isaac, & Iacob naturae sunt cognatione coniuncti, electos à Deo esse: cùm electio illa neq; naturae sit, neq; morum, neq; humani alicuius consilij, aut operis, quibus maximè rebus Iudaei nitebantur, & gloria se, ac praedicatione efferebant; sed diuinae voluntatis, ac propositi. Quamobrem Dominus noster Iesus, quo vno magistro, si volumus, omnia discimus, eodem sermone duo, quae ad hanc Pauli doctrinam corroborandam, memoria semper tenenda sunt, Iudaeis ipsis audientibus dixit. Alterum fuit. *Scio, quòd filij Abrahae estis.* Alterum. *Si filij Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis.* Quorum primum ad naturam, & sanguinis coniunctionem referendum est; alterum ad semen filiorum Dei, Abrahae promissum, quod paternae fidei, & morum imitatione dijudicatur, atq; adoptione constituitur. Eamobrem non Abrahae solùm, verùm etiam Dei filios eos esse negauit, cùm dicentibus illis, *Vnum patrem habemus Deum,* statim respondit. *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtiq; me. Ego enim ex Deo processi, & veni: neq; enim à me ipso veni, sed ille me misit.*

Electionis diuinae sacramentum ab Abrahae tẽpore manifestatũ. *Gen. 25.*

Iudaei quõ filij, & non filij Abrahae. *Io. 8.*

QVID ERGO.

HVMANA ratio tum sibi maximè pia, & religiosa esse videtur, tùm in eo laborat, vt de Deo nihil audiat, nihil dici permittat, quod humano iudicio iniustum censeri possit. Quo quidem zelo qui secundum scientiam non est, & sanctarum scripturarum locos prauè aliquando interpretatur, & operaepretium ducit stultas, & sine disciplina, quaestiones mouere,

Rationis humanae zelus non secundum scientiam. *2. Tim. 2.*

1.Tim.6. mouere, & inutiles prorsus verborum pugnas. In quo profectò inconsideratissima est, & dementissima temeritate plena, Eph. 6. si suis viribus, & alio, quàm spiritus gladio, quod est verbum Dei, vel diuinam tueri iustitiam; vel diuinas res vestigare, & in coelum penetrare conetur. Ignorat enim non indigere nostra defensione Deum, qui vnius verbi sui inuictissimis armis omnes, quae ad se attinent causas tuetur, atq; defendit: ignorat, quid de diuina iustitia, ac sapientia Beatus Pater Augu- Cap.2. stinus decreuerit; cuius verba, summā redolentia sapientiam, ac pietatem, ex eo libro, quem de praedestinatione, & gratia inscripsit, in hunc locum exscribenda duxi. *Quis*, inquit, *ita desipiat, vel potius, quis ita blasphemet, vt dicat, de iustitia Dei, lege humanae iustitiae disputandum? quae profectò si iustitiae Dei aduersatur, iniusta est. Ab illo enim, qui summè iustus est, omne, quod qualitercunq; iustum est, manare manifestum est. Quis ergo est, qui incommutabiliter manentem, & omnia, quae sunt condentem, regentem, atq; seruantem Dei sapientiam pendat humanae sapientiae arbitrio?* de qua Apostolus dicit. Rom.8. *Sapiētia carnis inimica est Deo.* Et alibi. 1.Cor. 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Non est ergo de illa maiestate diuinae sapientiae, humanae vanitatis arbitrio disputandum.* Cap. 3. Augustinus haec. Paulus autem praeter illam quaestionem, quam suprà de iustitia Dei ab ijs, qui humanae rationis regula nituntur, afferri posse vidit, quàm & breuiter suo more tractauit, aliam nunc similem affert.

De diuina electione quaestio.

Audiens enim humana ratio ex nullis hominum meritis, sed vno duntaxat diuinae voluntatis proposito totum diuinae electionis pendère negotium, id, quod oraculo Rebeccae edito, de Iacob, & Esau perfectè planèq; patefactum est; statim hāc suggerit quaestionem, de qua Paulus inquit. *QVID ERGO DICEMVS? NVNQVID INIQVITAS APVD DEVM?* Cùm nulla naturae, nulla morum, nulla humani consilij, aut propositi ratione habita, hunc Deus diligat; illum odio habeat: hunc eligat, illum reijciat: hunc miserum subleuet; illum in perpetua calamitate relinquat: an iniquitati hoc ascribendum est? Ab audaci ista temeraria, & vulgari disputatione piorum hominum animos, atq; aures longissimè reddit abhorrentes hoc vno verbo, quo etiam suprà in simili quaestione vsus est. Cap.3. *ABSIT.* Qua de re Dauid eum Psalmum, in quo de magnis Dei operibus, & profundis cogitationibus meminit, quas

neq;

neq; norunt insipientes, neq; stulti intelligunt, qui eiusmodi quaestionibus delectantur, & ea persequuntur, quae comprehendere nequeunt, sic conclusit. *Rectus dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Paulus autem regulam diuinae electionis, quae ex eius haud planè debita misericordia, & derelictionis, quae ex merita iustitia proficiscitur, diuinam esse voluntatem ostendit; de qua nihil quaerendum; nihil humana sit ratione vestigandum. Cùm enim ad voluntatis diuinae propositum ventum est, omnis procul facessat necesse est alterius vel rationis, vel regulae inquisitio. Ipsa est summa ratio, summa & iustissima rerum omnium moderatio, in quam referri, vbi consistere omnia, optimum est. Nam si natura spectanda sit hominis; nullus eligeretur: si consilia, vel actiones; iure, meritoq; reijcerentur omnes. Haec illa sunt diuina mysteria, quae neq; curiosè conquirenda, neq; audacter disputāda sunt; de quibus scitè admodū monuit filius Sirach. *Altiora te ne quaesieris; & fortiora te ne scrutatus fueris: sed, quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper; & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus non est enim tibi necessarium, ea, quae abscondita sunt, videre oculis tuis.* Huc etiam illud pertinet Salomonis, omnium mortalium sapientissimi. *Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Sed redeamus ad Paulum: qui de diuina electione Dei ipsius verbo, ac testimonio docet; praeter eius voluntatem, cuius iudicia (vt Augustinus inquit) occulta esse possunt, iniusta esse non possunt; nullam esse aliam causam requirendam. Inquit autem. *MOYSI ENIM DICIT.* Hoc, quod sequitur oraculum, editum est Moysi à Deo. *MISEREBOR, CVIVS MISEREOR; ET MISERICORDIAM PRAESTABO, CVIVS MISEREOR:* Quo quidem responso docuit Moysen Deus in sua positū esse firma, & immutabili voluntate, cuius velit misereri; & quem velit miserari: quorum primò, mea quidem sententia, decretum designauit aeternum, & semper praesens aliquorum saluti succurrendi: altero verò, eius decreti, qui in tempore est effectum, cum illis de quibus decreuerat, reipsa succurrit, & auxiliatur: quamuis primum Augustinus ad vocationem retulerit, humana omnia merita antecedentem: alterum ad actiones, quae vt bonae sint, & salutares, diuino semper indigent adiumento. Sed quanta obsecro verborum bre-

Psal. 91.
Diuinae electionis regula.
Volūtatis diuinae ratio nō quaerenda.
Mysteria diuina.
Iesus filius Sirach.
Eccli. 3.
Prou. 25.
Epist. 59.
Misericordia & miseratio.
De praed. & gratia cap. 10.

breuitate vtrunq; in seipsum, hoc est in suam voluntatem, retulit Deus, dicens. *Miserebor, cuius misereor.* Non eius, quem talis vel naturae, vel consilij futurum praesentio; sed cuius mea ego sponte, consilio, voluntate misereri decreui. *Et misericordiam praestabo, cuius misereor.* Non eum, cuius mihi siue futura consilia, siue opera probantur, quotidianis auxilijs adiuuabo; sed, qui mihi videtur. Ex quo oraculo, hoc Paulus consequens fecit. *IGITVR NON VOLENTIS, NEQ; CVRRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI.* Si Dei amor, & misericordia praeter Dei voluntatē aliam nō habet causam, benè profectò velle; & benè, promptè, atq; celeriter agere, in Dei benignitatem, tanquam omnis bonae voluntatis, & actionis causam, referenda sunt: non autem illi, qui & benè vult, & bonorum operum veloci cursu ad beatitudinem pergit, tanquam auctori ascribenda; Deus enim sancta sua vocatione ex praua bonam efficit eius, quem vocat voluntatem: cui deinde ad bonas actiones continuum praestat subsidium, & adiumentū. Quo loco ne in errorem aliquem rapiamur, firmum teneamus, quod Augustinus inquit. *Vt in Deum credamus, & piè viuamus. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: non quia velle non debeamus, & currere, sed quia ipse in nobis & velle operatur, & currere.* Alterum est in sanctis literis Dei verbum, siue testimonium, in quo de Dei ipsius odio aduersus eos, quos deserit, atq; derelinquit, agitur, de quo Paulus inquit. *DICIT ENIM SCRIPTVRA PHARAONI.* Est ad causae nostrae confirmationem in sacris, & arcanis scripturis hoc repositum, quod Dei iussu Moyses nunciauit Pharaoni. *QVIA IN HOC IPSVM EXCITAVI TE, VT OSTENDAM IN TE VIRTVTEM MEAM, ET VT ANNVNCIETVR NOMEN MEVM IN VNIVERSA TERRA.* Non eo quidem consilio de populi mei dimissione, & libertate saepe te per Moysen admonui, verberaque, & flagella, quibus te incitarem, quasi stimulos admoui; quòd existimarem consilia te in melius relaturum, mandatisq; meis obtemperaturum, ac si istam ignorarem animi tui peruersitatem, de qua Moysi ipsi praedixeram, *Scio quod non dimittet vos rex Aegypti, vt eatis, nisi per manum validam:* verùm vt in tuo scelere, & contumacia vindicanda potentiam meam mortalibus patefacerem: id, quod in mari rubro

Misericordia, & miseratio in Dei voluntatem referenda.

Velle hominis, & currere, Dei munus est.

Epist. 107.

Dei odiū.

Pharao p Moysen cur à Deo monitus.

rubro admirabiliter, magnificeq; perfecit; vtq; nominis mei, potentiae scilicet, & iustitiae fama, toto terrarum orbe diuulgaretur: quod quidem, & factum hactenus, & in dies singulos fieri videmus. Quae enim pars orbis terrarum est, quò diuinae aduersus Pharaonem victoriae fama non peruaserit? quae regio, in qua ea de re, diuinae potentiae, & iustitiae gloria non celebretur? quae lingua carmen illud triumphale non concinit, *Cantemus Domino gloriose*? Hic autem, Augustino docente, discamus, malis quoque Deum benè vti. *Nã induratione Pharaonis, flagellis Aegypti, & tot, ac tantis in illa gente miraculis pariter, aceruatimq; peractis, quid aliud gestum est, quàm vt Dei virtus apud se magna, in se plena, ad humani generis notitiam perueniret; non Deo, sed ipsis legentibus, & credentibus profuturam?* Sed videamus ex ijs duabus, modò citatis, & simul iunctis, sententijs, quam Paulus collegerit conclusionem: nempe istam. *ERGO CVIVS VVLT, MISERETVR; ET QVEM VVLT, INDVRAT.* Ecce iam habemus vtriusq; sententiae apertam à Paulo explicationem: nihil enim aliud sibi volunt, nisi & misericordiã, & duriciem ad Dei voluntatem referri oportere: vt cuius vult misereatur, & quem vult durum, ac ferreum esse permittat. De cuius conclusionis prima parte nemo, nisi indignus misericordia, disputare audet, vt Augustinus docet: in altera verò mens humana, verbi nouitate confunditur: cui vt opem ferat; *Non intelligendum est*, inquit, *Deum in homine ipsam, quae nondum esset, duritiam cordis operari. Quid enim aliud est duritia, quàm Dei obuiare mandatis? Vnde illud Beatus Stephanus dicebat ad populum. Dura ceruice, & non circuncisò corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Quam qui à Deo fieri putat, propterea quod dictum est, Quem vult indurat, ipsum praeuaricationis intueatur exordium, & Deo donante, mandatum, per quod transgressionis culpam in corde fuerit operatus, attendat quamuis ne ab ipso quidem, si negaret assensum, potuit tentatore compelli. Ergo quicquid post illam praeuaricationem natus supplicij homo patitur, iustè reddi, meritoq; fatetur. Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit: sic etiam excaecare dicitur eum, quem illuminare noluerit: sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.* Augustinus haec: qui, quod etiam ad huius loci intelligentiam facit, alio loco inquit. *Cùm hoc fuerit in hominis mente sana pietate funda-*

X tum,

Exod. 15.

De praed. & gratia cap. 6.

Malis Deus benè vtitur

Misericordia, & induratio quõ à Deo.

De praed. & gratia cap. 3.

Act. 7.

Deus quõ indurare, excaecare, repellere dicatur.

Cap. 2. *tum, quòd nulla sit iniquitas apud Deum, ita intelligat, Cuius vult, miseretur; & quē vult, indurat: quasi diceret: Cuius vult, miseretur; & cuius non vult, non miseretur. Itemq; hoc ipsum rursus intelligat, quasi diceret. Cui vult, donat; & à quo vult, debitum poscit.*

DICES ITAQVE.

VLLVS vnquam erit quaestionum finis, si de rebus altissimis, & ab humano sensu remotissimis, quas etiam Deus occultas esse voluit, humanae rationis ductu disseratur. Et ne longiùs ab ijs, quae hoc loco tractantur abeamus, posteaquam de diuinae electionis mysterio disputari in scholis coeptū est, quis enumeret quot, & quàm variae, atq; difficiles quaestiones exortae sint?, quae humanis mentibus tenebras potius, quàm lucem attulerunt, & grauissimū hunc in Theologia locum obscurarunt, potiusquam illustrarunt. Quis recenseat, quàm multae, & inter se pugnantes hominū opiniones, humana ratione excogitatae, & inuentae sint? Vtinam sectarum numero aequarentur, & vnius sectae Theologi inter se concordes essent, atq; vnam omnes amplecterentur sententiam. Numerari quidem certè eorum sententiae facilè possent. Sed hac de re non secus atq; de multis alijs, cùm diuinis, tum humanis, eiusdem sectae homines ita inter se digladiantur, vt in eorum scriptis nihil, nisi tenebrae, & illae quidem densissimae, appareant. Non defuère hac quoq; nostra magna, & turbulenta tempestate, qua seditionum, & discordiarum plena sunt omnia: non defuère, inquam, nominis, & ordinis non infimi Theologi, qui cùm nescirent (vt opinor) haereticos refellere, qui ex Patrum de diuina electione, pia admodum & vera, & in catholica ecclesia recepta sententia, absurda multa fallaci argumentatione concludūt: nouas protinus commenti sunt ipsi ea de re opiniones, à Patribus, & verbo Dei abhorrentes, quod ad me viri docti, & pij detulère; nam istorum ego libros nunquam attigi, quando mihi probari nunquam potuit noua aliqua disciplina, quae veterum Sanctorum vestigijs non insistat.

Disputationes de praedestinatione variae quid egerint.

Virg. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis*
Tempus eget. Nam quomodo haereticos ad sanctam, & catholi-

tholicam Patrum sententiam reuocabimus, si ab ea ipsi discesserimus? Summis in hac parte laudibus efferendum censeo Ioannem Diriedonis Louaniensem, qui & in hac, & alijs omnibus controuersijs ita insectatur haereticos, vt à Patrum doctrina, quae vna verè catholica censenda est, ne transuersum quidem discedat vnguem, & firmam inter eos concordiam, siquid discrepare videantur, constituere studeat. Paulus ergo hanc quaestionum iufinitatem de ea, quam mox de diuina electione statuit sententia, diuino spiritu praesentiens; quidq; contra eam audaces, & contentiosi homines dicturi essent, animaduertens, ex eorum persona quaestionem ipse sibi posuit: quam ita dissoluit, vt omnibus omniũ saeculorum quaestionibus modum constituat; omnium contentiosorum, & loquacium hominum ora obstruat; omnia, quae hac de re vel dici, vel cogitari possunt, ad Dei voluntatem in sanctis libris expressam, referri oportere doceat, de qua neq; disputare, neque iudicare liceat. Est autem quaestio haec. *DICES ITAQ; MIHI.* Tu qui de rebus diuinis humana ratione philosopharis, ex eo, quod à me decretum est, diuinã electionem ad Dei voluntatem penitus esse redigendam, ansam reprehensionis arripies, & dices. *QVID ADHVC QVERITVR?* Si Deus, quem vult reijcit, asperumque, & durum esse sinit; quid causae est, cur de talibus, deq; eorum duritia, & peccatis conqueritur? cur, eodem Moyse nuncio, Pharaonis durum scelus sic accusauit, *Adhuc retines populũ meum, & non vis dimittere eum?* cur eiusmodi querelis referti sunt omnes Prophetarum libri? *Indurauerunt facies suas supra petram. Indurauerunt ceruicem suam, vt non audirent sermones meos.* Quae praeter id, quòd inter se pugnare, à recta quoq; ratione aliena videntur: quod ex eo manifestum est, quod sequitur. *VOLVNTATI ENIM EIVS QVIS RESTITIT?* Quis vnquam repertus est, qui Dei voluntati obsistere potuerit? Quis vnquam eum molliet, qui diuina voluntate durescit? Quo dicto nihil dici potuit verius. *Num Dei possumus resistere voluntati?* dixit Ioseph, cùm fratres suos eius indignationem pertimescentes consolaretur, bonoq; animo esse iuberet. Iob quoque de Dei potentia cùm loqueretur, *Apud ipsum est, inquit, sapientia, & fortitudo; ipse habet consilium, & intelligentiam: si destruxerit, nemo est, qui aedificet: si incluserit hominem, nemo est, qui aperiat: si continuerit aquas,*

Io. Driedonis Louaniensis.

Quaestionũ omnium finis à Paulo constitutus.

Dei querimoniae an Pauli de diuina electione sentẽtiae repugnent.

Exod. 9.

Ier. 9. & 19.

Gen. 50.

Iob. 12.

omnia ficcabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram? Sed huius verissimi dicti, non ille est vsus, vt suam duritiam, cuius(vt diximus) Deus auctor non est, aliquis tueatur, aut excuset; verùm vt Deum mortales timeant, eiusq; voluntati voluntarij pareant; deq; ea neq; disceptare, neq; iudicium aliquod ferre audeant, cui repugnare minimè possunt. Quamobrem audacissimorum hominum quaestionem hanc ponentium, reprimit Paulus, atq; coercet temeritatem: eosq; tanquam prophanos disputationis de altissima, & penitus abdita Dei voluntate, primo aditu, vestibuloq; prohibet: ostendens, quae docente Deo in sanctis oraculis discimus, in controuersiam vocanda non esse; cùm ea neq; comprehendere, neq; quomodo nō sint inter se aliquando pugnantia, videre valeamus; quod hoc quidem exemplo manifestum fit. Quomodo potest humanae mētis angustia capere, imbecillitas complecti, caecitas videre, duo haec non esse repugnantia? Deus, quē vult, indurat: & de ijs, quos indurat, ipse conqueritur. Quorum vtrumq; ex sacrosanctis arcanis literis constat. Sed Paulum audiamus. *ATQVI O HOMO; TV QVIS ES, QVI RESPONDEAS DEO?* Non mihi (Paulus ait) tanquam aduersarius respondes; sed Deo: non mecum certamen instituis; sed cum Deo: non contra me disputas; sed contra Deum: non meorum, sed diuinorum verborum censuram tibi assumis. Dei etenim verba illa sunt, quae ad misericordiam spectant, *Miserebor, cuius misereor: & misericordiam praestabo, cuius misereor.* Illa item, quae ad iustitiam. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Quamobrem quid inter te, o homo, atq; Deum intersit, attende: quod vt aliqua saltem comparatione intelligas, vide, quid sequatur. *NVNQVID DICET FIGMENTVM EI, QVI SE FINXIT, QVID ME FECISTI SIC?* Homo quidem si cum Deo compararetur, non erit maius quid, verùm longè minus, quàm fictile vas cum figulo comparatum. At verò vas fictile cum figulo neq; disceptat, neq; in contentionem aliquam venit: quin etiam non interrogat; Cur isto, non alio me modo formasti? cur hanc, non pulchriorem mihi figuram tribuisti? Absurda enim hæc esset interrogatio: cui statim respōderetur. *AN NON HABET POTESTATEM FIGVLVS LVTI, EX EADEM MASSA FACERE ALIVD QVI-*

Disputandum de diuina volūtate nō esse.

De diuina voluntate disputātes Deo aduersantur.

Exo. 33. & 9.

Vasis, et figuli exemplum.

QVIDEM VAS IN HONOREM, ALIVD VERO IN CONTVMELIAM? Talem se certè homo; de se, & Deo, auctore suo, cogitans praestare debet, & fingere: nihil in se excelsius, & magnificentius esse reputans, quàm in luto, & argilla sit, si ad figulum comparentur. Si potest figulus ex ea, quam tractat, materia, omnia vasa in vsũ fingere inhonestum; an non aliud poterit in vsum honestum, aliud in turpem? sic cùm nulla fermè sit potestas figuli in suã, quam formare, non procreare potest, materiam; si cum immensa, & infinita Dei in genus humanum, quod procreauit potestate conferatur, quidnam erit, cur non potuerit Deus in vna omnium hominum condemnata natura, vnius quidẽ hominis misereri, alterius minimè? Sed eum in sua duritia, & cõtumacia relinquere, iustissimis obnoxium quaerelis, quae ad peccatorum, quibus esse homo sua sponte obruit, spectant detestationem. Habenda autem haec in corde, & ore semper est comparatio: quae & curiosas, inutilesq; quaestiones amputat, & innatam homini arrogantiam retundit, eumq; totum submittit, atq; diuinae voluntati subiectum reddit, & obedientem. Propterea veterem eam fuisse, & vsitatam, Prophetarum praeclaris aliquot sententijs comprobemus. *Quasi si lutum* (inquit Isaias, peruersas, & prauas Iudaeorum cogitationes arguens) *contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo. Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, Non intelligis.* Alio praeterea loco. *Vae qui contradicit factori suo, testa de samijs terrae. Nunquid dicet lutum figulo suo, Quid facis? & opus tuum sine manibus est?* Item alio. *Nos lutum, & fictor noster tu.* Est & apud Ieremiam expressa comparatio. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Et apud Iesum filium Sirach. *Quasi lutum figuli in manu ipsius: omnes viae eius secundum beneplacitum ipsius: sic homo in manu eius, qui fecit eũ, ad reddendum eis secundum iudicium suum.* Quamobrem Augustinus, qui quantò caeteris mortalibus superior doctrina Spiritussancti fuit, tãtò de se submissius & sentiebat, & loquebatur; hac Pauli sententia ad pietatem, & humilitatem nos cogi, arctariq; voluit. Inquit enim. *Cùm totam ad Deum referens humanis viribus neget doctor amplissimus, quid aliud, quàm vt in Deum toto corde suspensi, salutis auxilia postulemus, hortatur?*

Homo, Dei figmentũ.

Dei aduersus impios querelae quid sibi velint.

Figuli & figmenti cõparatio frequens.

Isa. 29. & 45. & 64. Ierem. 18. Eccli. 33.

De praed. & gratia cap. 3.

QVOD SI.

EVERTITVR (vt mihi videtur) ad suam illam insignem, & praeclaram conclusionem: vnde humanae temeritatis, & audaciae refrenandae, curiosarumq;, & inutilium quaestionum amputandarum gratia, digressus fuerat. Habet autem locus hic nonnihil difficultatis; cùm Pauli oratio & manca esse, & desiderare videatur aliquid, quod connexum impleat, conclusionemq; perficiat: sed mea quidem sententia nihil hoc loco deest; nihil desideratur; nihil ex superioribus repetere, nihil supplere oportet: quin potius oratio siue argumentatio absoluta est, & integra: quod quidem si attentè omnia, & patienter ad finem vsque expenderimus, liquidò (vt spero) constabit. Sed Pauli ante omnia conclusionem in memoriam reuocemus: ea fuit: *Deus, cuius vult, miseretur, & quem vult indurat.* Huic ergo conclusioni, quae sequuntur annectamus, vt caetera interposita sint, & continuatam orationem interruperint. Igitur interrupta contexens inquit. *SI AVTEM VOLENS DEVS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SVAM, SVSTINVIT IN MVLTA PATIENTIA VASA IRAE, APTATA IN INTERITVM, VT OSTENDERET DIVITIAS GLORIAE SVAE IN VASA MISERICORDIAE, QVAE PRAEPARAVIT IN GLORIAM.* Si Deus cùm declarare mortalibus vellet, & testatam esse iram, & potentiam suam, illam in vindicandis sceleribus esse iustam, hãc maximam, quam subterfugere nemo possit; & diu, & patienter tolerauit eos, quos iustè interimere illico potuisset, cùm non auctore Deo, sed natura, & vitiositate propria, tanquam vasa quaedam essent, ad aliud nihil, nisi interitum, & iustam damnationem accommodata; idquè etiam fecisset, vt ingentem patefaceret gloriae suae copiam erga eos, quorũ misereri decreuerat, & tanquam vasa ad gloriam suscipiendam ipse parauerat, idoneaq; effecerat. Nam diuinae gloriae in electos abundantia ex impiorum iusto supplicio maximoperè declaratur; cùm illud idem deberetur electis, nisi eorum misertus esset Deus, gratuitoq; liberasset: quod pulcherrimè ab Augustino traditum accepimus, cùm dixit

Pauli sermo perfectus.

Diuinae irae, et potentiae declaratio.

Vasa irae.

Vasa misericordiae.

dixit. *Ne fortè vasa in honorem praedestinata, suis aliquid viribus tribuendo, negarent gratiam creatoris, vasa misericordiae Apostolus nominauit, vt totum quicquid essent, secundum misericordiam se esse cognoscerent.* Tu verò, qui Paulum prudenter legis, cursum sustine, & animaduerte hoc illud esse, quam ob rem locum hunc obscurum, mancum, & explicatu difficilem dixi: quia non statim perfecit sententiam, sed connexi partē, quam proposuit, imperfectam reliquit, ad ea digrediēs, quae de vasis misericordiae declarare oportebat, legentis animum suspensum, & quae altera esset connexi pars ignorantem dimittens. Sed Paulum sequamur digredientem: nam eo duce per semitas, quasi quasdam rerum cognitu necessariarum, & pulcherrimarum, non ita longiùs aberrabimus, vt eòdem non reuertamur: atq; locum hunc, cuius sensum imperfectum relinquimus, non, vt spero, perficiamus. Vasa irae parata ad interitum designanda non erant, ne quempiam in salutis adduceret desperationem. Vasa ergo designat misericordiae, vt & bonos consoletur, & malos, ne cadant animis, sustineat; omnibus deniq; spem salutis ostendat. Inquit autem. *QVOS ET VOCAVIT NOS, NON SOLVM EX IVDAEIS, SED ETIAM EX GENTIBVS.* Vasa misericordiae nos, inquit, sumus: ne procul quaerātur, quos iam vocauit Deus, non ex vno Iudaeorum populo, sed ex alijs quoq; nationibus. Et haec quidem vocatio, ex praedestinatione (vt suprà diximus) suo tempore exoritur, & prima est ad salutem, & gloriam sempiternam praeparatio. Itaq; nemini desperandum erat, quando tam ex Iudaeis, quàm ex alijs gentibus vocati qui nondum erant, vocari poterant; quemadmodum vbique gentium, & temporibus illis, quibus haec Paulus scribebat, & deinceps ad haec vsque nostra tempora multis contigisse scimus. Cùm autem vasa misericordiae non ex vnis Iudaeis, sed alijs quoq; gentibus constituta esse pronunciasset, quod aegrè quidem Iudaei audiebant, animoquè molesto accipiebant, vocationem primùm gentium ex antiquissimis Iudaeorum literis, & monumentis constare ostendit, quorum praecipuum, atq; germanum retulit sensum, de verbis, atque verborum serie nihil omnino laborans: Inquit autem. *SICVT IN OSEAE DICIT.* Deus est, qui loquitur: quid autem dicat, attendamus. *VOCABO NON PLEBEM MEAM, PLEBEM MEAM; ET NON*

De praed. et gratia c. 8.

Digressio.

Vasa irae cur non designata.

Vasa misericordiae cur designata.

Vasa misericordiae quae?

Gentium vocatio.

Oseae 2.

NON DILECTAM, DILECTAM; ET NON MISERICORDIAM CONSECVTAM, MISERICORDIAM CONSECVTAM. Locum hûc in Oseae libro sic legimus. *Et miserebor eius, quae fuit absque misericordia; & dicã non populo meo, populus meus es tu.* Gens, quae nullo misericordiae, & amoris argumento nititur, misericordiam assequetur; amoris argumentis abundabit; populus meus nuncupabitur. Non isto contentus oraculo, citat aliud, dicens. ET ERIT IN LOCO, VBI DICTVM EST EIS, NON PLEBS MEA VOS, IBI VOCABVNTVR FILII DEI VIVI. Locus hic in Oseae quoq; libros sic legitur. *Et erit in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos; dicetur eis, Filij Dei viuentis.* Quod quidem tunc factum crediderim, cùm eodem loco Iudaea nempe, Domini nostri IESV CHRISTI praedicatione, & Iudaeorum reiectio, & gentium est praenunciata vocatio, his verbis. *Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno coelorum; filij autem regni eÿcientur in tenebras exteriores.* Paulus quoq;, & Barnabas rem hanc, non tanquam futuram, sed iam praesentem Iudaeis apertè nunciarunt, cùm dixerunt. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce conuertimur ad gentes.* De vocatione gentium hactenus. Sed cùm Iudaeos à vocatione, & salute non penitus exclusisset, ipsos enim non hoc solùm loco, sed alibi quoq; vocatos dixit: eorum perpaucos ad sanctam, & salutarem hanc vocationem pertinere, ijs, quae penes ipsos seruabãtur, vaticinijs declarat, de quo inquit. ESAIAS AVTEM CLAMAT PRO ISRAEL. Hoc Esaiae magni Prophetae vaticinium, vel potius de populi sui calamitate, & interitu gemitus, & lamentatio Iudaeorum tantùm nationem tangit: nam inquit. SI FVERIT NVMERVS FILIORVM ISRAEL TANQVAM ARENA MARIS, RELIQVIAE SALVAE FIENT. Quamtumuis licet praeter omnem modum populus Israel augeatur, & crescat; eorũ mira omnino paucitas salua erit: quas reliquias appellauit, quemadmodum & poëta noster, *Relliquias* (dixit) *Danaum atq; immitis Achilli.* Quomodo autem hae Iudaeorum reliquiae seruandae essent, obscurè primùm memorauit Esaias, dicens. VERBVM ENIM CONSVM

Oseae 1.

Matth. 8.

Iudaeorum reiectio, & gentiũ vocatio.

Act. 13.

Iudaei à diuina vocatione non penitus exclusi.

1. Cor. 1.

Esa. 10.

Iudaeorum reliquiae.

Virg.

SVMMANS, ET ABBREVIANS IN AEQVITATE. Seruabuntur Iudaeorum reliquiae verbo iustitiae; vel via, quae vna ducit ad iustitiam, quam perficiet Deus, & resecabit, concisaq; breuitate diriget. Hoc autẽ planiùs explanauit, & quod obscuriùs dixerat, docet apertiùs, cùm inquit. *QVIA VERBVM BREVIATVM FACIET DOMINVS SVPER TERRAM.* Compendiosam Deus, & vniuerso terrarum orbi communem statuet ad iustitiam, & salutem viam, ad quam exiguum peruenturum esse Iudaeorum numerum, tãquam innumerae multitudinis damnatae reliquias, altero declarat Esaiae vaticinio, quod cùm istud, quod mox recitauit, antecedat, inquit. *ET SICVT PRAEDIXIT ESAIAS, NISI DOMINVS SABAOTH RELIQVISSET NOBIS SEMEN, SICVT SODOMA FACTI ESSEMVS, ET SICVT GOMORRA SIMILES FVISSEMVS.* Priusquam reliquiarum vllam fecisset Esaias mentionem, inter libri sui initia haec scripsit, quibus declarauit, diuinae gratiae, & clementiae semine in paucis quibusdam Iudaeis relicto factum esse, ne vnà omnes interirent, quemadmodum Sodomitis, & Gomorreis accidit; quorum nemo fuit, qui turpissimi sceleris poenas non dependerit: sed ita sunt omnes coelestibus flammis absumpti, vt & gentis, & regionis nuda tantùm, & inania noïa superfuerint. Sed priusquam vltra progrediamur, animaduertendum, verbum hoc perfectum, & breue, de quo vaticinatus est Esaias, fidem esse in Iesum Christum, non Moysi legem, quae cùm nihil ad perfectũ adduxerit, tum tot praeceptis onerauit, vt sustineri non potuerint.

Cõpendiosa ad salutẽ via.

Iustitiae verbũ perfectum, & breue qd. Heb. 7.

QVID ERGO.

AD illud meo iudicio regreditur, vnde lõgiùs digressus est, vt de gentium, & Iudaeorum vocatione, & salute dissereret: quod quidem connexi cuiusdam imperfectam partem esse diximus, quam cum ea, quae nunc sequitur, & in qua perficitur parte sic copulemus. *QVID ERGO DICEMVS?* Si Deus cùm vellet patefacere iustitiam, & potentiam suam, patiẽter tolerauit vasa irae ad interitum parata; quod etiam fecit, vt demonstraret gloriae suae magnitudinem erga vasa

Connexi post digressionem perfectio.

Y mise-

misericordiae; accitas videlicet non solùm ex Iudaeis, sed ex alijs quoque orbis terrarum nationibus; quidnam erit, quod dicere contra valeamus? Cùm autem haec tota disputio ex Iudaeorum (vt praediximus) & aliarum gentium controuersia orta fuerit, ad hanc interrogatiunculam breuiter suo more respondens, non illam tantùm suam conclusionem confirmat. *Deus, cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*; verumetiam de hac controuersia, quid statuendum sit, manifestè pronunciat. Dicemus ergo, inquit. *QVOD GENTES, QVAE NON SECTABANTVR IVSTITIAM, APREHENDERVNT IVSTITIAM.* De gentibus haec profectò dicenda est sententia. Gentes cùm iustitiam non modò non quaerere, sed ne cogitare quidem de ea possent, quia legem de sectanda iustitia non acceperant, viam agnouisse, & tenuisse iustitiae. Cuiusnam, dicet aliquis, iustitiae? Respondet. *IVSTITIAM AVTEM, QVAE EX FIDE EST.* Eam nactae sunt gentes iustitiam, quam fides parit in Iesum Christum. Ex hoc autem prima stabilitur conclusionis pars, Deum misereri, cuius voluerit, cùm gentium misertus fuerit, easquè nihil de iustitia cogitantes, ad iustitiam fidei perduxerit. De Iudaeis autem haec sit, quae sequitur sententia. *ISRAEL AVTEM SECTANDO LEGEM IVSTITIAE, IN LEGEM IVSTITIAE NON PERVENIT.* Iudaeorum populum cùm per legem ad iustitiam contenderet, iustitiam assequi non potuisse, neq; legem accepisse, quae ad iustitiam duceret. Quod quidem alteram confirmat conclusionis partem. Indurare nempe Deum, quem voluerit, cùm Iudaeorum de iustitia nanciscenda laborantium misertus non fuerit. Idem quippe esse iam diximus indurare, quod non misereri. Sed cum Paulus inquit, *QVARE?* quam ob culpam hoc Iudaeis contigerit, inquit. Respondet autem. *QVIA NON EX FIDE, SED QVASI EX OPERIBVS LEGIS.* Hoc fuit Iudaeorum peccatum, cuius noluit misereri Deus. Haec eorum duritia, quae nunquam potuit emolliri: de qua nullis sermonibus, nullis obiurgationibus, nullis comminationibus, nullis miraculis depelli potuerunt: in qua ad hodiernum vsque diem obstinati persistunt, iustitiam in lege, posthabita fide, quae vera est iustitiae lex, collocantes, iustitiam non fide, sed lege duce perquirentes.

Iustitiae via à Gentibus apprehensa.

Iustitia ex fide.

Deus, cuius vult, miseretur.

Iudaei ad iustitiã curnon peruenerint.

Deus, quẽ vult indurat.

Iudaeorum maximum peccatum.

Lex

Lex autem absq; fide, impedimento potius, quàm adiumento est ad iustitiam: quia in ea agnoscit homo peccatum suum, ignorans ad quem pro peccati venia impetranda confugiat: quod quidem vna fides edocet, Iesum Christum, tanquam alter Ioannes, & digito ostendens, & magna voce exclamans; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ad hoc Iudaeorum peccatum illae pertinent exprobrationes: *Vae tibi Corozaim: vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent*. Hoc quoque fortassis peccatum illud est in Spiritumsanctum, quod in se illi admittunt, qui Spiritusancto ad iustitiam indigere non putant: quod neque in hoc saeculo remittitur, quia mentem à iustitiae via abalienat, cuius prima pars est peccatorum venia: neque in futuro, nam qui sine hac iustitia decesserit, saluus esse non poterit. Hoc illud est crimen, quod immanem animi duritiam gignit: hoc illud est, quod Prophetae dixerunt; In lapidē offendere: de quo Paulus inquit. OFFENDERVNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS.

Lex absque fide vana.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Peccatum in Spiritū̄ sanctum.

Matth. 12.

Lapis hic Christus est, in quem incurrit, & ita laeditur, vt nullam ad iustitiam progressionem facere possit, quicunque fieri non posse existimat, vt vna in eum fides tutissima sit ad institiam via, sine qua nullum opus, nullus labor prodesse possit. De quo quidem lapide, Esaiae vaticinia colligit, ac recitat, dicens. SICVT SCRIPTVM EST: ECCE PONO IN SION LAPIDEM OFFENSIONIS, ET PETRAM SCANDALI; ET OMNIS, QVI CREDIT IN EVM, NON CONFVNDETVR. Diuina manu positus est lapis hic in mōte Sion, lapis (vt Petrus inquit) vnius, ab hominibus reprobatus, à Deo electus, & honorificatus. In quem non credentes, sed alio respicientes, ac fidem collocantes, tanta offensione incident, & tam grauiter laedentur, vt ab omni adipiscendae salutis spe deijciantur: credentes autem, nulla accepta offensione, nulla repulsa, nullo detrimento, salutis iter ingredientur, & quò optarunt expeditè, ac feliciter peruenient. Sed de sacrosancto diuinae electionis mysterio plura, quàm Paulus tradiderit, perquirere inane certè, & insanum fuerit: qui, arcanum hoc nec operiendum penitus, nec aperiendum duxit: tantùm autem, Augustino teste, aperuit,

Lapis offensionis.

Esa. 3. & 28.

Lapis offensionis, & petra scandalis.

1. Pet. 2.

Electionis diuinae mysterium nec apertū penitus, nec opertum.

De praed. San. cap. 8. quantum aperiendum putauit. Illud autem certissimum habendum, ex diuinis vocationibus, excitationibus, adhortationibus, querelis, hoc potissimum effici, vt apertè possimus omnes naturae nostrae imbecillitatem, viriumq; nostrarum infirmitatem agnoscere, quando communibus ijs adiumentis excitati, nihil proficimus absq; diuinae voluntatis proposito, & singulari illa vocatione, quae ex eo proposito proficiscitur. Atque hinc monemur nihil spei in nobis ipsis collocare, nihil nostris viribus tribuere: vt alij in curribus, alij in equis, nos in nomine Dei nostri magnificemur, & inuocemus. *Psal. 20.*

FRATRES.

FRATRES.

RIVSQVAM de gentium diuina electione, & maximae Iudaeorum partis reiectione disserere coepisset, mirabilem, atq; incredibilem in Iudaeos charitatem declarauit prudentissimus, & electissimus Apostolus, adeoq; magnam, & ardentem, vt anathema à Christo Iesu pro illorum salute se vnum esse optauerit: rem indignam existimans, eum perire populum, qui tot insignitus, & ornatus esset diuinis praerogatiuis, atq; muneribus. Cùm autem in ea disputatione dixerit, Iudaeos à vera iustitiae via aberrasse, & in lapidem offensionis incurrisse; ne infenso id animo, atque inimico dixisse putaretur, nouo rursus argumento suum erga Iudaeos amorem declarat: ostendens, eorum salutem, quanquam à Christo tantopere essent alieni, à se non negligi, cùm & eam propensè expeteret, & assiduis à Deo precibus posceret. Inquit autē: *FRATRES VOLVNTAS QVIDEM CORDIS MEI, ET OBSECRATIO AD DEVM EST PRO ISRAEL IN SALVTEM.* Singularem quendam affectum, & intimè propensum animum in Iudaeorum salutem significat vox illa εὐδοκία. vnde ex intimo cordis affectu, & egregia animi voluntate preces ad Deum pro Iudaeorum salute proficiscebantur. Quae verò huius affectus, harumq; precum causa esset, sic ostēdit. *TESTIMONIVM ENIM ILLIS PERHIBEO, QVOD AEMVLATIONEM QVIDEM DEI HABENT, SED NON SECVNDVM SCIENTIAM.* Certum habeo, & adeo certum, vt eis testimonio esse possim, gloriae Dei amore vehementi, & diuinae legis flagranti quodam studio eos incensos ex operibus iustitiam quaerere: verùm in eo decipi, quod veram iustitiam, & viam, quae ad eam ducit, ignorant: & de hac illorum ignorantia inquit. *IGNORANTES ENIM DEI IVSTITIAM, ET SVAM QVAERENTES STATVERE, IVSTITIAE DEI NON FVERVNT SVBIECTI.* Erat in eis iustitiae Dei ignoratio; siue rationis, & viae, qua iniustus homo, iustus à Deo efficiatur. Hac autem ignorata iustitia, ne ab omni prorsus iustitia nudi aestimarentur, & inopes, ad cōfirman-

CAPVT X.

Pauli erga Iudaeos amor, & singularis affectus.

Iudaeorum erga Deum eiusq; legē studiū vehemens.

Iudaeorum deceptio, et ignorātia.

firmandam, fulciendamq; propriam iustitiam se totos applicauerunt. Quò factum est, vt in ea corroboranda occupati, atq; impediti à Dei iustitia; quam eius occupationis ratione videre non poterant, se penitus subduxerint; eiq; neq; se submiserint, neq; obtemperauerint, atq; ab ea longissimè aberrauerint. Sed geminam hanc iustitiam planius alibi, & apertiùs explicatam Paulus docuit, iustitiam propriam, iustitiam ex lege appellans, cùm quis ex legis operibus iustitiam quaerit: iustitiam verò Dei, iustitiam ex fide Christi nuncupans; cùm fides in Iesum Christum vna, vera, & tuta ad iustitiã via agnoscitur, atq; praedicatur. Hoc verò loco, quae sit Dei iustitia ostendit, vt eam Iudaeos contumaciter repudiasse patefaciat, quantumuis magno diuinae gloriae, & legis studio flagrantissimi essent. Ea verò non est lex, sed Iesus Christus, qui legis est σκοπὸν, quem lex spectat, & intuetur, quò omnium cursum dirigit, & extento quasi digito, demonstrat; de quo inquit. *FINIS ENIM LEGIS CHRISTVS, AD IVSTITIAM OMNI CREDENTI.* Legi propositum est Christum ostendere, & ad eum, tanquam pueros pedagogus, mortales omnes dirigere, in quem credentes iustitiam nanciscantur. Iudaeos autem neq; in Christum credidisse; neq; ei se permisisse, in promptu quidem est, & omnibus notum, atq; manifestum. Quare iustitiae Dei ignari, & ei non subiecti reuera dicendi sunt; quia in Christum Iesum non credentes, non sub gratia sunt, sed sub lege. Itaque (vt suprà cùm Paulo diximus) peccatum eis dominatur.

Phil. 3.
Iustitia duplex.
Iustitia Dei quae.
August. de na. & gratia cap. 1.
Iudaei iustitiae Dei ignari cur?
Rom. 6.
August. de gratia & lib. arb. cap. 12.

MOYSES ENIM.

VT autem duplicis huius iustitiae perfectiorem nanciscamur notitiam, duobus sanctarum scripturarum oraculis ostendit, qualis differentia sit iustitiae legis, & fidei, quae illa est, quam paulò ante iustitiam Dei appellauit. Et de prima quidem inquit. *MOYSES ENIM SCRIPSIT IVSTITIAM, QVAE EX LEGE EST; QVONIAM, QVI FECERIT EA HOMO, VIVET IN EIS.* Iustitiam legis declarans, siue describens Moyses, ab ea requiri dixit, vt legis mandatis obedientiam praestemus, atq; satisfacimus: & huic quidem obedientiae vitam polli-

Iustitiae legis & fidei differentia.
Leu. 18.
Iustitia legis.

pollicetur, praeter quam sit omnibus definita mors. Quo fit, vt omnibus, qui iustitiam legis sectantur, omnis vitae spes in mandatorum effectione collocanda sit. Hoc itaq; primum est oraculum, haec iustitiae legis descriptio. Alterum est, quod sequitur de iustitia fidei: quae (vt diximus) est iustitia Dei: de qua inquit. *QVAE AVTEM EX FIDE EST IVSTITIA SIC DICIT.* Moyses idem, quae sit fidei iustitia ijs, quae sequuntur verbis explicauit. *NE DIXERIS IN CORDE TVO, QVIS ASCENDET IN COELVM?* Haec est Moysi clausa litera, quam Spiritussanctus reserauit, Paulo interprete, qui addidit. *IDEST CHRISTVM DEDVCERE.* Quod perinde est, ac si diceret. Cùm tibi Christum seruatorem promitti audis, atrocem poenam, & mortem indignam pro tuis peccatis subiturum, caue tecum ipse cogites, id praestari non posse, non secus atq; ipse non potes coelum conscendere, vt inde Christũ accipias, atq; ad crucem vsq; deferas. *AVT, QVIS DESCENDET IN ABYSSVM?* Et haec quoq; Moysi obscura litera est, quam quomodo Spiritussanctus Pauli verbis illustret, attendamus. Inquit enim. *HOC EST, CHRISTVM A MORTVIS REVOCARE.* Quod ita accipiendum est, ac si dixisset. Cùm per Iesu Christi è mortuis resurrectionẽ iustitia tibi promittitur, caue extimescas, quasi ea promissio cõfici nequeat; quemadmodum neq; ipse in imas terrae partes descendere vales, ad Christum Iesum à morte excitandum. Primum ergo, quod ad iustitiam fidei pertinet, hoc est, vt de diuinis promissionibus nihil omnino dubitemus, neq; qua ratione, & via eas Deus effecturus sit disseramus. Hoc tanquam fundamento quodam iustitiae fidei iacto, progreditur Paulus interrogans. *SED QVID DICIT?* Praeter id, quòd diuinis promissionibus diffidendum non esse mãdauit Moyses, quid est, quod vltra de iustitia Dei affirmat? ac veluti respondens ait. *PROPE TE EST VERBVM, IN ORE TVO, ET IN CORDE TVO.* Si nihil omnino de diuinis pollicitationibus addubitaueris, habes penes te, in ore scilicet, & corde tuo, verbum iustitiae, quo iustitiam ipsam consequare. Quodnam autem verbum istud sit, iam aperit dicens. *HOC EST VERBVM FIDEI, QVOD PRAEDICAMVS.* Fides est, quam nos dicimus, & publicè profitemur proximam esse ad iustitiam, & quasi

Iustitia Dei siue fidei.

Deu. 30.

Moysi clausa litera, à Paulo reserata.

Iustitiae fidei principium.

Iustitiae verbũ proximum.

quasi compendiariam viam, quae in ore, & corde tuo sedem habet, si de diuinis promissis non ambigis. Sed hoc iustitiae verbum quomodo adeo nobis sit proximum, vt in ore illud habeamus, & corde, restat declarandum: & de hoc inquit.

QVIA SI CONFITEARIS IN ORE TVO DOMINVM IESVM, ET IN CORDE TVO CREDIDERIS, QVOD DEVS SVSCITAVIT ILLVM A MORTVIS, SALVVS ERIS. His, qui de diuinis promissionibus non dubitant, duo sunt proxima, prompta, facillima. Alterum est, ore fateri Iesu Christi per fidem in hominum animis regnantis singularem, ac propè diuinum dominatum: de quo alio loco dixit, *Vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum:* & hanc confessionem absq; Spiritusancto fieri non posse tum docuit, cùm dixit. *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritusancto.* Alterum est, corde credere eius à morte resurrectionem, vt illa principatus confessio ex hac fide proficiscatur. Quid enim est, cui non possit imperare, qui gloriosam de morte victoriam consecutus est? Quamobrem rediuiuus cùm triumphasset, summi, quod à patre acceperat, imperij mentionem fecit dicens. *Data est mihi omnis potestas in coelo, & in terra.* In hac autem confessione, & fide perfecta posita est eius, quam quaerimus iustitiae ratio. Nam (vt alio loco Paulus inquit) *Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, & adhuc sumus in peccatis nostris.* Patet autem hoc loco, rumpantur quamuis haeretici, iustitiam fidei esse chatitatem; cùm Paulus, docente Spiritusancto, quae Moyses de charitate scripsit, ad iustitiam fidei traduxerit: quod quidem vanissimum fuisset, nisi charitas ipsa esset iustitia fidei, quam fide impetramus; qua iustè viuimus; qua legem implemus, vt post Paulum latiùs declarauit haereticorum acerrimus hostis Augustinus: quem nos magistrum ipsius vestigijs persecuti, in nostris de Epistola ad Galatas Quaestionibus, quod hic de iustitia fidei leuiter attigimus, cumulatiùs explicauimus.

Dominatus Christi confessio. *1. Cor. 8. & 12.* *Resurrection. Christi fides.* *Matth. vlt.* *1. Cor. 15.* *Iustitia fidei charitas.* *De natura & gratia cap. 63. 38. 42. Epist. 106. Quaest. 64.*

CORDE ENIM.

QVI in diuinis non haesitat promissionibus, proximum habet, vt Paulus dixit, in ore scilicet, & corde, salutis, & iustitiae verbum; quod hac ratione declarauit.

rauit. Nam si ore confessus fuerit, coeli, & terrae dominum esse Iesum Christum, & eum corde crediderit à morte excitatum, saluus erit. Vbi oris confessionem fidei cordis antepofuit; non ἀναστροφὴν (vt quidam inepté dicunt) affectans, verùm, vt copula illa *ET*, eos à salute excludat, quorum confessió à fide cordis non emanat. Hi sunt de quibus Christus ipse dixit. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est.* Obedientiam requirit, sine qua fides in corde non habet domicilium. Nunc quomodo salus ex oris confessione, & fide cordis proficiscatur, tanquam id, quod dixit, enucleans, & corroborans, declarat. Sed fidem, quae in corde, confessioni, quae in ore est, anteponit; vt intelligamus, quantacunq; fuerit in corde fides, nisi ad eam oris confessio accedat, ad salutem non sufficere. Inquit autem. *CORDE ENIM CREDITVR AD IVSTITIAM, ORE AVTEM CONFESSIO FIT AD SALVTEM.* Ex fide cordis, iustitia oritur. Siquis verò fuerit, qui corde credat, ore autem confiteri renuat; à iustitia cadet, & ad salutem non perueniet; vtpote cuius fides inanis sit, & imbecilla, atq; ad iustitiam retinendam, & salutem adipiscendam infirma. Oris enim confessio veram, firmam, & efficacem indicat fidem. Sed harum quatuor rerum, Fidei, Iustitiae, Confessionis, Salutis, aptum, & accommodatum animaduertamus ordinem. Est enim inter eas causae, & effectus necessaria connexio; cùm ex fide iustitia; ex iustitia confessio; ex confessione salus exoriatur: qua ratione intelligemus, verum esse, quod Paulus inquit: corde credi ad iustitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem. Hanc autem causarū, & effectuum colligationem, & cohaerentiam agnoscunt illi, qui in sanctis literis didicerunt; iustificari hominem per fidē, & iustos confiteri nomini Domini: illam demq; Domini nostri Iesu Christi benignitatis plenam promissionem. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Huic autem fidei, quae confessionem neq; formidat, neq; erubescit, salutem esse ascribendam, Esaiae testimonio declarat, cùm inquit. *DICIT ENIM SCRIPTVRA; OMNIS, QVI CREDIT IN ILLVM, NON CONFVNDETVR.* Qui fidem hanc in corde gerit, ex qua in ore confessio redundat, ac manat,

Confessio oris fidei cordis cur anteposita.

Matth. 7.

Salus ex oris confessione, & fide cordis quomodo proficiscatur.

Ordo. Fidei. Iustitiae. Confess. Salutis.

Rom. 3.
Ps. 139.
Matth. 10.

Fides salutaris quae.
Esa. 28.

riat, non erubescet, sua adipiscendae salutis ipse frustratus, aut decoeptus. Quo Esaiae testimonio, gentium vocationem iterum asserit; vt inde ad Iudaeorum reiectionem denuo reuertatur. Declarans enim cur dixerit Esaias. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur*, inquit. *NON ENIM EST DISTINCTIO IVDAEI, ET GRAECI.* Nulla est natio, ad quam non hoc Esaiae oraculum pertineat: cuius interpretationis rationem reddens addidit. *NAM IDEM DOMINVS OMNIVM, DIVES IN OMNES, QVI INVOCANT ILLVM.* Vnum tam nos Iudaei, quàm omnes aliae gentes dominum habemus, cui curae sumus; erga omnes, qui ad eius praesidium confugiunt, misericordia, & liberalitate affluentem. Quod quidem alterius Prophetae testimonio confirmat, qui absq; vllo discrimine dixit. *OMNIS ENIM, QVICVNQ; INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT.* Ab hoc omnium domino, qui vnus seruare potest, & perdere, salutem quicunq; poposcerit, assequetur. Nam haec inuocatio eius confessionis pars est, de qua dixit. Ore confessio fit ad salutem; quae cùm ex fide profluat, non potest non esse salutaris. Sed ne quis ab inuocatione fidem, vel inuocationem à fide disiungat; eas inter se ita copulatas esse ostendit; vt altera sine altera consistere, aut salutem afferre nequeat. Vtitur autem, quemadmodum in rebus per se manifestis consuetum est, interrogatione. *QVOMODO ERGO INVOCABVNT EVM, IN QVEM NON CREDIDERVNT?* Nulla profectò est sine fide inuocatio: quinimmo (vt magnus inquit pater Augustinus) *Fides non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur*. Tribus deinde inter se connexis interrogationibus, quarum altera parit alteram, fidei ferendae causa; quae bonorum est omnium fundamentum, mitti ad omnes oportuisse demonstrat Euangelij Praedicatores. Earum prima est. *AVT QVOMODO CREDENT EI, QVEM NON AVDIERVNT?* Fides requirit eum prius audiri, cui credendum est: nemo enim rebus non auditis fidem adhibere potest: Altera est. *QVOMODO AVTEM AVDIENT SINE PRAEDICANTE?* Nisi id, quod credendum est, praedicetur, nemo certè audire poterit. Tertia est. *QVOMODO VERO PRAEDICABVNT, NISI MITTANTVR?* Euangelij Praedica-

Gentium vocatio.

Ioel. 2.

Inuocatio cōfessionis pars.

Fides cum inuocatione iungenda.

De gratia & lib. arb. cap. 14.

Fides primum Dei munus.

Fides.

Praedicatio.

dicatores non suum, sed Dei verbum praedicant. Nisi ergo missi à Deo fuerint, quomodo tantam sibi legationem assument? quomodo diuinum hoc annunciandi verbi Dei munus vsurpabunt? Inuocatio ergo fide opus habet; Fides requirit auditionem; Auditio praedicationem; Praedicatio diuinam Praedicatorum missionem, quam Esaiam praesensisse declarat, dicens. *SICVT SCRIPTVM EST.* Non humani sermonis, sed diuinae scripturae testimonium recitat. *QVAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIVM PACEM, EVANGELIZANTIVM BONA.* Praedicatorum aduentus pedum pulchritudine pulcherrimus describitur, quia non suo sed Dei spiritu mouentur, & incedunt: atq; pacem illam primùm annunciant, de qua suprà Paulus dixit. *Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum.* Bona deinde maxima, quae cum ea sunt pace coniuncta: quae quis enumerare valeat? Eorum pauca quaedã indicauit Paulus, gloriationem in spe gloriae Dei, in tribulationibus, in Deo: quibus addamus (si placet) diuinas illas promissiones. *Erit opus iustitiae pax, & cultus iustitiae, silentium, & securitas vsq; in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciae, & in requie opulenta.*

Missio. *Isa. 52.* *Praedicatorum pulcherrimi pedes.* *Cap. 5.* *Isa. 32.*

SED NON.

POST haec, quae ad Euangelij praedicationem, & gentium vocationem pertinent, ea nũc aggreditur, quae Iudaeorum infidelitatem, ac reiectionem declarant. Ad eorum enim maximam partem haec pertinent, quae sequuntur. *SED NON OMNES OBEDIERVNT EVANGELIO.* Quanquam missi à Deo fuerint Euangelij Praedicatores; praedicauerint; auditi fuerint; non omnes tamen crediderunt, quod quidem in primis requirit Euangelium: cuius illa prima fuit praedicatio. *Poenitemini, & credite Euangelio.* Hanc autem Iudaeorum incredulitatem inter coeteros eorũ Prophetas Esaias praesensit, cuius sequitur vaticinatio. *ESAIAS ENIM DICIT.* Illos cum Deo loquentes facit, qui ad praedicandum Euangelium missi fuerant, & non sine maxima admiratione dicentes. *DOMINE QVIS*

Iudaeorũ infidelitas, & reiectio. *Mar. 1.* *Esa. 53.*

Euangelio pauci obtẽperarunt. *CREDIDIT AVDITVI NOSTRO?* Quotusquisq; est, qui fidei, quam te iubente Domine praedicauimus, obtemperauerit? Pauci profectò pauci, ad obedientiam fidei à nobis vocati accesserunt. Mira omnino paucitas est eorum, qui Euangelio, quod auditione nos accepimus, & aperto sermone praedicauimus, fidem adhibuerint. Qua de re Ioannes Euangelista, cùm de Christi miraculis loqueretur, dixit. *Io. 12.* *Cùm autem tot signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiae impleretur, quem dixit. Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Ex hoc autem Esaiae vaticinio duo illa confirmat, & tanquam corollaria concludit, quae paulò ante interrogatione proposuit. Primum est. *ERGO FIDES EX AVDITV.* Hoc illud est, de quo interrogauit. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Alterum est. *AVDITVS AVTEM PER VERBVM DEI.* Ad hoc illa spectat percunctatio. Quomodo audient sine praedicante? Ex quibus ista conficitur veritas. *Fides vnde gignitur.* Fides ex auditu verbi gignitur, non humani, sed diuini. Dubitat autem, an qui non crediderant Iudaei, dicere possent, Non audiuimus; & hanc habere infidelitatis excusationem, dicens. *SED DICO, NVNQVID NON AVDIERVNT?* Respondet, & Dauidis praedicatione probat, non posse eos hac se ratione excusare, & tergiuersari. Inquit autẽ. *Iudaeorũ excusatio nulla.* *ET QVIDEM IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS EORVM, ET IN FINES ORBIS TERRAE VERBA EORVM.* *Psal. 18.* Praedixerat olim Dauid verbi Dei, siue Euangelij egressum è Iudaea, necnon ad extrema vsq; orbis terrarum progressum. Quomodo ergo poterant Iudaei non audiuisse, quod in Iudaea praedicari coeptum erat, atq; inde in reliquas omnes mundi partes longè, latèq; diffundebatur, iuxta illud. *Isa. 2.* *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.*

SED DICO.

DVBITAT iterum, vtrum haec diuini verbi siue Euangelij à Iudaea egressio, & ad externas nationes tam aperta, & latè patens progressio Iudaeis ipsis obscura, atq; incognita fuerit, dicens. *SED DICO, NVNQVID ISRAEL*

ISRAEL NON COGNOVIT? Et hoc quoque respondet, per Moysen, & Esaiam longè prius à Deo eis fuisse praedictum, de quo inquit. *PRIMVS MOYSES DICIT.* De hac diuini verbi apud alienas nationes praedicatione, omnium primus locutus est Moyses, immo Deus ipse per Moysen, cuius haec sunt verba, quae sequuntur. *EGO AD AEMVLATIONEM VOS ADDVCAM IN NON GENTE, IN GENTE INSIPIENTI IN IRAM VOS MITTAM.* Quod ego facturus sum (Deus inquit) inuidia vos, ac liuore stimulabit, o Iudaei. Quidnam hoc est? inquient. Ad eam gentem verbum meum emittam, quae nunc gens esse mea non videtur: ad eam gentem, quam vos despicitis; quam nullo loco numeratis. Non liuor autem modò, sed ira vos commouebit, cùm genti, quae nunc insipiens est, & in magnis versatur ignorantiae tenebris, verbum salutis annunciabitur. Sequitur Esaiae praedictio, de qua inquit. *ESAIAS AVTEM AVDET, ET DICIT.* Post Moysen audacter, ac fidenter eadem de re egit, neque formidauit eam praenunciare Esaias, cuius sensum retulit, non anxiè verba dinumerans. Inquit enim. *INVENTVS SVM A' NON QVAERENTIBVS ME; PALAM APPARVI HIS, QVI ME NON INTERROGABANT.* Qui neque lege neque vlla doctrina admonebantur, vt me quaererent, me inuenerunt (Deus inquit) & his meipsum manifestaui, qui neque me cognoscere studebant, neque de me percunctabantur. Perstringit autem, & quodam quasi aculeo Iudaeos pungit, qui & lege Deum quaerere monebantur, & à Prophetis poterant interrogare de Deo. *AD ISRAEL AVTEM DICIT.* Alter est apud eundem Prophetam locus, vbi ingratos Iudaeorum animos sic Deus accusat. *TOTA DIE EXPANDI MANVS MEAS AD POPVLVM NON CREDENTEM, SED CONTRADICENTEM.* Iudaeorum populum nunquam destitit varijs modis ad se inuitare, & allicere Deus: at illi non modò ad eum non accedebant, verùm longiùs discedebant, diuinaeq; voluntati repugnabant, ac resistebant: id, quod eis Dominus noster Iesus Christus in maximi criminis loco obijciebat, cùm diceret.

Gentium vocatio à Moyse praedicta.

Deut. 32.

Esa. 65.

Gentium obedientia ab Esaia praedicta.

Esai. 65.

Iudaeorũ ingratitudo.

ret. *Ierusalem Ierusalem, quae occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Qua etiam de re Stephanus in ea concione, quam habuit, priusquam lapidibus appeteretur, dixit. *Dura ceruice, & incircumcisi cordibus, & auribus; vos semper Spirituisancto restitis, sicut patres vestri, & vos.*

Act. 7.

DICO

DICO ERGO.

ARDVAE huius, & necessariae de Euangelica gratia disputationis conclusionem, & finem Paulo duce ingredimur: vbi quod inprimis efficere nititur, illud est, vt Iudaeorũ cum alijs omnibus totius mundi nationibus animos, inter quos hac de re acris Romae exorta erat controuersia, omni sublato dissidio, summis amoris, & beneuolentiae vinculis coniungat, & Christiana reddat charitate concordes. Summa autem est. Neque ex sanctis scripturis, quae Iudaeorum reiectionem praenunciant, omnes suspicãdum esse Iudaeos fuisse reiectos: neq; item ex his, quae de aliarum gentium selectione vaticinantur, alios omnes aliarum gentium homines ad sempiternam fuisse gloriam selectos: verùm ex omni natione, quae sub coelo est, peculiarem sibi populum elegisse Deũ. Ex quo illud patefit atq; illustratur, quod Epistolae huius initio dictum est: Euangelium esse Dei virtutem in salutem omni credenti, Iudaeo quidem primùm, & Graeco. Incipit autem à scrupulo quodam siue dubitatione, quam locus hic habere poterat, dicens. *DICO ERGO, NVNQVID DEVS REPVLIT POPVLVM SVVM?* In his sanctarum scripturarum vaticinijs haesitans. quaero. An tanti fuerit Iudaeorum infidelitas, & contradictio, vt ad vnum omnes à Deo, & vera salute reiecti, repudiatiq; sint? An ex scripturis, quas in medium attuli, intelligendum sit, omnem Iudaeorum populum abiecisse Deum, & alias sibi asciuisse nationes? Et more quidẽ suo ab hac sententia longissimè se abhorrere ostendit, cùm inquit. *ABSIT.* Cuius quidem horroris, quasi rationem reddens, statim adiunxit. *NAM ET EGO ISRAELITA SVM, EX SEMINE ABRAHAE, DE TRIBV BENIAMIN.* Fieret enim si Iudaeos Deus omnes reprobasset, vt mihi inprimis de mea esset salute desperandum, qui non proselytus, non ascitus, sed ex Iudaeis ortus, & ex Abrahae semine, Beniamina Tribu procreatus sim. Respondet igitur. *NON REPVLIT DEVS PLEBEM SVAM, QVAM PRAESCIVIT.* Is reuera Dei populus habendus est, qui ex ijs constat hominibus, quos suos esse futuros Deus ipse ab aeternitate proposuit, vel (vt Augu-

CAPVT XI.

Disputationis de praedestinatione cõclusio.

Iudaei non omnes reiecti, nec gẽtes selectae omnes.

Cap. 1.

Iudaei an omnes repudiati.

Dei populus qui.

De bo. per. cap. 18. Augustinus interpretatur) praedestinauit. Hunc itaque populum nefas est cogitare à Deo fuisse repudiatum. Ab hoc autem peculiari, & electo populo Dei non omnes secludendos esse Iudaeos, sed eorum nonnullos ad eum spectare declarat; atque indicat, id, quod Heliae magni Prophetae temporibus contigisse legimus, adumbrasse, quod Euangelicae gratiae temporibus futurum erat. Helias enim aduersus Israelitas Deum alloquebatur, atq; illorum flagitia commemorabat, tot insignium Prophetarum interemptionem; tot altarium, in quibus Deo vero sacrificabatur, ab imis fundamentis euersionẽ: deniq; insidias, quas ei pararent, qui vnus Dei gloriam tueri sibi videbatur, cùm neminem ipse agnosceret ad eam gloriam defendendam stimulari, atq; incitari. Edito igitur tunc oraculo didicit Helias nonnullos in ea gente superesse cum diuinae gloriae vehementer studiosos, tum ab idolorũ cultu alienos. Pari, inquit, ratione Paulus hoc Euangelij praedicationis tempore, ex diuinae gratiae selectione, Iudaeorum superesse reliquias, quae ad Dei populum pertinerent. Inquit autem. *AN NESCITIS IN HELIA QVID DICIT SCRIPTVRA: QVEMADMODVM INTERPELLAT DEVM ADVERSVM ISRAEL?* Inter reliqua, quae de Helia scripta legimus, familiaris illa est cum Deo collocutio, & acerba Israelitarum accusatio. Cùm enim post longum ieiunium in spelunca montis Horeb moestus delitesceret, roganti Deo, quid hic agis Helia? respondit. *DOMINE PROPHETAS TVOS OCCIDERVNT, ET ALTARIA TVA SVFFODERVNT, ET EGO RELICTVS SVM SOLVS, ET QVAERVNT ANIMAM MEAM.* Putabat Helias neminem superesse de Prophetis, qui Dei veri gloriam tueretur, atq; sustineret, cùm & multi Prophetae interempti, & altaria multa deleta ab Israelitis essent, à quibus vita quoq; eius peteretur. Quid autem illi Deus respõderit, animaduertamus: de quo Paulus. *SED QVID DICIT ILLI DIVINVM RESPONSVM?* Hoc nempe, quod sequitur. *RELIQVI MIHI SEPTEM MILLIA VIRORVM, QVI NON CVRVAVERVNT GENVA ANTE BAAL.* Ex multis quosdam, quos ipse nosset, & numeratos haberet, superesse significauit diuinae gloriae defensores, & quasi propugnatores, quorum nemo, neq;

Marginal notes: *Heliae datum à Deo responsum.* — *3. Reg. 19.* — *Iudaeos accusat Helias.* — *Diuinum responsum.*

neq; Baalis imagini, aut simulachro genua flexisset, neque aliorum idolorum nefario cultu foedatus, ac maculatus esset. Haec autem, quae de Helia scripta sunt ad Euangelij tempora pertinere ita Paulus ostendit. *SIC ERGO, ET IN HOC TEMPORE RELIQVIAE SECVNDVM ELECTIONEM GRATIAE DEI SALVAE FACTAE SVNT.* Euangelij gratiàm vix exortam extinguere Iudaei nitebantur, non secus atq; patres eorum de Prophetis olim facere connixi fuerant; verùm non omnes, cùm eorum nonnulli diuina gratia selecti, tanquam magnae, & horribilis stragis reliquiae superessent. Quemadmodum ergo Heliae temporibus, ex multis, qui in infidelitate perierant, septem hominum millia integra sibi Deus, mundaq; ab idolorum cultu conseruauerat; sic quoq; gratuito selegit quosdam, qui Euangelio crederent, & cum maxima infidelium parte non perirent: quos Paulus reliquias, Dei gratia selectas, appellauit: nam (vt Augustinus ait) non operum meritis, sed diuina fuère gratia seruatae, cùm non dixerit Deus, Relicta sunt mihi; aut, Reliquerunt se mihi; sed, Reliqui mihi, quod quidem in his, quae sequuntur, Pauli verbis euidens est, atq; perspicuum. Inquit enim. *SI AVTEM GRATIA, IAM NON EX OPERIBVS, ALIOQVIN GRATIA IAM NON EST GRATIA.* Ne posset illa paucorum electio operibus aliqua ex parte tribui, à Iudaeis praesertim, ad quos praecipuè pars ista pertinet; vehementer repugnare inquit gratiae rationem operibus, quandoquidem si tanquam merces ad remunerandum opera persoluatur, omnem gratiae rationem amittet, ac falsò gratia nuncupabitur. Habent autem codices hoc loco Graeci sic. *SI AVTEM EX OPERIBVS, NON IAM EST GRATIA, QVONIAM OPVS NON AMPLIVS EST OPVS.* Si diuina ex operibus contingat electio, non modò neq; gratia, neque gratiae electio nominabitur, verùm etiam opus nō erit opus: quia si in gratiam respiciat, propriam exuet vim, atq; naturam. Ea enim est non gratiam, sed debitam reposcere mercedem; de quo supra dixit. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Hoc autem totum in Iudaeos dictum accipiendum est, falsò existimantes suis promeritis gratiam deberi Euangelicam, neque ad eam gentes alias attingere posse, quarum nulla esset Dei veri

Iudaeorum reliquiae.

De bo. per. cap. 18.

Electio gratiae est non operum.

Gratia cur non ex operibus.

Cap. 4.

notitia, nullus eiuſdem ſyncerus cultus, nulla merita, nulla diuinae legis obſeruantia.

QVID ERGO.

D eam reuertitur quaeſtionem, quam attulerat, cùm dixit. *Nunquid Deus repulit populum ſuum?* vt de Iudaeorum ſalute quid ſentiendum eſſet, manifeſtè, & abſq; vllo inuolucro, & integumento explanet. Inquit autem. *QVID ERGO?* De Iudaeorum populo quid dicendum eſt, qui in ſanctis ſcripturis populus Dei peculiaris dicitur, & electus, vtrum Deus eum abiecerit, ac repulerit? Reſpondet. *QVOD QVAEREBAT ISRAEL, HOC NON EST CONSECVTVS.* Quid illud eſt, quod quaerebat Iſrael? Quam verò ob cauſam non eſt aſſecutus? Dixit vtrumq; ſuprà. *Iſrael ſectando legem iuſtitiae, in legem iuſtitiae non peruenit.* Iſrael appellauit eos omnes, qui eo animo affecti erant, quo maxima Iudaeorum pars, ex legis operibus iuſtitiam requirens, quae nullis, vt paulò ante docuit, operibus redditur; ſed omne ſuperat humanum pretium, ac propterea gratis tribuitur. Sed id videamus, quod ſequitur. *ELECTIO AVTEM CONSECVTA EST, CAETERI VERO EXCAECATI SVNT.* Quos ex Iudaeorum populo ſelegit Deus, ij ſunt iuſtitiam aſſecuti: de quibus dixit. *Reliquiae ſecundum electionem gratiae ſaluae factae ſunt:* reliqua verò Iudaeorum maxima multitudo occaecata eſt, ne viam iuſtitiae, quam malè quaerebat, videre poſſet, & inuenire. Hoc autem ſummum, & grauiſſimum Iudaeorum exitium eorum Prophetae diuino afflati ſpiritu praeſentiẽtes, minimè tacuerunt. Quam ob rem Paulus ait. *SICVT SCRIPTVM EST.* Miſerrimam hanc caecitatem praedixit Eſaias: cuius vaticinij non verba, ſed id, quod ex verbis intelligi oportet, ſuo more retulit, dicens. *DEDIT ILLIS DEVS SPIRITVM COMPVNCTIONIS; OCVLOS, VT NON VIDEANT; ET AVRES, VT NON AVDIANT VSQVE IN HODIERNVM DIEM.* Et primam quidem huius vaticinij particulam eam eſſe exiſtimo, quae nunc ſic legitur. *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* Reliqua verò illa eſt, qua mandatum ſibi à Deo Iudaeorum ſceleribus

Iudaeorum populus an reiectus.

Iſrael fruſtra quaeſiuit iuſtitiã, & cur. Cap. 19.

Electio ſiue reliquiae Iudaeorũ.

Iudaeorum caecitas praedicta.

Eſa. 29.

leribus commoto scripsit vates, vt Iudaeorum cor excaecaret; aures aggrauaret; oculos clauderet. Et hic quidem compunctionis est, siue soporis spiritus; qui, quem pungit animũ, ac stimulat, tanto stupore opprimit, vt neq; videre, neque audire possit. Cùm autem his auditis Esaias postulasset. *Vsque quo Domine?* eam partem, quae ad impendentẽ tunc Iudaeis calamitatem pertinebat, reliquit Paulus: dixitq; hanc illorum caecitatem, atq; surditatem ad sua vsq; tempora perseuerasse. Celebre profectò vaticinium, quod dum Iudaeorũ duros, obstinatos, ac perfidos animos Ioannes Euangelista accusaret, vsurpauit dicens. *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias. Excaecauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Haec dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Et Paulus in extrema illa, quam Romae habuit diuina concione huius vaticinij testimonio, Iudaeorum duritiam, & dissensiones redarguens, inquit. *Benè Spiritussanctus locutus est per Esaiam Prophetam, dicens. Vade ad populum istum, & dic ad eos. Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus grauiter audierũt, & oculos suos compresserunt; ne fortè videant oculos; & auribus audiant; & corde intelligant; & conuertantur, & sanem eos.* Quid dixi? Paulus, & Ioannes, immo Christus ipse, cùm Apostoli ex eo sciscitarentur, quam ob rem cum Iudaeis loqueretur in parabolis, respondit. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt, vt adimpleatur in eis Prophetia Esaiae dicentis. Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis; & auribus audiant; & conuertantur, & sanem eos. SICVT ET DAVID DICIT.* Alterum est eadem de re vaticinium, in quo Dauid precibus petit, quod euenturum praesenserat. *FIAT MENSA EORVM CORAM IPSIS IN LAQVEVM, ET IN CAPTIONEM, ET IN SCANDALVM, ET RETRIBVTIONEM IPSIS.* Quaenam ista est Iudaeorũ mensa? omnia nempe, quae ad eorum vitam, & salutem parauerat Deus: vbi verbum qui panis est vitae, & intellectus: vbi aqua sapientiae salutaris:

Compunctionis, siue soporis spiritus.

Esa. 6.

Vaticiniũ contra Iudaeos celebre.

Ioan. 12.

Act. 28.

Esa. 6.

Matth. 23.

Iudaeorum mensa.

Esa. 53. vbi verus ille agnus, qui coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum: ac multò plura saluberrima, & necessaria alimenta. Quae quidem omnia versa sunt eis in laqueum, quo caperentur; & in offendiculum, in quod inciderent; & in suorum scelerum poenam grauissimam. *OBSCVRENTVR OCVLI EORVM, NE VIDEANT, ET DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA.* Primum illud est, quod apud Esaiam sic legimus. *Oculos eius claude.* Alterum hunc habet sensum. Detrectant illi fidei suaue iugum & onus leue, legem quaerentes, & mandata. Tot ergo eos legibus, & mandatis onera, vt sub onere tamdiu incuruescant, donec cadant. Quod quidem praedixisse mihi videtur Esaias: *Offendent*, inquiens, *ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.*

Iudaeorũ graue on⁹.

Esa. 8.

DICO ERGO.

NE ex his, quae dicta sunt, existimarent gentes à Iudaeis alienae negligendos esse, & paruipendendos Iudaeos; nullamq; de eorum salute curam esse suscipiendam; ostendere incipit, oportere gentes, quae ad fidem venerãt de Iudaeorum salute solicitas esse, & eam summa diligentia, summoq; studio procurare; in quo illud maximè respicit, quod eius animo infixum haerebat, vt Iudeorum, & aliarum gentium animos inter se acerbè diffidentes in vnam sentẽtiam redigeret, & concordi quadam amicitia, charitateq; coagmentaret. Sed primùm de Iudaeorum prolapsione, & casu quaerens, inquit. *DICO ERGO, NVNQVID SIC OFFENDERVNT, VT CADERENT?* Non est hoc loco de Iudaeis haec praetereunda dubitatio, an ex eorum caecitate, offensione, lapsione, praeter eorum miserum, & miserandum casum, ac ruinam, nihil sit praeterea subsecutum? nihil respexerit, ac designauerit bonitas diuina? Quod quidem, cùm inquit. *ABSIT*: quasi cum indignatione, & stomacho negandum, & execrandum esse docet: & summo id quidem iure. Nam Augustino teste, *Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum, cui summa potestas; cùm summè bonus sit, nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsq; adeo esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.*

Iudaeorũ casus.

Ench. cap. 2

Quod

Quod quidem in hac ipsa, qua de agimus Iudaeorum ruina, manifestum facit Paulus, ostendens quantum ex ea boni Deus excerpserit, dicens. *SED ILLORVM DELICTO SALVS EST GENTIBVS.* Ex Iudaeorum casu, mun- *Mundi sa-*
di totius salutem, Dei summa, & immensa bonitas oriri fecit; *lus ex Iu-*
dum ad alias omnes, toto terrarum orbe dispersas, nationes, *daeorum*
Euangelij nuncios misit; dum cadente populo, vocauit non *casu.*
populum; & recusantibus inuitatis venire ad nuptias, compu- *Os. 2.*
lit non inuitatos, vt implerentur nuptiae discumbentibus. *Matth. 22.*
Neq; verò hac tanta in vniuersum genus humanum benignitate contenta fuit diuina bonitas; sed Iudaeorum salutis non oblita, cùm prima non successisset, alia aggressus est via, de qua Paulus inquit, *VT AD AEMVLATIONEM EOS PROVOCARET.* Designauit Deus ad gentium fidem, & virtutem imitandam, Iudaeos ipsos, quibus nihil *Iudaeorũ*
esse potuit ingratius, prouocare. Qua de re Moysen vatici- *puocatio.*
natum fuisse declarauimus, cùm Deum induxit dicentem. *Cap. 10.*
Ego ad aemulationẽ vos adducam in non gente. Hic mihi quae- *Deu. 32.*
so vide admirabilem Dei bonitatem, & beneficentiam erga *Dei erga*
genus humanum. Corruunt Iudaei, alienas nationes vocat, *genus hu-*
quarum fide, & exemplo Iudaeos reuocat, sancta quadam *manum mi-*
aemulatione eos impellens, & vrgens, cùm viderent alienos *ra bonitas.*
accepisse, quae vnis ipsis promissa fuerant salutaria, & maxima beneficia. Hac autem, quae sequitur, ratione gentes Paulus hortatur, ne desinant Iudaeos ad fidem prouocare, eosq; quasi irritare, & lacessere. Inquit enim. *QVOD SI DELICTVM ILLORVM DIVITIAE SVNT MVNDI, ET DIMINVTIO EORVM DIVITIAE GENTIVM, QVANTO MAGIS PLENITVDO EORVM?* Si Iudaeorum casus, & infidelitas *Iudaei ad*
ditauit mundum, propterea quòd ea occasione, Euangelium, *salutem &*
veritas, & salus in omnes mundi nationes deriuarunt: si cre- *fidem à gẽ-*
dentium Iudaeorum paucitas locupletauit gentes, ad fidem, *tibus pro-*
& Ecclesiae aedificationem vocatas; quantò putamus fore *uocandi.*
mundum ex Iudaeorum credẽtium aucta multitudine diuitijs salutaribus opulentiorem? Etenim si ex Iudaeorum scelerata perfidia tantum diuitiarum ex toto orbe collegit Deus ad cõstruendam, & aedificandam sanctam Ecclesiam; quid futurũ putamus, si diuina benignitate Iudaeorum multi à nobis prouocati ad fidem accedant, & Euangelium amplectantur? Qua

ratio-

ratione & procurandam gentibus Iudaeorum salutem, & sancta quadam aemulatione ad fidem eos inuitandos significauit. Quod quidem & Paulus ipse, & Barnabas cùm ad Iudaeos

Act. 13. Antiochenos concionarentur, diligenter admodum mihi fecisse visi sunt, non minus verè, quàm constanter dicentes. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim praecepit nobis Dominus. Posui te in*

Esa. 40. *lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terrae.* Propterea hoc in officio se ipsum gentibus exemplum ad imitandum proponit: qui dum eis praedicaret Euangelium, Iudaeorum quoq; salutem procurare non omittebat. Inquit autem. *VOBIS ENIM DICO GENTIBVS.* Ad vos ô gentes locus hic, ad vos haec hortatio pertinet; vos meo exemplo moneo, & excito. *QVATENVS QVIDEM EGO SVM GENTIVM APOSTOLVS, MINISTERIVM MEVM ILLVSTRO, SI QVOMODO AD AEMVLANDVM PROVOCEM CARNEM MEAM, ET SALVOS FACIAM ALIQVOS*

Act. 9. & 13. *EX ILLIS.* Quod ago, non tanquam Iudaeus ago, sed tanquam vester Apostolus: quod vobis praecipio, primus ex-

Gal. 2. equor. Quid illud est? Hoc equidem officium, mihi à Deo traditum, fideliter, & gloriosè expleo; ac magnis orno laudibus: quod non in eo tantùm positum esse existimo, vt vobis Euangelium praedicem; sed in hoc quoque, in quo ego multum operae, studijq; pono, etiam si minus assequor, quod volo; vt dum vobis Euangelium praedico, Iudaeorum quoq; salutem non negligam; quinimmo experiar semper, ac tentē, an eorum aliquos aliqua valeam ratione, & via ad aemulationem vestrae fidei prouocare. Quo quidem facto testatam faciebat Paulus, & illustrem suam erga Iudaeos charitatem, ne quis, quòd aduersus eos tam acerbè, & asperè disceptaret, maleuolentiae tribueret, quod magno certè, & vehementi salutis eorum studio, & ardore faciebat: idq; non ex ea parte, qua Iudaeus, sed qua gentium Apostolus, cùm ad gentes maximè attineret Iudaeos ad fidem stimulare, & excitare.

Paulus iudaeos ad gentium aemulationē prouocabat.

Pauli erga Iudaeos charitas.

Rom. 2. 9. 10. Huc autem omnia pertinent, quae de vocatione & salute gētium passim disseruntur à Paulo. Huius autem officij excitandi Iudaeos ad aemulationem gentium, eam, quam mox attulerat rationem mutatis verbis replicat, & explanat apertiùs, dicens.

dicens. *SI ENIM AMISSIO EORVM RECONCILIATIO EST MVNDI.* Hoc illud est, quod suprà dixit. Si delictum illorum diuitiae sunt mundi. Declarat autem, diuitiarum nomine quid intellexerit: Reconciliationem nempe gratiae totius mundi cum Deo factam. *QVAE ASSVMPTIO, NISI VITA EX MORTVIS?* Dixerat de hoc. Quantò magis plenitudo eorum? plenitudinis vocabulo intellexisse ostendens Iudaeorum multorum ab infidelitate liberationem, ac per fidem in Dei gratiam restitutionem; quam similem facit mortuorum in vitam reuocationi; quae sine maximo gaudio, & ingenti laetitia, ac glorioso triumpho esse non potest. Quamobrem in ea parabola, quam de filij prodigi ad patrem reditu Christus opt. max. contexuit, perpulchrè fratris inuidentiam compescens dixit. *Epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.*

Diuitiae mundi.

Iudaeorũ plenitudo.

Luc. 15.

QVOD SI.

XTERNORVM gentium aduersus Iudaeos, quae iam per id temporis coeperat, & ad nostra vsque tempora perseuerat, grauem contentionem, & insolentem arrogantiam compescere cupiens, magna charitate incẽsus diuinus Apostolus, Iudaeorum genus sanctũ esse censendũ ostendit duplici similitudine: de quarum prima inquit. *QVOD SI DELIBATIO SANCTA EST, ET MASSA.* Frugum primitiae Deo consecrabantur; ex quibus quae fiebat placenta oleo cõspersa, tanquã sancta legitimo ritu offerebatur. Ex primitiarũ ergo sanctitate placenta tota sancta habebatur. De altera inquit. *ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI.* Ex quibus innuit atq; indicat, Iudaeorum genus sanctum esse reputandum, cuius radix, & primitiae sanctae fuerint; patres nempe à quibus erant procreati, qui Deo, quae pro humani generis salute facturus erat promittenti, atq; recipienti crediderant; atq; ea promissa per omnem vitam auidissimè expectauerant, quae eorum fides, patientia, & in morte consolatio ad iustitiam eos, & sanctitatem perduxerat: de quibus alio loco Paulus: *Iuxta fidem*, inquit, *defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus; sed à longe eas aspicientes, & credentes*

Iudaeorũ genus sanctum.

Exo. 29.

Iudaeorum radix, & primitiae.

Heb. 11.

tes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites essent super terram. Audiant ergo gentes docentem Paulum, non licere eis aduersus Iudaeos insolenter gloriari, quanquã eorum maxima pars à patrum fide defecerit, & à via salutis aberrauerit. Qua de re inquit. *QVOD SI ALIQVI EX RAMIS FRACTI SVNT, TV AVTEM CVM OLEASTER ESSES, INSERTVS ES IN ILLIS, ET SOCIVS RADICIS, ET PINGVEDINIS OLIVAE FACTVS ES, NOLI GLORIARI ADVERSVS RAMOS.* Si vos ò gentes illorum loco, qui tãquam à veteri sancta radice rami comminuti cecidère, insitae fuistis, & paucis illis, qui manserunt integri, adiunctae; si vos cùm steriles essetis, non secus ac syluestres, & inutiles arbores, frugiferae sanctorum patrum fidei participes factae estis, & sanctae Iudaeorum stirpi insitae, ac cum eorum doctrina, tanquam olea pinguissima, sociatae; non eam ob causam animo vos afferri oportet, & in defractos ramos illos insultare, quorum loco positae estis. Id nisi feceritis, quid sequatur attendite. *QVOD SI GLORIARIS NON TV RADICEM PORTAS, SED RADIX TE.* Quam obsecro gloriandi; quam de vobis ipsis magnificè sentiendi; quam Iudaeos superbius, & arrogantiùs deprimendi rationem habetis? omnes enim, quas fingere potestis, vno hoc verbo excluduntur, & concidunt. An vos estis qui radicem portatis? an non potius vos radice nitimini? Non sed Iudaei vestra, aut patrum vestrorum fide sustentant; sed vos potius, quae illorum promissa sunt patribus, fulciunt; ac sustinent: quae illi olim crediderunt, vos nunc creditis: quae illi diuinitus docti docuerunt, vos didicistis. Nihil ergo est, cur Iudaeorum genus vel despicere, vel prae vobis nullum esse existimare debeatis.

Gloriandũ non esse aduersum Iudaeos.

Gloriationis aduersus Iudaeos omnes exclusio.

DICES ERGO.

NIHIL hoc loco prius habuit Paulus, quàm omnibus modis agere, omnibus conari viribus, vt gentium, quarum erat Apostolus; & Iudaeorum, quorũ salutem paterni, materniq; sanguinis ratione vehementer optabat, ad mutuam concordiam, atque beneuolentiam imitaret, atque allactaret. Quam ob rem miris argumentis pergit gentium,

gentium, quas docebat, aduersus Iudaeos insolentiam coercere, & arrogantes sermones retundere: ac primum quid ad ea, quae iamdudum attulit, de sancta Iudaeorum stirpe, & confractis ramis gentes dicerent introducit, atq; inquit. *DICIS ERGO, FRACTI SVNT RAMI, VT EGO INSERAR.* Dicere vos audetis, fractos fuisse sanctae arboris ramos, vt eorũ vos loco insereremini. Licere vobis existimatis non in beatam, & pinguem oleae radicem, quae vos sustentant, sed in defractos ramos insolẽtius iactare, in quorum locum successeritis. Respondet autem. *BENE.* Probans equidem dictum. Nam illud idem paulò ante bis ipse affirmauerat; primùm quidem apertè, cùm diceret. *Illorum delicto salus est gentibus:* deinde per translationem, cùm dixit. *Aliqui ex ramis fracti sunt: tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis.* Verùm in hoc non esse eis persistendum; sed ad alia quaedam progrediendum, ex quibus agnoscerent ne aduersus amputatos quidem ramos licere insolentiùs gloriari, atq; superbire. Huc autem ea pertinent, quae sequuntur. *PROPTER INCREDVLITATEM FRACTI SVNT: TV AVTEM FIDE STAS.* Non illud tantùm cogitandùm vobis est, ramos illos comminutos esse, vos autem insitos; haec enim nuda, & simplex cogitatio superbiam parit; & insolentiam non ferendam: sed videnda, diligenterq; consideranda ratio est, quam ob rem & confracti illi, & vos insiti fueritis. Infidelitas quippe illos perdidit, atq; à patrum religione, & pietate abduxit: vos autem fides cum eorum patribus coagmentauit, & sanos hactenus atq; infractos tenuit. Haec autem ratio, qua corruerant Iudaei, gentes verò stabiles, ac firmae permanserant, facit, vt necessario monendae, & ad timorem adigẽdae essent: quam ob rem inquit. *NOLI ALTVM SAPERE, SED TIME.* Si infidelitate Iudaei concidère, vos autem gẽtes fide perstitistis; ne de vobis altè sentite; ne superbite; ne vos insolenter extollite: sed metu audaciam cohibete; timore animos deprimite: quantò superiores estis, tantò summissiùs vos gerite. Nam qui fide stat, non tam sua, quàm eius, in quam credidit virtute stat. Neque aliam ob causam in infidelitatem delapsi sunt Iudaei, nisi quia sua virtute, suis operibus stare arbitrarentur, quorum illa fortasse vox erat. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in aeternum.* Non ista autem modò timoris huius, ad

Gentiũ aduersus Iudaeos insolentia.

Iudaeos qd perdiderit, & gentes quid seruauerit.

Fide stare quid.

Psal. 29.

quem hortatur, est ratio; verùm & ea quoque, quae sequitur. *SI ENIM DEVS NATVRALIBVS RAMIS NON PEPERCIT, NE FORTE NEC TIBI PARCAT.* Si vestra vos virtute, & non fide stare existimetis, videte ne vobis, quemadmodum Iudaeis, à pia, & fideli sanctorum patrum stirpe profectis, accidat; qui à fide deficientes, à promissionibus quoque, quarum erant haeredes, diuino iudicio miserè ceciderunt: de quibus dixit Iesus. *Si nō venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit: Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Vt autem necessarium hunc, sanctum, & salutarem timorem, gentium, ad quas haec tota cohortatio pertinet, pectoribus insereret, duo spectanda, atq; ob oculos assiduè habenda constituit: bonitatem, & seueritatem Dei, dicens. *VIDE ERGO BONITATEM, ET SEVERITATEM DEI.* Vtramq; verò in speculo quasi quodam ostendit: seueritatem primùm, cùm inquit. *IN EOS QVIDEM, QVI CECIDERVNT, SEVERITATEM.* Magna profectò Dei seueritas in Iudaeorum maxima parte elucet: qui cùm à patrum fide discessissent, nihil eis profuit nomen Israel, nihil adoptio, nihil gloria, nihil testamenta, nihil lex, nihil cultus, nihil promissiones, nihil Christus totius mundi seruator opt. max. ex eorum patribus ortus secundum carnem, & Deus benedictus in secula. Ostendit deinde bonitatem dicens. *IN TE AVTEM BONITATEM.* Quae maior bonitas, quae vberior misericordia, quae plenior gratia, quàm homines nullo merito, nulla promissione, nulla vnius veri Dei notitia, nullo vero cultu fultos, in eorum locum, qui corruerant, collocasse? Verùm quid in Dei bonitate sit praecipuè spectādum, admonet, cùm addidit. *SI PERMANSERIS IN BONITATE: ALIOQVIN ET TV EXCIDERIS: SED ET ILLI, SI NON PERMANSERINT IN INCREDVLITATE, INSERENTVR.* Videndum vobis est gentibus, ne, tanta Dei erga vos audita bonitate, superbos vos, & arrogantes praebeatis; & tanquam nihil vobis immineat periculi, securi, omni abiecto timore agatis. Nam nisi in ea fide, in quam Dei bonitate peruenistis, immoti, & stabi-

Act. 2.

Ioan. 15.

Dei seueritas.

Suprà c. 9.

Dei bonitas.

Timēdum gentibus, et

ſtabiles perſeueraueritis, vos quoq; à ſancta patrum radice excidet Deus; illi autem ſi ab infidelitate, in quam delapſi ſunt, diſceſſerint, quae vna diuinae fuit ſeueritatis ratio, denuo cum antiqua eorum ſtirpe connectentur. Ne quis autem hoc fieri non poſſe putaret, addit. *POTENS EST ENIM DEVS ITERVM INSERERE ILLOS.* Quod quidem facili declarat, & expedita connexione, quae ſequitur. *NAM SI TV EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATVRAM INSERTVS ES IN BONAM OLIVAM; QVANTO MAGIS II, QVI SECVNDVM NATVRAM INSERENTVR SVAE OLIVAE?* Si vos ò gentes ex infidelibus originem parentibus ducentes, in patrum Iudaeorum religionem, & fidem relicto idolorum vano, & noxio cultu inducti eſtis, quod quidem praeter naturam factum videri poteſt; quomodo enim natura vnquam faciet, vt à parentum antiqua religione diſcedant filij, & aliorum à quibus non ſunt oriundi religionem amplectantur? longè certè factu procliuius putandum eſt, quod eſt ſecundum naturam: nempe vt Iudaeos Deus in parentum ſuorum fidem, & veram religionem, tanquam in antiquum, ac proprium domicilium reſtituat.

Iudaeis nō deſperandum.

NOLO ENIM.

VOD à Deo fieri, & facilè quidem poſſe oſtēdit, de Iudaeorum ad patrum religionem, & fidem reuocatione; id nunc tanquam arcanum quoddam diuinum, & vulgo ignotum omnino futurum manifeſtat: quo inſtat adhuc, & vrget, vt elatos, & inflatos aduerſus Iudaeos gentium animos compeſcat, atque contineat. Propterea inquit. *NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES MYSTERIVM HOC, VT NON SITIS VOBIS IPSIS SAPIENTES.* Hoc vobis gentes myſterium refero, ne effrenatae ſitis, vobiſq; praeſidentes; ne vos ipſos magnifaciatis, Iudaeos deſpicientes, ac ſi vobis vnis, illis omnibus excluſis, ſalus aeterna per fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deberetur. Audiamus autem hoc myſterium, quod cùm inſolentes gentium animos reprimat, cum eos cum Iudaeis conciliat. Nam de vtrorumq; ſa-

Iudaeorum & gētium ſalutis magnum myſterium.

sas nunc rationes, & eiusdem gentis homines referre docet, cū inquit. *SECVNDVM EVANGELIVM QVIDEM INIMICI PROPTER VOS.* Ratione quidem reiecti, & repudiati Euangelij nonnulli censendi sunt Israelitae inimici: & id quidem vobis gentes magnam ad salutē vtilitatem attulit: nam vobis, ab illis contemptum praedicatū est Euangelium: vobis illorū inimicitiae ad amicitiam, & salutem profuerunt. Hoc autem, vt sapienter admodum dixit Augustinus, *Ex Dei venit dispositione, qui benè vti nouit etiā malis, non vt ei prosint vasa irae; sed vt ipso illis benè vtente, prosint vasis misericordiae.* Quid autem est, quod sequitur; *SECVNDVM ELECTIONEM AVTEM CHARISSIMI PROPTER PATRES*; Nisi alios eorum amabiles fuisse, & Deo acceptos, earum rerum ratione, quas olim fidelissimis eorū patribus receperat, quorum respectu non tota Iudaeorū repulsa est natio? Hanc in vno Iudaeorum populo hominum differentiam suprà quoq; alijs verbis expressit, cùm diceret. *Quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus*: Quod quidem ad eos pertinet, quos nunc inimicos appellat. Electio autem consecuta est. Illorum haec est electio, quos charos esse ait propter patres. Sed diuina haec electio eiusq; munera, quorum primum, & praecipuum est vocatio, cuiusmodi sint, breui subiecta sententia indicat. *SINE POENITENTIA ENIM SVNT DONA, ET VOCATIO DEI.* Stabilia scilicet, & immutabilia, quorum Deum nunquam, poeniteat: in quibus numerāda sunt omnia, quae Iudaeorum promissa sunt patribus, illud praecipuè pactum, quod iandudum retulit. *Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat captiuitatem à Iacob.* De hac autem firma, & fixa Dei vocatione non omittenda Augustini sententia, qui haec, quae subscribam verba, de ea cùm ageret, scripsit. *Ad hanc vocationem, qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei: nec potest eorum quisquam dicere; credidi: vt sic vocarer. Praeuenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est, vt crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt, & didicerunt à Patre per Filium: qui euidentissimè dicit; Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia omne, quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quicquam. Quisquis ergo inde est, omnino non perit: nec erit inde, qui pereat. Propter*

Iudaei inimici, et cur.

De prae. San. cap. 16.

Iudaei charissimi, & cur.

Dona Dei.

De prae. San. cap. 16.

Dei vocatio.

Ioan. 6.

1. Io. 2. *quod dictum est. Ex nobis exierunt, sed non erunt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum.*

SICVT ENIM.

NIHIL vir sanctus praetermisit, quod ad comprimendas gentes, ne se supra Iudaeos extollerent, facere posse putauerit. In quo pari quoq; voluntate, & studio inter initia huius Epistolae erga Iudaeos laborauerat, ne se supra gentes, & nationes alias, quae in Christum Iesum crediderant, efferrent. Ex quo illa sunt. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur*. Item & illa. *An Iudaeorum Deus tantùm? nonne & gentium? Immo & gentium*. Hoc enim, si ab vtrisq; fieret, ad coniungendam inter eos beneuolentiae charitatē maximopere conducere videbat. Eamobrem ne se Iudaeis gentes vlla ratione anteponerent, rationem, & viam, qua ad salutem peruenerant, parem facit, ac similem rationi, & viae eius, quam praedixit futurae salutis Iudaeorum. Inquit autē. *SICVT ENIM ALIQVANDO, ET VOS NON CREDIDISTIS DEO, NVNC AVTEM MISERICORDIAM CONSECVTI ESTIS PROPTER INCREDVLITATEM ILLORVM.*

Cap. 2. Cap. 3.

Gentes ad salutē qua ratione, & via peruenerint.

Suprà c. 1. Duplicem gentium statum describit, quorum hoc loco priorem breuiùs attigit, & sola infidelitate notauit; alibi verò descripsit longiùs, multis ac maximis sceleribus, & flagitijs inquinatum: posteriorem autem ad Dei primùm misericordiā, Iudaeorum deinde infidelitatem retulit. Nam Iudaeorum duritatem, & incredibilem obstinationem, qua Euangelium reiecère, ad gentium salutem conuertit Deus: ad eas enim à Iudaeis repulsos Euangelij prædicatores allegauit: qua de re suprà dixit Paulus. *Illorum delicto salus est gentibus*. Item; *Illorum delictum diuitiae sunt mundi*. Complet autem similitudinem, dicens. *ITA ET ISTI NVNC NON CREDIDERVNT IN VESTRAM MISERICORDIAM, VT ET IPSI MISERICORDIAM CONSEQVANTVR.* Pari ratione Iudaei nunc infideles sunt, quemadmodum & vos antea fuistis, vt diuina vos misericordia fidem assequeremini, qua prouocati illi ad candē vo-

Iudæi ad salutē quo peruenīēt.

vobiscum Dei misericordiam, & fidem peruenirent: de quo etiam cùm dixisset suprà, *Illorum delicto salus est gentibus*; addidit, vt ad aemulandum eos prouocaret. Breuem autem accipe, sed pulcherrimam, & verissimam omnium, quae dicta sunt rationem. *CONCLVSIT ENIM DEVS OMNES IN INCREDVLITATEM, VT OMNIVM MISEREATVR.* Dei misericordia nullum hominum genus non eget: qui cùm omnes inuenisset infidelitatis laqueo irretitos, & ita inclusos, vt inde egredi non possent, omnium misertus est, ad omne hominum genus misericordiam porrexit suam; nullam reliquit suae misericordiae natione expertem: vt quemadmodũ alio loco dixit Paulus, *Omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo*. Haec illa est misericordia, de qua ad Galatas scripsit. *Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*

Dei misericordia in omnes.

Sup. cap. 3.

Gal. 3.

O ALTITVDO.

X omnibus, quae de sempiterna diuina electione disputata sunt, vltima praesertim hac sentẽtia. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem, vt omnium misereatur:* sexcenta poterant in hominum mentibus oriri dubia: quae vtinam nõ vltra, quàm satis erat, exorta, & multiplicata essent. Nam diuinam Pauli philosophiam, quae vna simplex, & aperta est, humanis altercationibus adeo discerptam, dilaceratam, & Heracliti, qui cognomẽto Σκοτεινὸς dictus est, philosophia obscuriorem non haberemus. Ex quibus, vt pauca quaedam ex multis exempli gratia, referam, illa sunt. Quid causae fuit, vt gentes impietati deditae, & idolis seruientes ad Euangelij gratiam vocatae, subitò accederent; Iudaei verò, quibus eadem gratia praecipuè promissa fuerat, ab ea tam miserè ceciderint? Cur maiores gentium à sancta ista, & salutari Dei misericordia vacui, tot annorum millia vitam duxerint, posteriores autem illis nihilo meliores, aut sanctiores ad eam absq; vllo merito peruenerint? Cur Iudaeorum, aut etiam gentium hi electi, & amici; illi reprobi, atq; inimici fuerint? A' quorum, & similium, quae infinita ferè esse possunt, dubiorum curiosa inquisitione; atq; ab ijs, quae eiusmodi quaestiones pariunt, concertationum plenis disputationibus, desistendum docet: admi-

Pauli philosophia vnde obscurior euaserit.

Dubia de diuina electione curiosa & superflua.

quaeritur, quod modum nostri sensus excesserit, & intellectus nostri non dignatur angustias: in illa iustitiae, misericordiae, praescientiaeq; diuinae plenitudine permanere inconcussa aequitate fateamur: ne de superioribus diuinae voluntatis arcanis aliter, quàm modus conditionis nostrae patitur, disputantes, Dei iustitiam relinquamus, & nostram statuere cupientes, in imam contumaciae voraginem decidamus. Haec Augustinus. Ad Paulum redeamus, qui sanctarum scripturarum testimonijs admirandam esse concludit arcanam Dei sapientiam, cuius nulla sit ratio indaganda: admirandam scientiam, quae nullis consilijs indigeat: admirandam misericordiam, quae humanum omne antecedit meritum. Inquit enim. *QVIS ENIM COGNOVIT MENTEM DOMINI? AVT QVIS CONSILIARIVS EIVS FVIT?* Primum ad Dei sapientiam pertinet: quae cùm sit hominibus ignota, nemo est, qui earum rerum, quas dispósuit, vllam possit reddere rationem: alterum ad scientiam; quae talis ac tanta est, vt ad ea, quae agere decreuit, nullis egeat instrui consilijs. Addidit autem. *AVT QVIS PRIOR DEDIT ILLI, ET RETRIBVETVR EI?* quod ad thesauros pertinet diuinae misericordiae: qua vsq; adeo abundans est, & locuples, vt nemo vnquam repertus fuerit, qui vt eam promereretur, prior illi aliquid obtulerit: cuius haec est, quae sequitur, ratio, quam nunquam ex memoria deponere, & in omnibus de rebus diuinis sermonibus, ac disputationibus ob oculos habere oportet. *QVONIAM EX IPSO, ET PER IPSVM, ET IN IPSVM SVNT OMNIA: IPSI HONOR, ET GLORIA IN SECVLA SECVLORVM.* Bonorum omnium principium, medium, & finis Deus est. Quid ergo est, quod illi donari à nobis possit, ab eo non acceptum? Ex quo fit vt bonarum omnium rerum ad ipsum tanquam ad auctorem, conseruatorem, & finem, omnis gloria deferêda sit. Quod tum praecipuè facimus, cùm iudiciorum eius, nullam, praeter eius sanctissimam, & iustissimam voluntatem, vestigamus, aut scrutamur rationem; quemadmodum sanctus ille Hebraeorum rex, & vates faciebat, cùm ad lyram caneret. *Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa.* Quò versiculo monemur, Dei iudicia vera esse, & iusta, ea potissimum ratione, quòd Dei sunt, & à Deo proficiscuntur, & in seipsis quanquam à nobis non cernatur, om-

Dei sapientia, sciëtia, misericordia admiranda.

Isa. 40.

Dei sapientia.

Dei sciëtia.

Iob. 41.

Dei misericordia.

Deus omnium principium.

Medium.

Finis.

Psal. 18.

nostram libertatem, & securitatem (quòd faciendo, quantum in nobis est, non deerit gratia saluans) cum aeternitate, & immutabilitate diuinae electionis; quae habet, quòd soli electi saluentur. Et similiter descendendo ab aeterna, immutabili, & efficaci diuina electione, deficit gradus coniungens cum his nostris libertatibus, & securitatibus. Et propterea non est mirum, si non quietamus intellectus quaerentium, & inducentium inconuenientia, scilicet; Faciat quisq; quod vult, tandem implebitur electio, & similia horrenda. Quocirca ad curiositatem dico illa esse vera ex parte diuinae electionis, seu reprobationis: sed non esse vera sola, sed associata alijs veritatibus ex parte nostri, scilicet, quòd sumus liberi arbitrij; quòd faciendo, quod ex nobis est, erimus per diuinam gratiã salui; & quòd nostris meritis saluamur, aut dãnamur nos adulti. Et cùm obijcies, Coniunge haec verba simul; Respondebo, me scire, quòd verum vero non est contrarium; sed nescire haec iungere: sicut nescio mysterium trinitatis; sicut nescio animam immortalẽ; sicut nescio Verbum caro factum est; & similia: quae tamen omnia credo. Et sicut credo reliqua fidei mysteria, ita credo & haec mysteria praedestinationis, & reprobationis. Meùm est tenere, quod mihi certum est; scilicet vti libero arbitrio, & reliquis bonis mihi à Deo concessis omni studio ad consequendam vitam aeternam; & expectare, vt videam in patria mysterium diuinae electionis, mihi modò ignotum, sicut & reliqua fidei mysteria. Haec ignorantia quietat intellectum meum. Caietanus haec sapienter quidem, & suo more acutè, argutè, cautè. Ego autem si in perdifficili hac, & perobscura quaestione sentẽtiam interposuero meam, nolim neq; arrogans existimari, neq; ὑπερφρονεῖν. Nam & haec, & quae scripsi, omnia, deniq; meipsum totum non modò sanctae catholicae Ecclesiae diuinae auctoritati, & iudicio subijcio; verùm etiã nemini vnquam vel mediocriter in hac Christiana philosophia erudito, aliter, atq; ego sentienti, pertinaciter repugnare in animo habeo, modò à regulis fidei, & sanctorum patrum decretis non discedat. Dico itaq; diuinam, sempiternam, certam, & quae falli minimè possit, electionem cum humanae naturae libertate, & securitate in naturae ipsius viribus posita coniungi nec posse, nec debere; neq; etiam vllum extare vinculum, quo diuina illa cum humanis istis coagmentari valeant: itaq; mirum non esse, vinculum hoc, quod nusquam est, virum doctissimũ cuius erãt mentis oculi acres, & acuti, non vidisse: quod quidem ipse ingenuè confessus est.

quod in se est, quomodo saluatur

Vinculum diuinae electionis cũ libero hominis arbitrio ignotum.

Intellectus in hac quaestione cur non quiescit.

De quaestione quid dicendum.

Ignorãtiae humilis cõfessio.

Auctoris de Caietani sentẽtia iudicium.

Electio diuina cum naturæ humanae libertate nullum habet vinculum.

Quamobrem ne post hanc quidem vitam in illa sempiternae felicitatis clarissima luce, quod non extare diximus vinculũ istud conspicietur, quemadmodum, quae nunc credimus Sanctissimae Trinitatis, & Incarnationis occulta mysteria, absq; vllis inuolucris aperta beatis mentibus apparebunt. Verùm intelligendum est meliorẽ quandam, & diuiniorem esse libertatem cum sempiterna diuina electione copulandam. Ea est, quã Dei gratia, qui primus est diuinae electionis effectus, clargitur: qua electi à Deo sancti homines liberantur, non ab omnibus quidem, dũ mortalem hanc vitam viuunt, malis; sed ab his, quae eos ad miseriam, & damnationem perpetuam ducere possunt: qua etiam liberi, & voluntarij diuinis mandatis obtẽperant; atq; ad diuinam legem suam omnem vitã, & mores instituunt. Et de hac quidem exoptanda Christianis omnibus libertate dixit Christus. *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* dixit Paulus. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*: quae diuinae praedestinationi tãtum abest, vt repugnet; vt ab ea proficiscatur, & tanquam à clarissima luce, splendor emanet. Illa verò, quam philosophi praedicant, magnifaciunt, & iactant, ad bonum, & omne malum libertas, naturae est, & periculosa, nullũ habens cum immutabili, & aeterna praedestinatione cõmercium. Nostra autem haec secura est; qua freti, & nixi sancti viri dicunt; *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meũ.* Illa à vitae aeternae meritis longissimè abest. Haec meritorũ est omniũ verissima ratio, siquidem à Domini nostri Iesu Christi gratia manat, quae (vt Paulus ait) ipsa est vita aeterna. Illa à diuina, & sanctorum Angelorũ est libertate remotissima, qui benè quidem semper, malè autem faciunt nũquam. Haec autẽ proxima, nam qui hac potiũtur dum mortalem vitam viuunt electi, ad Angelorum libertatem post mortem perueniunt, vt quemadmodũ in alijs nonnullis rebus, ita & in hac dici possit. *Erunt homines, sicut Angeli Dei in coelo.* Illa libertas est à iustitia, & seruitus peccati. Haec libertas est à peccato, & seruitus iustitiae. Illa (vt Augustinus inquit) non libertas est, sed cõtumacia. De hac quid senserit, suis ipsum loquentem verbis audiamus. Inquit enim. *Adae sine peccato vllo data est, cum qua cõditus est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato. Sanctorum verò cùm fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit. Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, vt quamuis quandiu hic viuunt,*

Electorũ vera libertas cum diuina electione coniuncta.

Io. 8.

2. Cor: 3.

Libertas differens Naturae et Gratiae.

Ps. 26.

Rom. 6.

Matth. 22.

Aug. De gratia & lib. arb. cap. 15.

Epist. 89.

Adae voluntas libera.

De corr. & gratia c. 12

viuunt, pugnent contra concupiscentias peccatorũ, eisq; nonnulla surrepant, propter quae dicunt quotidie: Dimitte nobis debita nostra: non tũ vltra seruiant peccato, quod est ad mortẽ, de quo dicit Ioan. Apostolus; Est peccatum ad mortem, nõ pro illo dico, vt roget quis. De quo peccato quoniam non expressum est, possunt multa, & diuersa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem, quae per dilectionem operatur, deserere vsq; ad mortem. Huic peccato vltra non seruiunt, non prima conditione, sicut primus Adã liberi, sed per secũdum Adam Dei gratia liberati, & ista liberatione habentes liberum arbitrium, quo seruiunt Deo, non quo captiuētur à Diabolo: Liberati n. à peccato serui facti sunt iustitiae: in qua stabũt vsq; in finem, donante sibi illo perseuerantiã, qui eos praesciuit. et praedestinauit, & secundum propositũ vocauit, & iustificauit, & glorificauit; quoniam illa, quae his promisit, etiam futura iã fecit. Sãctorum volũtas liberata. Ioan. 8. 1 Io. 15. Rom. 6. & 8. Isa. 45.

Qui hac verae, & sincerae pietatis doctrina ab ineunte aetate se non imbuerint, in magnis per omnem vitam periculis versantur; ne naturae viribus plus quam tribuendum est tribuant; ne naturam sequantur, qua duce de salutis via longius aberrent; ne ignorantes Dei iustitiam, ac suum quaerẽtes statuere, iustitiae Dei obedientiam deserant. Nam quod Caietanus dixit maiorum suorum documenta secutus, eum, qui fecerit, quod in se est, ad salutem aeternam adipiscendam, per diuinam gratiam saluum fore; verùm quidem est; sed ita accipiẽdum, vt diuinam gratiam antecedere naturam, non subsequi, intelligamus. *Intelligenda est enim* (vt Augustinus inquit) *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus siue cogitando, siue volendo, & amando: siue agendo, faciunt bonum; non solùm vt monstrante ipsa, quid faciendum sit, sciant; verùm etiam vt praestante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt.* Natura autem humana seclusa Dei gratia deploranda est, non laudãda: reprimenda, non extollenda: castiganda, non adulatione, & blanditijs nutrienda: quod Paulinus Sanctus Episcopus faciebat; cuius haec verba magna cum admiratione, & laude recitauit Augustinus. *Pauper ego, & dolens, qui adhuc terrenae imaginis squallore concretus sum, & plus de primo, quàm de secundo Adam carnis sensibus, & terrenis actibus refero. Quomodo tibi audebo me pingere, cum caelestis imaginis infitiator prober corruptione terrena? Vtrinq; me concludit pudor. Erubesco pingere, quod sum: non audeo pingere, quod non sum. Odi quod sum, & quod amo non sum. Sed quid misero mihi proderit* Rom. 10. Facere qđ in se est quo modo accipiendum. De corr. & gratia. cap. 2. Naturae humana deploratio. Epist. 8. ad Seuerum. epist. 106.

derit odisse iniquitatem, & amare virtutem, cùm id potius agã, quod odi; nec elaborem piger id potius agere, quod amo? Ipse discors, & intestino bello distrahor, dum spiritus aduersus carnẽ, caro aduersus spiritum dimicat: & lex corporis, lege peccati, legẽ mentis impugnat. Infelix ego, qui in me venenatũ dominicae arboris gustum, nec crucis ligno digessi. Durat.n. mihi illud per Adã virus paternũ, quo vniuersitatem generis sui pater praeuaricatus infecit. Facessant ergo, qui quaestionibus delectantur, curiosis dicam, an perniciosis? an potius pestiferis? Hoĩes animales; & ea, quae sunt spũs Dei non percipientes; τὰ ἀδύνατα

1.Cor. 2. importunè flagitantes, vt aegrã, sauciam, miseram naturam humanam cum diuina electione copulemus. Defendant ipsi, si possunt, quod in philosophia didicerunt, liberũ ad bonum, & ad malum voluntatis arbitrium. Nos verò, Augustino duce, non natura liberum, sed Dei, & D. N. Iesu Christi gratia liberatũ tueamur arbitrium. Inquit.n. Pietatis Magister Optimus. *Qui non pertinent ad praedestinatorũ numerũ, quos Dei gratia, siue nondũ habentes vllum liberũ suae voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis ideo verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum: Hi ergo, qui non pertinent ad istũ certissimum, & felicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur. Aut enim iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo haereditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, arbitrium inquam liberum, sed non liberatum: liberum iustitiae, peccati autem seruum: quo voluntur per diuersas noxias cupiditates, alij magis, alij minus, sed omnes mali, & pro ipsa diuersitate diuersis supplicijs iudicandi: aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseuerant; deserunt, & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseuerantiae dono, iudicio Dei iusto, & occulto.* Qua etiam de re cum Pelagianis disputans, quid catholicis sentiendum esset, breui subiecta sententia declarauit: *Peccato Adae*, inquiens, *arbitrium liberum de hominum natura perijsse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis Diabolo; ad benè autem, pieq; viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Quam ob rem probè admodum Valentinum, eiusq; monachos monuit, ne liberum arbitrium sic defenderet, vt ei bona opera sine Dei gratia tribuerent: nec gratiã, vt de illa quasi securi, mala opera diligerent.

Lib.arb. defendendum quod.

De gratia, & lib. arb. cap 13.

Praedestinatorum gratia.

Reprobatorum iusta damnatio.

Mar. 4.

Con.du.ep. Pel.lib. 2. cap. 5.

Lib.arb.an perierit.

Epist. 47.

Lib.arb & gratia. quõ defendenda.

OBSE-

OBSECRO.

E gratia Dei, quam per Dominum nostrum Iesum Christum genus accepit humanum, hactenus magnus disputauit Apostolus. Ea est tanquam vis quaedam occulta, & interior forma, qua reuera Christiani sumus, & vitam, quae à Dei spiritu proficiscitur, ducimus. De moribus nunc, quibus & versari inter se Christianos homines decet; & vis illa interior foras eminet, vt qui verè, non simulatè Christiani sunt dijudicari possint, tractare incipit. Adhortatur autem omnes, & ad rectè, pieq; viuendum excitat: quia tametsi ex sola Dei voluntate, & liberalitate diuina in nos gratia manet; in rectis nihilominus, & honestis moribus, & actionibus, vna cum diuina gratia agere nos quoque, & operari oportet. Qua de re Augustini ab omnibus sapientissima, verissimaq; sententia illa probatur: Ad nos pertinet conari bona, quae Deus velle donauit. Sed Paulum audiamus. *OBSECRO ITAQVE VOS FRATRES PER MISERATIONES DEI.* Non praecepit, sed orat; non minatur, sed hortatur; nō suam potestatem, sed Dei misericordiam, & benignitatem ostentat: cuius quidem eximia illa, & praeclara enarrauit argumēta, quòd cùm inimici essemus, reconciliati fuerimus per mortem Filij eius; quòd in sanguine ipsius iustificati; quòd in filios, & haeredes adoptati; quòd praesciti, praedestinati, vocati, iustificati, glorificati simus. Per haec itaque, & id genus reliqua, quae magnam in animis nostris mouendi vim obtinere debent, de ijs, quae sequuntur, orat, & obtestatur. *VT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA HOSTIAM VIVENTEM, SANCTAM, DEO PLACENTEM.* Primùm est proprij corporis sacrificium: quod quidē Deo tunc offerimus, cùm vires nostras omnes, & quaecunq; siue agimus bona, siue toleramus aduersa, ad Dei gloriam referimus; cùm etiam eius membra, arma iustitiae Deo exhibemus, tanquam ex mortuis viuentes. Est autem hoc sacrificium viuum, cùm non fiat brutorum animantium interemptione, sed viuentis hominis fide, sanctis operibus, laboribus, patientia. Est etiam sanctum: non enim offertur pro peccatorum obtinenda venia, mundicia, sanctitate, cum à

iam

CAPVT XII.

Gratia.

Mores.

Miseratio-nes Dei.

Rom. 5. & 6.

Rom. 8.

Sacrificiū.

Rom. 6.

Sacrificia pro peccatis.

Leu. 4.

1.Cor.6. Prou.15. Isa.1.

iã sanctis offeratur & iustis, & ablutis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & spiritu Dei. Deo quoq; placitum est, non enim est, sicut donum impiorum, quod non probat altissimus; neq; sicut illorum incensum, quod erat abominatio, neq; sicut illorum victimae, quae Deo displicebant. Piorum enim est hominum, & ad iustitiam fidei, diuina gratia prouectorũ. Addidit autem. *RATIONABILE OBSEQVIVM VESTRVM*. Quia sacrum hoc, non belluarum caesis hostijs, sed hominis mente, & ratione praediti; moribus honestis; actibus rectis; moderatione in prosperis; tolerantia in aduersis; integritate; continentia; modestia; temperantia, caeterisq; id genus virtutibus, quas humana quoq; ratio maximè probat, conficitur, λογικὴν λατρείαν appellauit. Hoc illud esse reor, quod in sanctis, & arcanis literis sacrificium dicitur iustitiae, sacrificium laudis, sacrificium spiritus contribulati, cordisq; contriti, & humiliati, sacrificium beneficentiae, & communionis. Sed ne pestifero haereticorum errore decipi quisquam possit, ita hoc amplectatur sacrificium, quod singulorum est priuatum, atq; ab omnibus vbique, & semper Christianis hominibus fieri debet; vt quotidianum illud, quod ad Ecclesiam vniuersè pertinet, cuius gratia sacerdotes, ministros, templa, aras, vestes, & vasa habemus; quodq; in mortis suae memoriam fieri Christus ipse mandauit, minimè respuat; verùm augustè, & sanctè veneretur. At verò cum sanctum hoc, & singulare Ecclesiae sacrificiũ clandestinis hoc tempore consilijs oppugnetur, Augustini de omnibus Christianorum sacrificijs sententiam aliquot opusculorum eius scriptis locis patefacere constitui, vt homines pij, catholicae Ecclesiae filij, cùm de sacrificijs agitur, ducem habeant, quem sequantur, praestantissimum. *Sacrificium*, inquit, *est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finẽ boni, quo veraciter beati esse possimus. Vnde & ipsa misericordia, qua homini subuenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Et si enim ab homine fit, vel offertur, sacrificium res diuina est, ita vt hoc quoque vocabulo id latini veteres appellauerint. Vnde ipse homo, Dei nomini consecratus, & Deo deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisq; in seipsum facit: propterea scriptum est, Miserere animae tuae placens Deo. Corpus etiam nostrum* cum

Psal. 4.49. 50. Heb. 13. *Sacrificiũ duplex priuatum, publicum.*

Aug. de omnibus Christianorum sacrificijs. De ciu. lib. 10. cap. 6. Opus omnẽ et misericordia quando sacrificiũ. Sacrificiũ res diuina. Homo quã sacrificiũ. Corpus hu-

cùm per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, vt non exhibeamus membra nostra, arma iniquitatis peccato; sed arma iustitiae Deo; sacrificiũ est. Ad quod exhortans Apostolus, ait. Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento vtitur anima, cum eius bonus, & rectus vsus ad Deum refertur, sacrificium est: quantò magis anima ipsa, cùm se refert ad Deum, vt igne amoris eius accensa, formam concupiscentiae secularis amittat, eiq; tanquam incommutabili formae subdita reformetur, hinc ei placens, quòd ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium? Cùm igitur vera sacrificia opera sint misericordiae, siue in nos ipsos, siue in proximos, quae referuntur ad Deum: opera verò misericordiae non ob aliud fiant, nisi vt à miseria liberemur, ac per hoc vt beati simus; quod non fit nisi à bono illo, de quo dictum est, Mihi autem adhaerere Deo bonum est: profectò efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est congregatio, societasq; Sanctorum, vniuersale sacrificium offeratur à Deo per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, vt tanti capitis corpus essemus secundum formã serui: Hanc enim obtulit, in hac oblatus est: qua secundum hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Hoc est sacrificium Christianorum, quod etiam in sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, vbi ei demonstratur, quòd in ea oblatione, quam offert, ipsa offeratur. De sacrificijs Christianorum Augustinus haec: de quorum vltimo, quod in sacramẽto altaris est, cuius gratia haec est instituta digressio, quid dixerit attendamus. *Verus* (inquit) *ille mediator inquantum formam serui accipiens mediator factus est Dei, & hominum homo Christus Iesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia, variaq; signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res*

manũ quãdo sacrificium.
Eccl. 30.
Rom. 6.
Rom. 12.
Anima humana quãdo sacrificium.
Paulo post.
Psal. 72.
Ecclesia quando sacrificium.
Christus in forma serui mediator sacerdos, sacrificiũ.
Nõ multo post.
Sacrificiũ altaris.
Lib. eodem cap. 20.
Sacrificiũ Ecclesiae.
Christus offertur per ecclesiã, & ecclesia, per

Christũ: inprima oblatione intellige corpus Christi verum; in secunda mysticum.
Lib. 22. cap. 10.
De hoc vide lib. 8. cap. 27.

una diceretur; vt sine fastidio multum commẽdaretur. Huic summo, veroq; sacrificio cũcta sacrificia falsa cesserũt. De huius quoq; sacrificij tẽplis, aris, sacerdotibus, hostia alibi sic scripsit. *Nos martyribus nostris, nõ tẽpla sicut Dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorũ apud Deũ viuunt spiritus fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus; sed vni Deo, & m[a]rtyrum, & nostro, sacrificium immolamus; ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat inuocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.* Omittamus hoc loco de precibus, adoratione, defunctorum commemoratione, & alijs quibusdam rebus, quae ex sanctorum Apostolorum, ac Pontif. Max. doctrina nostro huic adhibentur sacrificio, de quibus multa in nostris de Epistola ad Galatas quaestionibus, atque etiam collectaneis, diximus. Ad Pauli nunc admonitiones reuertamur.

Corpus Christi verũ sacrificium est, Martyres aũt corpus sunt Christi mysticũ.
Quaest. 65.

ET NOLITE.

2.

Cõformari huic seculo quid.
1. Io. 2.

ALTERA haec est cohortatio, atq; obsecratio, ne quod ad actiones, ad appetitiones, ad vitam, ad mores attinet, ad hunc mundum conformemur; de quo inquit. *ET NOLITE CONFORMARI HVIC SECVLO.* Ne amore, desiderio, delectatione rerum huius mundi nos duci sinamus: ne eius illecebris, delicijs, voluptatibus capiamur. *Nam* (vt Ioannes inquit) *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitae:* qui etiam hoc Pauli praeceptum planiùs expressisse mihi videtur, cùm dixit. *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. SED TRANSFORMEMINI RENOVATIONE MENTIS VESTRAE.* Non eos nos esse ostendamus, qui antea fuimus, mundo deditos, vitijs addictos, cupiditate impeditos: sed ab illis longè mutatos, & in aliam formam conuersos; ita tamen vt externa haec permutatio ex renouata iam, & instaurata diuina gratia mente proficiscatur: ne eos imitemur, qui externa mutatione contenti, mentis redintegrationem vel

3.
Transformatio exterior ex interiore.

non agnoſcunt, vel negligunt. Sed videamus, quid nobis ex hac, quam praecepit immutatione, à mẽtis renouatione profluentem, polliceatur. Inquit enim. *VT PROBETIS, QVAE SIT VOLVNTAS DEI, BONA, BENEPLACENS, ET PERFECTA.* Experimento cognoſcetis (inquit) quam habeat erga vos Deus voluntatem; nempe bonam; cuius eſt veriſsima ſignificatio, interior mentium veſtrarum renouatio: placatam & tranquillam, cùm veſtra accepta habeat, & grata ſacrificia, mentis renouatae ratione: perfectam, propterea quòd ad gloriae vos ſuae, & ſempiternae vitae perfectionem, abſolutionemque, & malorum omnium finem vos traducere decreuerit.

DICO ENIM.

TERTIVM hoc, quod praecipit, primum eſt, quod agere oportet eos, qui mentem inſtauratam, & Dei voluntatem cognitam habent: quod cùm latiſsimè pateat, & omnes tangat Chriſtianos homines, nullo habito neq; opum, neq; dignitatum diſcrimine, inquit. *DICO ENIM PER GRATIAM, QVAE DATA EST MIHI, OMNIBVS, QVI SVNT INTER VOS.* Omnes promiſcuè, & communiter adhortor; non mea cogitatione, cõſilio, poteſtate, motus; ſed ea, quam à Deo accepi, docendi, monendi, praecipiendi gratia. *NON PLVS SAPERE, QVAM OPORTET SAPERE, SED SAPERE AD SOBRIETATEM.* Ne ſupra modum de vobis ſentite; ne vos inſolenter efferte; ne vobis quicquam praeter decorum aſſumite, & arrogate; ſed modeſtè, & temperatè de vobis ipſis, & veſtra virtute cogitate; neq; plus omnino, quàm deceat, vobis aſſumite. Explanat autem, quantum ſibi quiſq; tribuere iure poſsit, cùm addit. *ET VNICVIQ; SICVT DEVS DIVISIT MENSVRAM FIDEI.* Tanti ſe quiſque aeſtimare poteſt, quanti eſt portio fidei, quã à Deo accepit: & ea tantùm ſibi quiſq; polliceri, & vendicare poteſt, ad quae ſua ſe porrigit fides. Pro quo animaduertendum varia à Deo donare hominibus munera, ſed omnia ad menſuram fidei; quae (vt Auguſtinus inquit) prima datur, ex qua impetreatur caetera. Multi autem ſunt, qui ad docendum

Modeſtè de ſeipſo ſentiendũ.

De praed. San. cap. 7.

Dei dona omnia ad mensuram fidei.

alios, idoneos se esse putant, non fidem metientes, qua credãt, & confidant docendi gratiam à Deo impetrare posse, sed assiduos labores, longas vigilias, magnum tempus, quod sanctarum literarum studio tribuerunt. Aspirant alij ad magistratus, remq; publicam gerendam, non pro modo fidei, sed humanae prudentiae, qua abundare sibi videntur. Ad publicas alij, & sacrosanctas quoq; dignitates, ac varios gradus honoris, pro vel nobilitatis, vel diuitiarum, vel humani fauoris mensura. Quos omnes, & eorum similes Paulus redarguens, omnibus mandat, de seipsis modestè vt sentiant: cuius quidem modestiae terminum quasi quendam constituit, fidei mensuram; vt tantum sibi quisq; assumat, quantum à Deo impetrare posse confidit.

SICVT ENIM.

HANC diuinorum munerum ad mensuram fidei partitionem pulcherrima declarat, & aptissima similitudine, vt de se nemo supra id, quod à Deo accepit, in sancta societate munus sentire auderet; nemo alterius officium vsurpare; nemo sibi, quod ad alterum pertineret, assumere: verùm singuli, quod à Deo accepissent proprium, ac peculiare munus, & summissè agnoscerent, & modestè, ac fideliter exercerent, in alienos fines non inuadentes. In hoc enim maximè consistit vera, sancta, & Christiana pax, quae omnem fugat aemulationem; omnem pellit contentionem; omnem extinguit discordiam. Hac salubri medicina non Romanorum modò, verùm etiam Corinthiorum orientes rixas curare conatus est optimus hic animi morborum, ac nobilissimus medicus. Sed quid hoc loco dicat, audiamus. *SICVT ENIM IN VNO CORPORE MVLTA MEMBRA HABEMVS, OMNIA AVTEM MEMBRA NON EVNDEM ACTVM HABENT: ITA MVLTI VNVM CORPVS SVMVS IN CHRISTO, SINGVLI AVTEM ALTER ALTERIVS MEMBRA: HABENTES TAMEN DONATIONES SECVNDVM GRATIAM, QVAE DATA EST NOBIS, DIFFERENTES.* In vno naturali, & humano corpore oculos habemus, aures, manus, & reliquas id

Pax Christiana.

1. Cor. 12.

Corpus humanum.

genus multas particulas, quarum non eadem vis, non eadem est opera: nam neque videndi vim aures habent, neq; audiendi oculi: quodlibet enim humani corporis membrum suam peculiarem vim habet, & operam. Simili ratione Christiani quicunq; sumus, tanquam vnum corpus sumus, sub vno capite Christo, ita vt ad Christum omnes, tanquam ad caput mẽbra, inter nos autem, tanquam vnum vnius, & eiusdem corporis membrum ad aliud comparemur. Sed quemadmodum corporis humani varia membra varias habent natura vires; videndi oculi; audiendi aures; & reliqua eodem modo: simili quoq; ratione & nos, non eadem omnes, sed quisq; suum diuina gratia donum accepit, secundum fidei, quod paulò ante dixit, & hic intelligendum est, rationem, & modum; quam ipse quoq; donat, & partitur Deus. Persequitur autem, atque enumerat haec varia dona, quae pro fidei mensura largitur, ac diuidit Deus; vt vnusquisq; in eius doni recto vsu, tanquam intra cancellos, quos ei Deus circundederit, sese contineat, extra quos ad alia diuina munera alijs tributa egredi non audeat. Ita fiet, vt de se quisq; moderatè sentiat, nec plus quam deceat, sibi assumat: in quo (vt diximus) pax mutua consistit, & charitas. Inquit autem. *SIVE PROPHETIAM, SECVNDVM RATIONEM FIDEI.* Qui Prophetiae donum accepit, sat habeat, quae vel futura praenunciat; vel obscura illustrat, ad rectam fidem accommodare, vt ei respondeant, & ab ea non discrepent. *SIVE MINISTERIVM, IN ADMINISTRATIONE.* Qui salutis aliorum administer in Ecclesia à Deo positus est, in alienae salutis procuratione sit totus, eoq; contentus munere ad ea, quae sunt aliorum se minimè applicet. Sunt autem, quae sequuntur procurandae, & administrãdae alienae salutis partes quinque, quarum quaelibet suum priuatum habet officium: de quibus inquit. *SIVE QVI DOCET, IN DOCTRINA.* De rebus diuinis docere quicunque alios, atq; erudire potest, doceat; & eorum quae vera, quae falsa, quae recta, quae praua sunt, disciplinã tradat. *SIVE QVI EXHORTATVR, IN EXHORTATIONE.* Diuinae gratiae munere ad ea, quae vera, & recta sunt, qui hortãdi caeteros facultatem adeptum se esse intelligit, hoc agat, atq; à contrarijs dehortetur. *QVI TRIBVIT, IN SIMPLICITATE.* Qui suas egentibus opes largiendi, siue imper-

Corpus mysticum.

V. *Prophetae.*

Ministri.

Doctores.

Hortatores.

Liberales.

impertiendi voluntatem à Deo accepit, candido id quidem & simplici agat animo, ab omni humanae laudis, remunerationis, vicissitudinis cupiditate alieno, vt beneficium sit non foeneratio. *QVI PRAEEST, IN SOLICITVDINE.* Diligentia singulari, & ardenti studio aliorum salutem procuret, qui alijs praesidet, vt non sibi, sed illis, quibus imperat, natus videatur. *QVI MISERETVR, IN HILARITATE.* Diuino munere, in alios qui mitis est, & misericors, afflictis, atq; oppressis succurrat, opemq; ferat: idq; faciat nō ex tristitia, aut necessitate (vt alio loco Paulus monuit) sed hilari, prompto, laetoq; animo. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Haec igitur officiorum in Ecclesia diuina distributio, rectusq; vsus, praeter id, quod ordinem, dignitatem, decus habet, & singulos in eo, quod proprium cuiusq; est, officio cōtinet, reprimitq; ne de se plusquam decet, quisq; sentiat; concordiam alit, mutuamq; beneuolentiam. Quam ob rem eadem humani corporis comparatione vtens, gradus, atq; officia in Ecclesia alio quodam loco distinxit Paulus: & eos redarguit, qui in suis non insistentes, aliorum munera vsurpabant: quod pessimum erat discordiarum semen: inquit autem. *Vos estis corpus Christi, & membra ex parte. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos; secundò Prophetas, tertiò Doctores; deinde virtutes; exinde gratias curationum; opitulationes; gubernationes; genera linguarum; interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetae? nunqid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur.*

Praesides. *Benigni.* *2. Cor. 9.* *Graduū, et officiorum in Ecclesia distributio.* *1. Cor. 12.*

DILECTIO.

CHRISTIANOS omnes, tanquam vnius humani corporis membra, esse, & varia à Deo dona pro fidei mensura habere accepimus; ex quibus varia sortiantur officia, varias actiones, neminem autem alterius officium, aut actionē vsurpare debere: quod quidem est, de se modestè sentire, & intra fines muneris, quod à Deo quisq; accepit, se continere. Quae verò communiter Christianis omnibus, quatenus vnius sunt corporis membra, conueniant, nunc enumerat; atq; ab

eo

eo incipit, quod summum est, & in quo esse videantur omnia: de quo inquit. *DILECTIO SINE SIMVLATIONE.* Vt se mutuò Christiani homines, & verè diligant, non fictè, & fallaciter. *ODIENTES MALVM, ADHAERENTES BONO.* Hoc inprimis requirit vera, & syncera charitas, vt ab eorum, quos diligimus, prauitate, vitio, & omni turpitudine simus abhorrentes, & eorum virtutes, benefacta, honestatem arctè complectamur. In ijs posita est nō simulata diligendi ratio, quae & in humani corporis partibus suo modo apparet, quarum vna alterius malum molestè accipit, bonum autem carum habet, amplectitur, diligit. *CHARITATE FRATERNA INVICEM DILIGENTES.* Non sufficit non simulatus amor, sed fraternum eum esse oportet, adeo scilicet magnum, ac vehementem, vt inter fratres germanos esse decet. *HONORE INVICEM PRAEVENIENTES.* Facile id quidem est ei, qui verè, & non simulatè diligit, vt honore, & omnibus humanitatis officijs eum, quem diligit, anticipet, atque anteuertat: neque expectet, aut honore, aut quouis officij genere praeoccupari. *SOLICITVDINE NON PIGRI.* In omnibus, quae alterius vel honorandi, vel adiuuandi gratia, agenda sunt, tanta adhibenda est diligentia, tam vehemens studium, vt nullus relinquatur pigritiae, aut ignauiae locus. *SPIRITV FERVENTES.* Quaecunq; Spiritussanctus alienae salutis procurandae gratia suggesserit; in ijs ardentes, non frigidos; feruidos, non tepidos; veloces, non tardos, esse oportet. *DOMINO SERVIENTES.* In his omnibus non homini, non fratri, non vlli mortalium; sed omnium parenti, procreatori, sempiterno Domino seruire arbitremini. *SPE GAVDENTES.* Non de praesentibus, & quae in hac vita contingere solent mutabilibus bonis; sed de futurorum, quae sempiterna sunt, & immutabilia, adipiscendorum spe gaudendum est. *IN TRIBVLATIONE PATIENTES.* Aequissimo aduersa omnia animo tolerant quicunq; nō de fortuitis, vt vulgus loquitur, bonis; sed de rebus post hanc vitam expectandis triumphant, & gaudent: ad eaq; contemptis mundi huius diuitijs, & delitijs omnibus toto pectore aspirāt. *ORATIONI INSTANTES.* Assidua necesse est precatione haec omnia perficiendi, & sanctis his praeceptis obtemperandi à Deo postulare

VI. VII. VIII. *Diligendi ratio non simulata.* IX. *Fraterna charitas.* X. *Honoris praeuentio.* XI. *Diligētia.* XII. *Spiritus feruor.* XIII. *Seruitus.* XIIII. *Gaudium.* XV. *Patientia.* XVI. *Precationes.*

XVII. *Sāctorum indigentia.* stulare facultatem. *NECESSITATIBVS SANCTORVM COMMVNICANTES.* Sancti inopia laborātes, & qui ab omni humano auxilio destituti videntur, & inopes, vbiuis gentium illi sint, verbis, facultatibus, & omni humano praesidio subleuandi sunt: quorum miseria, & calamitas omnis animo, tanquam commune fidelium omnium
XVIII. *Hospitalitas.* incommodum, & detrimentum sentienda est. *HOSPITALITATEM SECTANTES.* Peregrini inuirandi, cōpellendi, hospitio accipiendi sunt, non vt sua sponte veniant, expectandi. Nam hospitalitatis cupiditate, & studio, vt alio
Heb. 13. loco scripsit Paulus, Deo quidam placuerūt, Angelis hospitio receptis.

BENEDICITE.

SVPERIORA praecepta ad charitatem fermè omnia erga amicos, & fraternam beneuolentiam, atq; ad res aduersas, quae multae, & variae in hac vita pijs etiam, & sanctis hominibus accidunt, aequo animo tolerandas pertinent: quae Christi discipulis, & verè Christianis hominibus parua omnino, & leuia sunt: nam & de amore quoque, & beneficentia erga inimicos mādauit Christus; cuius perfectam, salutaremq; doctrinam Paulus, in quo Christus ipse loquebatur, imitatus, ad ea, quae praecepit, sanctiora, quae sequuntur,
XIX. & diuiniora praecepta adiecit. *BENEDICITE PERSEQVENTIBVS VOS, BENEDICITE, ET NOLITE MALEDICERE.* Non fratribus modò vestris, non beneuolis, non amicis; verumetiam his, qui vo-
Preces pro inimicis. bis malè volunt, & hostili animo vexant, benè precemini. Quòd si probris illi, contumelijs, maledictis, iniurijs vexare vos, & exagitare pergant; vos contrà non mala, sed bona,
XX. *Gaudium, & fletus.* salutaria praesertim, optare illis, & precari pergite. *GAVDERE CVM GAVDENTIBVS, FLERE CVM FLENTIBVS.* Egregiam profectò praecipit magnanimitatem, vt nulla alienae felicitatis inuidia, nulla alienae miseriae laetitia tangantur; verùm ea mente aliorum omnium, inimicorum quoq; tam prosperitatem, resq; secundas, quàm
XXI. *Alienū nihil ducere.* incommoda, & res diuersas acciperent, ac si ea ipsis omnia contigissent. *IDIPSVM INVICEM SENTIENTES.* Quicquid alijs, vestris etiam acerrimis hostibus, siue boni

boni, siue mali eueniet, id totum in vos transferte, eodem, scilicet sensu, eoq; affectu, atque si in vobis ipsis esset, sentite. *NON ALTA SAPIENTES, SED HVMILIBVS CONSENTIENTES*. Alta de seipsis sentiunt, qui, quod alijs accidit, sibi aliquando accidere non posse putant, non secus atque si supra mortalium essent sortem collocati. Seipsos autem humilibus accommodant, qui quod infimae, atque extremae conditionis hominibus contingit, sibi, cùm Deus voluerit, euenire posse cogitant: quod quidem est humilium, & abiectorum hominum affectum induere. *NOLITE ESSE PRVDENTES APVD VOSMETIPSOS*. Quinam obsecro apud semetipsos prudentes esse dicuntur? Non alij certè, quàm qui satis, superq; fecisse arbitrantur, si sibi placuerint, morem gesserint, satisfecerint; qui sua omnia consilia, actiones omnes probant; aliorum consilijs egere non existimant; & quid alij de se opinentur, aut loquantur, omnino negligunt: aduersus quos clamat Esaias. *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. *NVLLI MALVM PRO MALO REDDENTES*. Hoc vetat ea ratione, qua vulgi iudicio, prudentis esse videtur, bonum pro bono, malum pro malo scire referre: de quo tamen paulò post alia ratione tractabit, quatenus scilicet ex iracundia manat; & vindicatio nuncupatur. *PROVIDENTES BONA NON TANTVM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM OMNIBVS HOMINIBVS*. Omni studio, cura, diligentia prouideri mandat, & effici; vt quae aguntur, non Deo tantùm, sed omnibus probentur hominibus, eisq; honesta, atq; laudabilia videantur.

XXII. *Alta de se sentire.*

XXIII. *Humilibus se accõmodare.*

XXIIII. *Prudentes apud semet ipsos.*

XXV. *Malũ pro malo nõ reddẽdum.*

XXVI. *Bona qualia esse debent.*

SI FIERI POTEST.

QVOD sequitur, nemo solus perficere potest. Nam ad mutuam pacem, & concordiam pertinet: de qua praecipit omnibus, quòd seorsum à singulis effici nequit. Quomodo enim pacem cum altero habere quis poterit, si ille renuerit? Quomodo coniuncti, & concordes duo esse poterunt, si alter ab altero disiunctus, & alieno esse corde voluerit? Nunquam profectò vera charitas, & amici-

tia esse poterit, nisi in duobus, aut pluribus idem animus, eadem fuerit voluntas. Est autem quiddam, quod per se quisq; absque alio facere, & seruare poterit, quod Dauidem regia, & Christiana mente regem, & ipsum fecisse, & alios monuisse

Psal. 129. scimus. Scripsit enim. *Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus; cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* Erat mens mihi cum pacis quoq; osoribus pacifica, quamuis cùm de pace ego agerem, ad bellum illi absq; vlla causa se accingerent.

XXVII. De hoc autem Paulus inquit. *SI FIERI POTEST, QVOD IN VOBIS EST, CVM OMNIBVS HOMINIBVS PACEM HABENTES.* Hoc equidem

Pax. Paulus sibi velle videtur, vt eius mentem planè, & explicatè exprimam. Si pacem cum omnibus hominibus habere possumus, eam complectamur, atq; teneamus; sin autem pacem alij respuerint; si nobiscum concordare noluerint; si inimico aduersus nos animo perseuerauerint; id agamus, quod in nobis positum est, & quod nolentibus illis, atque etiam inuitis, diuino tantùm adiuti praesidio, agere possumus. Erga pacis osores tranquillo simus animo, & pacato, cum ijs, qui pacem oderunt, pacifici simus. Huc autem ea pertinent, quae sequuntur.

XXVIII. *Vindicta.* *NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES CHARISSIMI, SED DATE LOCVM IRAE.* Hoc primum est, quod hanc, quam praecipit erga omnes, pacem in animi quiete, & tranquillitate positam parit, vt de vlciscendis iniurijs non laboremus, vt ea defensione, quae vlciscendi potius libido, quàm defensio nuncupanda est, non vtamur: vt quae ad vindictam stimulat iracundiam sedari, atque restingui sinamus, illud agentes, quod Deus mandauit; de

XXIX. *Ira.*

Deut. 32. quo Paulus inquit. *SCRIPTVM EST ENIM; MIHI VINDICTA: EGO RETRIBVAM, DICIT DOMINVS.* Vindicem se Deus, & vltorem manifestat scelerum omnium, atq; facinorum; & ita vindicem, vt nullum permittat scelus esse impunitum. Itaq; Dei sit vlcisci eorum iniurias, qui aequo illas animo tulerint, & de vindicta ne cogitant quidem. Alterum, quod ad eandem animi tranquillitatem mirificè facit, quodq; per se facere quisq; absq; altero

Prou. 25. potest, hoc est, quod sequitur. *SED SI ESVRIERIT*

XXX. *INIMICVS TVVS, CIBA ILLVM: SI SITIT,*

Bonum pro malo. *POTVM DA ILLI.* Si esurienti inimico pastum; sitiẽti potum dederimus; ac pro malefactis benefacta reddiderimus,

mus, mirum profectò est, quàm pacato, & tranquillo animo futuri simus, & illud praeterea consequetur, quod inprimis quaerere, & optare oporet; de quo inquit. *HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SVPER CAPVT EIVS.* Mutua sequetur pax, mutuaq; beneuolentia. Inuitabis enim, & accendes eum ad redamandum. Sed o praeclaram, & auream sententiam, Christianorum puerorum pectoribus inserendam, qua Christianae amicitiae firmamentum fortissimum, & charitatis vinculum firmissimũ continetur. *NOLI VINCI A MALO, SED VINCE IN BONO MALVM.* A malo vincitur, eiq; turpiter succumbit, qui acceptam vlcisci iniuriam, & malum pro malo reddere studet: videtur enim non posse tolerare malum. Contrà verò vincit in bono malum, qui bonum reddit pro malo; laudem pro calumnia; beneficium pro maleficio; honorem pro contumelia. Non solùm enim forti tolerat animo malum; verùm & illud cum eius contrario, bono scilicet, reprimit, & extinguit. Haec vna res est, qua qui in diuinam adoptionem venerunt, maximè probantur: quod Dominus noster Iesus Christus natura Dei vnicus, & aeternus Filius declarauit, cùm dixit. *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; vt sitis filij Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.*

XXXI. *A malo vinci.*

XXXII. *Malum bono vincendum.*

Matth. 5.

Ee 2 OMNIS

OMNIS ANIMA.

CAPVT XIII.

ORES, & instituta, quibus singuli priuatim Christiani viuere debent, hactenus descripsit; de obedientia nunc agit, quam omnes simul principibus praebere debent, & magistratibus, siue Christiani illi quidem sint, & fideles, siue alterius cuiusuis sectae, & falsae religionis. Inquit auté. *OMNIS*
XXXIII. *ANIMA POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS SVBDITA SIT*. Sumere quidem animam pro homine, sanctarum scripturarum consuetudinis est: verùm vt Christianã demonstraret obedientiam ex animi voluntario motu non coactam; liberalem, non seruilem; ingenuam, non violẽtam esse oportere; Omnis anima, dixit; non, Omnis homo. Cùm autem simpliciter dicat eminentibus potestatibus, omne potentiae, magistratus, imperij, genus intelligit; vt quicunq; tãdem superiores sunt, dominantur, & regnant, illis sit ex animo obtemperandum. Hanc verò obedientiam ad Christianos homines pertinere, quos omnibus in rebus Dei voluntatem, & mãdata ob oculos habere necesse est, ijs, quae sequuntur, verbis declarat. *NON EST ENIM POTESTAS, NISI A' DEO: QVAE AVTEM SVNT POTESTATES, A' DEO ORDINATAE SVNT.* Non in homines respiciendum est, qui in potestate, & imperio versantur; sed in rerum omnium praepotentem Deum, à quo omne est imperium, omnis potestas; qui hunc, quem videmus in rebus humanis ordinem statuit, vt alij potestatem habeant, & imperent, alij in eorum dominatu sint, & pareant. Quem ordinem Petrus, magnus Ecclesiae Princeps, pulcherrimè descripsit, cuius haec verba sunt, cum Pauli disciplina mirificè congruentia. *Subiecti estote*, inquit, *omni humanae creaturae propter Deum; siue regi, quasi praecellenti; siue ducibus, tanquã ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiae, libertatem, sed sicut serui Dei.* Sed huius obedientiae exemplum singulare praebuit Christus Iesus Dominus noster, tenebrarum quoque potestatem à Deo esse agnoscens, cùm dicenti Pilato. *Nescis, quia potestatem habeo*

Obedientia Christiana.

Potestatis ordo à Deo

1. Pet. 2.

Obedientiae Christianae exemplũ.

Luc. 22.

Ioan. 19.

habeo crucifigere te; & potestatem habeo dimittere te? Ita respondit. *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper.*

ITAQVE.

DVO autem animaduertenda sunt, quae ex hac doctrina Paulus perspicua argumentatione cōcludit: Alterum quorundam fortasse ratione, qui Christianae libertatis audito nomine, magistratibus obedire recusabant; de quibus inquit. *ITAQVE QVI RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT.* Potestati resistere, homini est ius, potestatemq; imperandi habenti, siue obtemperare nolle, siue etiam repugnare; quod plane est diuinae obsistere dispositioni, quādoquidem & potestates omnes, & omnis earum ἐυταξία à diuina, & eterna, quae mundum regit vniuersum ratione, & mente proficiscuntur. De altero autem inquit. *QVI AVTEM RESISTVNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQVIRVNT.* Nam rectum, iustum, ac sanctum Dei, supremi omnium Iudicis, ordinem certa ratione dispositum, negligunt. Manere autem eos diuinae condemnationis iudicium, qui Potestati obstiterint, ex fine ostendit, cuius causa sunt a Deo magistratus instituti, cùm inquit. *NAM PRINCIPES NON SVNT TIMORI BONORVM OPERVM, SED MALORVM.* Instituit Deus magistratus, non vt his, qui rectè, & honestè; sed prauè, ac turpiter agunt, terrorem inferant. Ex quo efficitur, vt qui magistratibus aduersantur, magno, & ad communem vitam summopere necessario sese bono opponant. Iure igitur damnatorium sibi Dei iudicium asciscunt, qui tanti & tam diuini boni ratione, regum, principū, & aliorum inferiorum magistratuum potestatem ordinauit, & imperium. Quàm breuis, & digna, quae in omnium principum ore, atq; animo assiduè versetur, optimi principis descriptio: siquidem is princeps est optimus, qui ab impuris moribus, & prauis actibus, poenae metu, arcet homines, atque deterret. Quàm vera ac solida doctrina, qua docemur principibus hoc agentibus, quod ad eorum officium maximè spectat, non modò, non repugnare, verùm etiam spontè, & ex animo

Potestati resistere quid.

Magistratus à Deo cur instituti.

Princeps optim' qui.

mo obtemperare. Ergo principi, qui quantumuis magni periculi denunciatione, ne rectè, & piè viuamus, timorem facit, quòd officij sui munus deferat, nulla ratione mos gerēdus est. Hanc autem, quam diximus instituendi magistratus rationē, vt terrori essent, ac pauori, non benè, & honestè, sed malè, & turpiter in vita se gerentibus, ex eo manifestā facit, quòd metuendus nō sit ab his, qui honestam, & laudabilem; sed qui vitiosam flagitiosamq; vitam duxerint. Inquit autem. *VIS AUTEM NON TIMERE POTESTATEM? BONUM FAC, ET HABEBIS LAUDEM EX ILLA.* Si eam potestatem, quae ad terrendos poena & metu ab iniuriosa, & facinorosa vita homines à Deo constituta est, timere nolueris, rectè omnia, & honestè agito: quod quidem cum feceris, non modò tibi non erunt formidini magistratus, & homines, penes quos potestas est, & imperium; verùm, & magnum hoc bonum consequeris, vt cùm nullae abs te poenae earum, quae sunt homini sceleri constitutae, repetantur, tacitum quoddam habeas virtutis, integritatis, & honestatis testimnnium. Itaq; laudem hanc, quae in huius vitae bonis primarium locum nonnullis obtinere videtur, ex magistratu nancisceris: magistratumq; ipsum, quod ad te, tuiq; similes attinet, ita cum Paulo definiemus. *DEI ENIM MINISTER EST TIBI IN BONUM.* Magistratus Dei minister est, ex quo laus in te, & egregium, atque honorificum innocentiae, iustitiae, probitatis testimonium deriuabitur. Hoc ergo est, quod ex magistratu consequeris, si quod decorum, honestumq; sit in vita sequaris: at verò si quod turpe est, & flagitiosum, sectatus fueris, quid ex magistratu te expectare oporteat, diligenter attende. De hoc enim Paulus inquit. *SI AUTEM MALEFECERIS, TIME.* Nam, vt paulò ante dixit, principes non eos, qui rectè, sed qui sceleste, & iniquè agunt, deterrent, vt à maleficijs abstineant. Cuius quidem rei certissimum, quod sequitur, accipe signum. *NON ENIM SINE CAUSA GLADIUM PORTAT: DEI ENIM MINISTER EST, VINDEX IN IRAM EI, QUI MALUM AGIT.* Gladius, quem gestat magistratus, Dei ministrum eum esse significat, scelerum, ac facinorum vindicem, & vltorem: cuius opera diuina in vlciscendis, atq; puniendis hominum malefactis ira declaratur. Est ergo magistratus, Dei mini-

Magistratus à quibus non timendi.

Magistratus Dei minister bonis in bonum.

Magistratus à quibus timēdi.

Gladius cur à magistratu gestatur.

minister,à quo in bonos viros laus, & commendatio, in prauos autem animaduersio,& ira proficiscitur. *Magistratus quid.*

IDEOQVE.

VPLICI ratione Christianos omnes magistratibus subiectos esse oportere concludit, dicens. *IDEOQVE NECESSE EST SVBIICI NON SOLVM PROPTER IRAM, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM.* Magistratibus, de quibus sermo est, subiectos nos esse, & obedientes oportet, non ea tantùm ratione,quia vindices scelerum, & diuinae sunt vindictae administri, verùm ne contra conscientiam agamus,agnoscentes eos Dei esse ministros,quibus non subiici, aut repugnare nefarium sit, atq; scelestum. Hoc autem, quod de obedientia, & reuerentia aduersus magistratus seruanda praecepit, tributi solutione significari ostendit,cùm inquit. *IDEO ENIM ET TRIBVTA PRAESTATIS: MINISTRI ENIM DEI SVNT, IN HOC IPSVM SERVIENTES.* Tributis testamur,tanquam Dei ministros habendos esse magistratus, in hac praecipuè re elaborantes,vt à turpitudine, iniustitia, & flagitijs homines,vinculis,verberibus,supplicijs, atque omni animaduersione deterreant. Cùm autem plura sint apud omnes nationes magistratuum genera; atq; alijs alia debeantur; concludit praeterea Paulus retribuendum esse singulis, quod debetur. Inquit autem. *REDDITE ERGO OMNIBVS DEBITA.* Cùm ea, quae iusta, ac debita sunt magistratibus referuntur, prompta erga eos subiecta, & obediens voluntas declaratur. Quatuor autem exempli causa explicat debitorum genera,quae varijs ac diuersis magistratibus à varijs, & diuersis hominibus alacri animo, & sine cunctatione soluenda sunt: & de primò quidem inquit. *CVI TRIBVTVM, TRIBVTVM.* Supremis hoc tribuitur, & penditur magistratibus, quae est quaedam quasi confessio, atq; agnitio diuinae cum illis communicatae potestatis ad homines à sceleribus,ac facinoribus auertendos, atq; abducendos: de quo quid docuerit, atq; etiã egerit summus, & vnicus veritatis magister Dominus noster Iesus Christus, diligenter scriptum legimus. Primum quidẽ, cùm

Magistratibus cur obediendũ.

Tributa cur.

XXXIIII. *Debita reddenda.*

Tributum cui reddendum.

cùm ex eo Pharisaei malitiosè quaereret, an licitum esset po-
Mar. 12. pulo Dei, tributum Caesari soluere, ex nummi inscriptione & imagine respondit. *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari; & quae sunt Dei, Deo.* Deinde cùm se tanquam summi regis filium ab omni tributo liberum, & solutum esse declarasset, deuitandae ostensionis causa, pro se illud & Petro pendi iussit. De altero inquit. *CVI VECTIGAL, VECTIGAL.* Debentur vectigalia publicanis, qui publicos à fisco census conducunt. De tertio. *CVI TIMOREM, TIMOREM.* Timendi sunt ab his, qui scelerate viuunt, magistratus, scelerum vltores, & irae Dei ministri: nam qui rectam, vt decet, & honestam vitam ducunt, quid est quod timeant, si laudem ex magistratibus sortiuntur? De quarto. *CVI HONOREM, HONOREM.* Hoc est quod ad eos attinet, qui castè, integrèq; in vita versantur: quibus quanquam non sint formidini magistratus, eis tamen honorem debitum praestent necesse est.

Matt. 17.

Vectigal.

Timor.

Honor.

NEMINI.

AGISTRATIBVS omnibus persoluenda esse, quae debentur ostendit, ex quo docendi occasionem arripuit, priuatis quoq; hominibus debita ita esse reddenda, vt eorum repetendorum causa alterum alteri litem intendere non oporteat; neque quod alio loco scripsit, fratrem cum fratre iudicio contendere: de quo inquit. *NEMINI QVICQVAM DEBEATIS, NISI VT INVICEM DILIGATIS.* Cùm ex debitis lites, iurgia, rixae oriri facilè possint, ad ea radicitùs extirpanda, nemo sit, qui alteri aliquid debeat, aut rem alienam detineat. Cùm verò mutuae charitatis debitio ita semper à Christianis omnibus soluenda sit, vt integra semper maneat, eosq; districtos teneat, & obligatos, illam excipit. Non enim est sicut pecuniae; ita & charitatis debitio. Illa enim cùm soluta fuerit, haud amplius debetur: huius verò debitum perpetuum est, quod semper persoluitur, & redintegratur. Cuius haec est, quae sequitur ratio. *QVI ENIM DILIGIT PROXIMVM, LEGEM IMPLEVIT.* Legis obseruatio, quod ad ea attinet, de quibus nunc agimus, in charitatis erga proximos officijs

1.Cor.6.
XXXV.
Debita.

Charitatis debitum.

officijs posita est. Quo fit, vt quemadmodum seruandae legis perpetuum est debitum, ita sit & charitatis, quae omnium legis mandatorum prora est, & puppis: quod Paulus ostendit, cùm inquit. *NAM NON ADVLTERABIS; NON OCCIDES; NON FVRABERIS; NON FALSVM TESTIMONIVM DICES; NON CONCVPISCES; ET SIQVOD EST ALIVD MANDATVM, IN HOC VERBO INSTAVRATVR, DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TEIPSVM.* Haec, quae lege cauentur, ad honorem, vitam, bona, famam aliorum spectantia, & siqua sint alia generis eiusdem legis mandata, hac vna breuissima summa comprehenduntur omnia, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Quod quidem illud declarat, manifestumq; facit, quod mandatis his omnibus nihil praecipitur, nisi necui quis vlla ratione noceat. Hoc autem vnum illud charitatis praeceptum perfectè, integrè, & absolutè explicat. Quamobrem adiunxit. *DILECTIO PROXIMO MALVM NON OPERATVR.* Non ergo qui diligit, aut mechus, aut homicida, aut fur, aut falsus testis, aut rei alienae appetens erit. Quare quod proposuit, *Qui diligit proximum, legem impleuit*, mutatis verbis, tanquam manifestum concludit, dicens. *PLENITVDO ERGO LEGIS EST DILECTIO.* Ex quo efficitur, vt quemadmodum obtemperandi legi, ita & diligendi proximum, debitum perpetuum sit. Hanc autem Christianae vitae, & doctrinae pulcherrimã professionẽ memoria diligenter retinere debemus. Nam verae sapientiae Doctor, Christus Iesus, ex duobus charitatis mandatis vniuersam dixit legem pendere, & prophetas. Paulus quoque alio loco scripsit. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

Legis totius sũma.

Legis plenitudo.

Matt. 22.
Gal. 5.

ET HOC.

AD ea, quae de Christianis moribus hactenus praecepit, charitate praesertim erga proximos, qua totius (vt diximus) legis continetur epilogus, apta quadam, & congruenti translatione vtens, hortatur, & impellit, cùm inquit. *ET HOC SCIENTES TEMPVS, QVIA HORA EST*

IAM NOS DE SOMNO SVRGERE. Quae de amore, & beneuolentia mutua, ac reliquis Christianis moribus praecepi, eò sunt à vobis ardentiùs, & diligentiùs agenda, quò eorum maturum nunc, & idoneum tempus esse non ignoratis, cùm instet iam, praesensq; sit rectè, & honestè viuendi opportunitas, & occasio: quod quidem è somno expergisci aptissimè dixit. Nam cùm agere quisq: incipit, quod sui est muneris, atq; officij, eum è somno experrectum dicere consueuimus. *NVNC ENIM PROPIOR EST NOSTRA SALVS, QVAM CVM CREDIDIMVS.* Vigiliae autem, siue operae tempus hoc esse aptum, & conueniens inde apparet, quòd propius nobis nostra salus adest quàm tũ, cum ad fidem vocati accessimus, & in Iesum Christum credere coepimus. Quod quidem ex vtriusq; temporis differentia dignoscitur, quam describens inquit. *NOX PRAECESSIT, DIES AVTEM APPROPINQVAVIT.* Tempus illud cum credere coepimus, instar noctis erat: nihil enim absq; fide, quod reuera rectum & salutare esset, agere poteramus. Hoc autem quanquam dies dici non possit, nondũ enim in clara luce versamur, quae in salutis aeternae adoptione posita est: diei tamen ratione fidei propinquum est, vt idem sit, *Dies appropinquauit*, atq; illud, quod paulò ante dixit, *Propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Ex hac ergo temporum differentia, quorum primum noctis, aurorae alterum simile fuit, quid agere oporteat, aptè, congruenterq; concludit dicens. *ABIICIAMVS ERGO OPERA TENEBRARVM, ET INDVAMVR ARMA LVCIS.* Somnum; insomnia, ocia reijciamus; desinamus in his rebus versari, quae labuntur, & defluunt: in quibus qui volutantur, à vera, & salutari fide alieni censendi sunt: quasi prompti stemus, & parati ad pugnam in aliquo, quasi totius orbis terrarum theatro spectandam. *SICVT IN DIE HONESTE AMBVLEMVS.* Prudenter viuamus, & verecundè, nihil agentes, in quo sit nobis erubescendum; sed ab operibus tenebrarum, quae enucleatè enumerat, praecipuè abstinentes. *NON IN COMMESSATIONIBVS, ET EBRIETATIBVS.* Gulae sunt haec, ventris, atque gutturis vitia. *NON IN CVBILIBVS, ET IMPVDICITIIS.* Ad impuras haec, & obscoenas corporis voluptates pertinent. *NON IN CONTEN-*

Vigiliae tempus. *Nox.* *Dies.* *Opera tenebrarum.* *Arma lucis.* XXXVI. *Tenebrarũ opera fugienda.*

TENTIONE, ET AEMVLATIONE. Iracundiae alterum; alterum inuidentiae est. Haec itaq; sunt tenebrarum opera. Quae verò sint arma lucis, quibus ornati, tanquam in die in oculis hominum honestè apparere, & incedere debemus, breui explanat, cùm inquit. SED INDVIMINI DOMINVM IESVM CHRISTVM, ET CARNIS CVRAM NE FECERITIS IN DESIDERIIS. Duo praecipit: alterum est vt Christi simus imitatores; quod alio loco planè expressit dicens. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hoc autem facimus, si nobismetipsis non placemus, sed proximo in bonum ad aedificationem: si quod nobis vtile est, non quaerimus, sed quod multis, vt salui fiant. Si mortificationem Domini Iesu in corpore nostro semper circunferimus, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris: si tanquam boni Christi milites laboramus: si Christianis moribus viuimus: si interiorem fidem externis operibus ostendimus, & confirmamus. Alterũ, quod praecipit, est, vt corpus curemus quidem; sed eius varijs, & immoderatis cupiditatibus non obtemperemus. Id enim esset secundum carnem viuere, desideria carnis perficere, & ea carnis opera sectari, quae qui agunt, regnum Dei non consequuntur: denique in commessationibus, & ebrietatibus, in cubilibus; & impudicitijs, in contentione, & aemulatione vitam ducere, quae ad opera tenebrarum non ad arma lucis pertinere iam diximus:-

Arma lucis quae.

1. Cor. 11. *Rom. 15.* *1. Cor. 10.* *2. Cor. 4.*

2. Tim. 2. *Iac. 2.*

XXXVII.

Carnis cura.

Rom. 8. *Gal. 5.*

INFIRMVM.

CAPVT XIIII.

Romanorũ controuersiae.

RANT inter Romanos, ad quos hanc Paulus scripsit Epistolam, variae quaedam de legis mandatis, ac ritibus opiniones, controuersiae, & disceptationes; de quibus ita contendebant, vt vinci alij ab alijs nulla ratione paterentur. Eas nunc sedare, & comprimere ex diuina quadam Spiritussãcti disciplina studet, vt non modò de fide, sed etiam de moribus, & consuetudinibus vna omnes mente, & voce consentirent. Erãt quippe nonnulli, quos fide imbecilles Paulus appellat, non putantes ad salutem nanciscendam fidem in Iesum Christum vnà cum descripta superiùs fidei, iustitiae, & morum disciplina sufficere, verùm legis quoq; Mosis mandata omnia, & ritus diligentissimè seruandos esse asseuerantes, ciborumq;, & dierum discrimen arctè tenentes, & accuratè defendentes: at contra alij ex fide in Christum Iesum, liberos sese & sentiebant, & praedicabant, & re quoq; ipsa ostendebant; cibis lege etiam vetitis communiter vescentes, atq; dierum leges non obseruantes. Illi de istis sic statuebant, atq; iudicabant, legis esse contemptores; & eam ob rem non recta ad salutem sempiternam incedere: isti verò despicatui illos ducebant, tanquam fidei, & Christianae libertatis virtutem ignorantes. Seditiones itaq; istas, atque discordias sedare, & omnes coniunctissimo inter se animo esse cùm optaret, vtrisq; beneuolus Apostolus illis praecipit, ne de istis iudicent; istis autem ne illos paruifaciant, aut contemnant: verùm vtriq; in omnibus, quae agunt, Dei gloriam spectent, & animi omnes sui certam, definitamq; sententiam sequantur. Est autem haec Pauli saluberrima doctrina omnium maximè apposita, & accommodata ad ea tollenda discordiae semina, quae Daemon, noster hostis, inter nos spargit; dum ijs, qui certam aliquam ad salutem viam sectantur, persuadet, alios omnes, qui nõ eandem ingrediantur, despicere, & tanquam à recta adipiscendae salutis ratione aberrantes deuitare, & aspernari: quod quidem Christianae amicitiae summum incommodum, atq; detrimẽtum funditus deleretur, si ad haec, quae sequũtur praecepta, & monita non aures tantùm erigeremus, sed animum quoque atten-

Fide imbecilles.

Fide robusti.

Discordiae Christianorũ semina.

attenderemus. Nam eos, qui fide imbecilles contemnebant, ad piam concordiam erudiens, atq; informans Paulus inquit. *INFIRMVM AVTEM IN FIDE, ASSVMITE, NON IN DISCEPTATIONIBVS COGITATIONVM.* Vos, qui fide estis robustiores, ne spernite imbecilliores; ne negligite; ne à vestro contubernio eijcite: quinimmo charitate vobis, & beneuolentia adiungite; sed non eam ob causam, vt de controuersijs, & opinionibus (quas appellat διαλογισμοὺς) disceptetis inter vos, aut digladiemini; verùm vt alia quadam ratione, & via mox explicãda, vobis cum illis conueniat. Nouerat sanctus, & Dei spiritu plenus, Apostolus, quàm difficile esset diffidentes, & varias, de religione praesertim opiniones disceptationibus ad concordiam redigi; vbi triumphum vnusquisque, & gloriam quaerit, vincere gloriosum; succumbere verò, & vinci ignominiosum putatur. Quam obrem alibi fabulas prohibet, & genealogias interminatas, quae quaestiones magis praestãt, quàm aedificationem Dei, quae est in fide: quaestiones quoque, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur (inquit) inuidiae, contentiones, blasphemiae, suspitiones malae, & conflictationes hominum, mente corruptorum. Deuitare iubet prophanas vocũ nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiae: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Stultas praeterea, & sine disciplina quaestiones, quae generant lites. Omnes deniq; stultas contentiones, genealogias, & pugnas legis inutiles appellat, & vanas. Sed prinsquam rationem doceat, & modum, quo qui fide erant robustiores assumere possent imbecilliores; & cum eis conuenire absque disceptationibus, & contentionibus, quae inter eos esset de cibis controuersia, sic breuiter, strictimq; exponit. *ALIVS ENIM CREDIT SE MANDVCARE OMNIA: QVI AVTEM INFIRMVS EST, OLVS MANDVCAT.* Sunt inter vos, qui iam sibi persuasère, fide in Iesum Christum suscepta, licere, & liberum esse cibis omnibus, etiam ijs, qui lege vetantur vesci. Sunt cõtrà alij, quorum est tam exigua fides, vt herbis potiùs, quarum nullã interdicit lex, viuendum existiment, quàm cibis lege prohibitis, se, vt existimant, contaminare. Ratio nunc sequitur, & via, qua haec sedari, ac dirimi poterat cõtrouersia: quae quidem non est disceptatione, contentione, ac dijudicatione de ea

XXXVIII. Fide imbecilles non spernendi.

Disceptationes concordiã non pariunt.

1.Tim.1.

1.Tim.6.

Ibid.

2.Tim.2.

Tim.3.

Cõtrouersia de cibis.

ea transigere, eam enim paulò ante exclusit, cùm disceptationes prohibuit, & inanes illas altercationes, quibus amittitur, potiusquam inueniatur veritas, sed peccata, & offensiones, quae ex ea controuersia serpebant, vtrinq; deponere: de quibus inquit. *IS, QVI MANDVCAT, NON MANDVCANTEM NON SPERNAT: ET QVI NON MANDVCAT, MANDVCANTEM NON IVDICET.* Aequa haec est, & honesta concordiae reconciliatio, vt qui ex fide in Iesum Christum permissum esse credunt omnibus vesci cibis, lege etiã interdictis, fide infirmos, & ea de causa oleribus vescentes, neq; abijciant, neq; despiciãt, & qui herbis viuendũ potiùs, quàm quicquã cõtra legis praescriptum degustandum existimant, ne tanquam sacrilegos, & diuinae legi repugnantes, eos condemnent, qui omnibus absq; vllo discrimine vescuntur cibis. Prohibentur itaque omnibus vescentes, ac fide robustiores ab imbecilliorum contemptu, & despicientia: isti verò ab earum rerum, quas non rectè discernunt, temerario iudicio. Sed cùm fratris reiectio, & despiciẽtia excusari non posset, superbi enim est, & arrogantis animi crimen, iudicium verò excusationem habere posset salutis fraternae flagrantis desiderij, non licere ostendit eius rei iudicium vllum facere, quae occulta adhuc esset, & nondum satis explicata: qualis haec tum erat, cùm haec Paulus scriberet; an in Iesum Christum suscepta fide, cibis vti, quos lex vetaret, permissum, ac licitũ esset. Propterea inquit. *DEVS ENIM ILLVM ASSVMPSIT.* Quem tu iudicas, quòd cibis vescatur omnibus, cùm fidem in Iesum Christum susceperit, eum sibi Deus adsciuit, proinde Deo curae est, ad quem tanquam seruus ad Dominum pertinet. Rectè ergo non absq; reprehensione interrogat. *TV QVIS ES, QVI IVDICAS ALIENVM SERVVM?* Est nè tuum in re dubia de alieno, Dei praesertim seruo, pronunciare, rectè ne, an secus agat? *DOMINO SVO STAT, AVT CADIT.* Siue stet; siue cadat: siue rectè; siue prauè se gerat: siue prudenter agat; siue peccet; Domini sui iudicio subiectus est. Vereor (dicet ille, qui iudicat) ne à recto declinet; scelus concipiat; cadat is, quem iudico. Superuacaneam hanc esse haesitationem ostendit dicens. *STABIT AVTEM; POTENS EST ENIM DEVS STABILIRE ILLVM.* Non habetur (inquit) non cadet. Deus enim

XXXIX. *Fide robusti non iudicandi.*

Quaestio, Pauli tempore, nõ satis explicata.

enim, qui illum ad se accersiuit, & bonum in illo opus incepit, stabilem, firmum, constantem, atq; in bono perseuerantem efficere potest. Qua de re sic scripsit Petrus. *Deus omnis, gratiae, qui vocauit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitquè. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum amen.* Haec verò Pauli doctrina doctissimos quosq; viros continere debet, ne de re vlla controuersa, ac dissensionis plena, sententiam ferre audeant, priusquam de ea, sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia statuat, ac decidat.

1. Pet. 5.

Ecclesiae Catholicae iudicium in dubijs expectandum.

NAM ALIVS.

ALTERA haec erat cõtrouersia, quae ad illud referenda est, quod proposuit, & tanquam verbis illis proxima legenda. Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum: ita vt quae sequuntur, tanquã his coniuncta, continuataq; sumantur. *NAM ALIVS IVDICAT DIEM AD DIEM, ALIVS AVTEM IVDICAT OMNEM DIEM.* Sunt inter vos quidam imbecillae fidei, qui diem cum die conferunt, non oẽs aequales faciunt; magnum inter eos differentiam statuunt, quibusdam enim, quasi sanctioribus, quae lege iubentur agenda esse praedicant. Sunt enim alij robusta, & stabili fide his contrarij, qui nullam dierum differentiam admittant; oẽs aequent; & ea, quae statis quibusdam diebus seruari lex praecipit, animosè omittant. Similis quidem est haec controuersia superiori, qua cibos omnes alij aequabant; alij puros ab impuris secernebant. Breui autem, & diuina quadam sententia, quid in vtraq; sit controuersia agendum definit; quid inquam in ciborum, & dierum disceptatione sequendũ; dicens. *VNVSQVISQVE IN SVO SENSV ABVNDET.* Hanc ego sententiam, regulamq; pulcherrimam è Graeco sic verterem. Vnusquisq; in mente sua certus sit: vt omnibus praecipiat solicitos esse nõ oportere, quid in eiusmodi rebus obscuris, & dubijs sequantur alij, de quibus iudicare, & sentẽtiam ferre non esset omnium: verùm satis, superq; habeant, si apud semetipsos certi sint, nihil contra animi sententiam agere; nihil aduersus id, quod agendum esse sentiunt; nihil (vt vulgo

Controuersia de dieb'.

XL.

Plerophoria necessaria .i. 246.

aiunt)

aiunt) contra conscientiam. Qui sanctam hanc sequuntur, & religiosam regulam, hoc agunt, quod sequitur. *QVI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT: ET QVI NON SAPIT DIEM, DOMINO NON SAPIT.* Qui differentiam inter dies statuendam esse sentiunt, diesq; quosdam reliquis anteponendos, in quibus legis mandatis obtemperent, ea quidem id ratione sentiunt, quòd Deo se ea in re placere certi in ipsorum animis sint; qua de re nihil omnino ambigunt. Qui contrà nullum dierum discrimen agnoscunt; sed omnes exaequant, lege, quantum ad hanc partem attinet, soluti; ij quoque nihil omnino verentur, id, quod agunt Deo gratum, acceptumq; esse. Eadem ratione, & regula de cibis controuersiam transigit dicens. *ET QVI MANDVCAT, DOMINO MANDVCAT; GRATIAS ENIM AGIT DEO. ET QVI NON MANDVCAT, DOMINO NON MANDVCAT, ET GRATIAS AGIT DEO.* Qui cibis, lege vetitis, non se abstinent, ea se ratione Deo placere definitum habent, & certum, cuius illud dant signum, quòd dum vescuntur, Deo gratias agunt. Nam si animo fluctuarent, incertiq; essent, vtrum id, quod agunt, Deo gratum esset, Deo gratias non agerêt: & qui cibis ijsdem religiosè abstinent, eadem animi securitate abstinent, quod eodem signo declarant: nam & ipsi quoq; Deo gratias agunt. Quis autem tam amens sit, qui ea de re Deo gratias agat, de qua an Deo placeat, vereatur? Certa ergo fides, certaq; persuasio, & illa animi plenissima securitas, quam πληροφορίαν Graecorum sanctissimi, sapientissimiq; patres appellarunt, in vtrisque erat: de qua diuinam illam planè sententiam, regulamq; certissimam paulò ante Paulus attulit. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω.

Diuersis coniecturis ad Deum tenditur.

NEMO ENIM.

VOD de cibis tantùm, & diebus decreuit, omnibus Christianorum hominum actionibus commune esse declarat, quas vitae, & mentis vocabulis designat, & complectitur omnes, quo planiorem eam facit doctrinam, quam de cibis attulit, & diebus. Inquit autem.

XLI. *NEMO ENIM NOSTRVM SIBI VIVIT, ET NEMO*

NEMO SIBI MORITVR. Quid mirum est in cibis, & diebus certos nos esse in animis nostris oportere, totum, quod agimus, Domino nos agere; atque in eo, quod agimus, non nobis ipsis, sed Domino placere, quandoquidem nos omnes, qui Christiani esse, & haberi volumus, nobis ipsis neque viuamus, neq; moriamur? Nã in omnibus vitae nostrae actionibus, atq; adeo in ipsa morte, compertum habere debemus, & exploratum, nihil à nobis agi, quod Domino nostro non probetur. Hoc autem est, quod sequitur. SIVE ENIM VIVIMVS, DOMINO VIVIMVS: SIVE MORIMVR, DOMINO MORIMVR. In omni vita, & in ipsa quoq; morte in hoc potissimùm laboramus, vt tanquam serui, egregiè fideles, Domino nostro placeamus; & ea deuitemus omnia, de quibus an illi placeant, vel paululum vereamur, iuxta diuinam illam, quam suprà statuit, & optimam regulam. Vnusquisq; in mente sua certus sit: ad quam non escae tantùm, & dies, de quibus erat disputatio; sed omnia, quae in vita agimus, & mors quoq; vitae huius extrema linea dirigenda sunt. Sed verissimam accipe conclusionem, qua eorum omnium, quae dicta sunt, veritas confirmatur, & nititur. Ea est. SIVE ERGO VIVIMVS, SIVE MORIMVR, DOMINI SVMVS. Iure tales esse oportet nostras omnes actiones, vt eas Deo gratas esse, & acceptas nihil omnino vereamur: quoniam nos ipsi tam cùm viuimus, quàm cũ morimur, non nostri sumus, sed Dei, & Domini nostri; non nostri inquam iuris, sed alieni; non liberi, sed serui; magno equidem (vt alio loco Paulus dixit) empti pretio, pretioso inquam (vt Petrus explanauit) sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Ex hoc autem illud efficitur, quod sequitur, Dominum nostrum in nostram vitam, atq; necem, plenam habere potestatem. IN HOC ENIM CHRISTVS MORTVVS EST, ET RESVRREXIT, VT ET VIVORVM, ET MORTVORVM DOMINETVR. Est hoc inter multa, quae in Pauli leguntur Epistolis, mortis, ac resurrectionis Christi sparsa mysteria praeclarissimum; vt illum dicamus ea ratione mortuũ, & in vitam restitutum fuisse, vt minationem sibi in viuos, & mortuos compararet, ac potestatem in omnium vitã, & mortem adipisceretur. Quod quidem illud est, quod saepe diximus, vt omnes tam viuentes, quam morientes in animis nostris,

Christo viuendum, et moriẽdum.

Christianorum vita, & mors.

Christiani viuentes, et morientes, Dñi sunt, non sui.

1.Cor.6.

1.Pet.1.

Mortis, & resurrectionis Christi mysterium.

ſtris, & conſcientijs certi eſſemus, Chriſto nos ſeruire, non nobis; eius voluntati obtemperare, non noſtrae; eius imperio ſubiectos eſſe, non penitus abſq; omni iugo liberos. Animum autem hic aduertamus, vt mutuam, reciprocamq; harũ duarum ſententiarum concluſionem agnoſcamus. Prima eſt, *Siue viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino morimur.* altera, *Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Nam quia Dominum habemus, cuius eſſe dicimur, Domino viuimus, ac morimur: & eam ob cauſam Domino viuimus, ac morimur, quia in dominatu ſumus eius Domini, cuius nos eſſe fatemur. Hic ille dominatus eſt, de quo ad Corinthios ſcripſit Paulus.

1.Cor.3. *Omnia veſtra ſunt; vos autẽ Chriſti; Chriſtus autem Dei.* Haec illa ſeruitus, de qua ad Philippenſes. *Magnificabitur,* inquit,

Phil.1. *Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

TV AVTEM.

AD eos reuertitur, quorum alij fratres ſuos condemnabant; alij deſpiciebant. Horũ enim morborum curandorum gratia, hanc ſuſceperat diſputationem. Eos itaq; primùm, qui ciborum, & dierum differentiam ſequebantur, fide debiles, & imbecillos, quiq; eos, qui ſecus agebant, condemnabant, ſic interrogat. *TV AVTEM QVID IVDICAS FRATREM TVVM?* Cùm Chriſtus Ieſus ſit omnium Dominus, vos autem ſerui, quid eſt, quam ob rem de illis iudicandi poteſtatem vobis vſurpatis, qui ciborum atq; dierum diſcrimen omne ſublatum eſſe ſentiunt? Ad eos deinde, qui ciborum, & dierum delectum, lege praeſcriptum, ſequentes aſpernabantur, ſermonem conuertens inquit. *AVT TV QVARE SPERNIS FRATREM TVVM?* Par certè ratio eſt, quare nec vos ab illis iudicari, nec à vobis illi contemni debeant. Ea verò eſt, quòd vtriq; vni Chriſto ſeruire; vni Chriſto viuere, & mori debeatis, penes vos certi, veſtras omnes, quoad vixeritis actiones, & veſtram quoq; mortem illi placere. Quòd autem Chriſti vnius cuius dominatu tenentur omnia & iudicare ſit, & aſpernari, firmiſſimo docet argumento, cum inquit. *OMNES ENIM STABIMVS ANTE TRIBVNAL CHRISTI.* Ad vnum ſpe-

Chriſtus vnus oĩum Dominus, & Iudex.

ſpe&abunt Chriſtum, quae vobis arroganter aſſumitis, iudicare, & aſpernari: quam quidem ob rem Corinthijs ſic praecepit. *Nolite ante tempus iudicare, quoaduſq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tūc laus erit vnicuiq; à Deo.* Diuinum autem hoc de omnibus futurum iudicium ſacroſancto confirmat vaticinio: cuius, more quidem ſuo, ſenſum, non verba perſequitur dicens. *SCRIPTVM EST ENIM. VIVO EGO DICIT DOMINVS. QVONIAM MIHI FLECTET OMNE GENV, ET OMNIS LINGVA CONFITEBITVR DEO.* Diuinum iuſiurandum eſt illud. Viuo ego. Quod nihil aliud ſignificat, niſi quod apud Eſaiam legimus. *In memetipſo iuraui*, & hunc habet ſenſum; Adeo verum eſt, quod dicturus ſum, vt verum eſt Deum me eſſe viuentē. Quid autem dicturus erat? Nihil profectò aliud, niſi Ieſum Chriſtum mortalium omnium Dominum, ac Iudicem omne genus hominum ſub poteſtatem Patris eſſe ſubiecturum; omnes praeterea hominum linguas duce, & auctore Chriſto, Dei laudes eſſe celebraturas. Ex quo concludit, & efficit, nemini fas eſſe iudicandi ſibi poteſtatem arrogare; cū iudicandi ſimus omnes diuino illo iudicio, cuius poteſtas eſt omnis penes Dominum, & Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Inquit autem de hoc iudicio primū. *ITAQ; VNVSQVISQ; NOSTRVM PRO SEIPSO RATIONEM REDDET DEO.* De his ergo, quae nos agimus, quorum rationem reddituri ſumus, cogitandum nobis eſt, & iudicandum; iudicijs autem de factis alienis abſtinendum, quorum non ad nos, ſed ad alios pertinet, reddere rationem. Dat deinde concluſionem dicens. *NON ERGO AMPLIVS INVICEM IVDICEMVS, SED HOC IVDICATE MAGIS, NE PONATIS ERROREM FRATRI, VEL SCANDALVM.* Duabus ijs rebus perſpectis, & cognitis, Deum per Ieſum Chriſtum mortales omnes eſſe iudicaturum, & vnumquemq; de ſeipſo rationem eſſe redditurum, iudicijs prorſus abſtineamus: quod ſi aſſequi nequeamus, haec veſtri ſit iudicij norma tutiſſima, vt prauè eos agere decernatis; qui fratribus ſuis auctores ſunt erroris, aut prolapſionis. Cuius rei declarādae gratia oſtendere Paulus incipit; ex his controuerſijs nō ſolùm in alijs iudicium, in alijs contemptum oriri, de quibus hacte-

Iſa. 45.

Iuſiurandum Dei.

XLII. *Erroris, & prolapſionis occaſio tollenda.*

nus egit; verùm multos esse, qui vt suam sententiam mordicus tenerent, lapsionis, vel erroris ansam fratribus suis praeberét: aduersus quos monuit sanciri oportere, ne quis lapsus, vel erroris occasionem fratribus suis exhiberet.

SCIO, ET CONFIDO.

ERVM quid ipse priùs de ciborum discrimine sentiat, aperit dicens. *SCIO, ET CONFIDO IN DOMINO IESV, QVIA NIHIL COMMVNE PER SE: NISI EI, QVI EXISTIMAT ALIQVID COMMVNE ESSE, ILLI COMMVNE EST.* Haec de cibis est Pauli sententia, & certa persuasio, quam nō sibi, sed vt reliqua bona omnia Iesu Christi muneri, ac beneficio tribuit; ex fide enim in Iesum Christum emanabat, nullum esse cibum sua natura impurū; id nanq; est quod Hebraei commune vocant: fieri autem aliam quandam ob causam commune aliquid, & impurum, quod quidem natura non est tale. Nam quod ex se nihil habet impuritatis, contaminat certè, & inquinat eum, qui impurum illud esse existimat, ita vt eo vti absq; graui scelere non possit. Ex hac autem diuina Iesu Christi doctrina docet, nefarium esse scelus Christiano homini, si fratre suo praesente, fratres enim appellātur Christiani omnes, cibo vescatur aliquo, quem communem ille reputet, & inquinatum. Inquit autem. *SI ENIM PROPTER CIBVM FRATER TVVS CONTRISTATVR, IAM NON SECVNDVM CHARITATEM AMBVLAS.* Si cibi, quo tu vesceris, ratione dolet frater tuus, moeretq;, peccare te existimat, dum ijs cibis vteris, quos ille tanquam diuina lege interdictos, atq; impuros abominatur; à charitatis tu certè via aberras, qui fratris tui tristitiam tua causa susceptam negligis. Abstinēdum ergo est non à malis tantùm rebus, sed ab his quoque, quae per se malae non sunt, ne fratres nostros tristitia afficiamus, cum quibus summa nos esse decet charitate coniunctos. Est, quae sequitur alia ratio, qua hortatur, ne cibis vterentur, quos alij tanquam impuros haberent, atq; deuitarent. *NOLI CIBO TVO ILLVM PERDERE, PRO QVO CHRISTVS MORTVVS EST.* Non modò contristas fratrem

Cibus nullus sua natura impurus.

Cibi cōmunes qui.

A cibis cōibus qua ratione abstinendum.

fratrem tuum, qui cibos capis, quos ille religiosè respuit, atq; detestatur; verùm etiam extremam illi perniciem affers: quod duplici potest ratione contingere; vel quia dũ te videt Christianum hominem id agere, quod nefarium ipse scelus esse reputat, à Christo desciscendi occasionem arripit, atq; ita auctore te, miserè perditur: vel si in quo te obiurgandum putabat, id ipse postea imitetur, quod syncera & pura non agat conscientia, quando (vt modò diximus) & si nihil per se commune sit, & impurum, ei tamen, qui commune aliquid reputat, commune efficitur. Videndum ergo est, ne cibi causa, quem affectamus, alicui perniciem afferamus, pro cuius salute Christus mortem susceperit. Tertiam addidit admonitionis huius rationẽ dicẽs. *NON ERGO BLASPHEMETVR BONVM VESTRVM*. Quod sine peccato vos agitis, qui vna mecum agnoscitis nihil per se commune esse, ita agite, vt nullus maledicẽtiae, conuitijs, vituperationi, calũniae pateat aditus. Etenim si cibo vtaris inspectãte aliquo, qui communẽ illum, & cõtaminatũ esse autumet, praebebis profectò ansam facti tui minimè quidem mali execrationibus, atq; maledictis. Sed ne quisquam peccare se existimaret, si quod ad cibos attinet, Christiana non vteretur libertate, haec addidit, quae sequuntur. *NON EST ENIM REGNVM DEI ESCA, ET POTVS*. Non ea ratione Deus regnat in nobis, quia nullo coerceamur ciborum delectu; sed liberè, & absq; vllo discrimine quibusuis vtamur cibis, atq; potionibus: verùm quae nos Deo, tanquam regi, regnum subijciunt, & coniungunt, haec sunt, de quibus inquit. *SED IVSTITIA, ET PAX, ET GAVDIVM IN SPIRITV SANCTO*. Primum iustitia est de qua priore huius Epistolae parte copiosè disputatum est; illa inquam iustitia Dei sine lege manifestata, testificata tamen à lege, & Prophetis, quae est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credũt. Alterum Pax est illa, quam optabat Romanis in huius Epistolae salutatione, cùm diceret. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo:* quae interior est ab omni mentis perturbatione quies, qua qui potiũtur, idem sentiunt, & loquuntur omnes. Tertium, Gaudium est non ex prosperis, secundis, & ad nostram voluntatem fluentibus huius vitae rebus, sed ex sancto spiritu humanum spiritum ducente, regente, gubernante emanans, ac diuinae adoptionis testimonium dante:

XLIII. *Regnum Dei.*

Regnũ iustitiae, pacis, & gaudij.

Cap. 3.

Pax.

Sup. c. 8. dante: quod quidem gaudium in fructibus spiritus numeratur
Gal 5. à Paulo. In ijs autem regnum Dei positum esse explanat, cùm inquit. *QVI ENIM IN HIS SERVIT CHRISTO, PLACET DEO, ET PROBATVS EST HOMINIBVS.* Qui adepta Dei iustitia, quae à fide manat, & interiore animi pace, ac gaudio, cuius Spiritussanctus auctor sit, is Christi, tanquam summi regis mandatis obtemperat. Quamobrem & Deo placet, & praeclarum habet ab hominibus testimonium: nullis enim conuitijs, nullis maledictis vrgetur; quemadmodum illi, qui cibis vescuntur, quos communes alij, & impuros esse arbitrantur, & Deo non placent, & hominum in se maledicta, & contumelias excitant. Ad pacem igitur, & concordiam dimissis id genus controuersijs, & contentionibus, omnes cohortatur, atq; etiam ad ea, quae semper
XLIIII. esse debent cum pace coniuncta, cùm inquit. *ITAQ; QVAE*
Pax, & *PACIS SVNT SECTEMVR; ET QVAE AEDI-*
aedificatio. *FICATIONIS SVNT, INVICEM CVSTODIAMVS.* Non disceptationibus, & rixis operam demus; sed quae paci conducunt, & animorum consensioni persequamur, ea praeterea, quibus alter alteri ad salutem prodesse; &
Aedificare quid. adiumento esse potest. Haec enim duo, concordia, & studiũ, diligensq; de fraterna salute cura, in Christianis pectoribus vigere maximè debent, relictis discordijs, & disceptationibus, quae salutaria omnia cõsilia destruunt, potiusquàm aedificent. Propterea inquit. *NOLI PROPTER ESCAM DESTRVERE OPVS DEI.* Ne immoderatus libertatis amor, & in ciborum vsu licentia vos ita capiant, vt earum rerum auiditate fidem deleatis in Iesum Christum, quod
Ioan. 6. praecipuum est, & singulare opus Dei. Hoc profectò facis, dum malo exemplo illum perdis, pro quo Christus mortuus est: quin etiam regnum quoque Dei euertis: quod (vt paulò ante dixit) non est esca, & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritusancto.

OMNIA QVIDEM.

E cibis dixerat nullum esse sua natura communem, & impurum, nisi ijs, qui communes esse aliquos, & impuros existimarent: quo quidem decreto prohibuisse videtur; ne fide debiles, & infirmi, ciborum, atq;

atq; dierum discrimen defendentes, illis vterentur cibis, quibus contaminari se, & inquinari reputarent. Digressus deinde fide robustos, qui dies omnes, atq; cibos aequarent commonefecerat, ne cibis vescerentur, praesentibus illis, qui eos cõtaminatos ducerent. Eodem nunc reuertitur, vt declaret nõ illos tantùm peccare, qui cibis vtebantur, quos communes reputarent; sed & eos, qui cibis non abstinerent, ex quibus alij fratrum numero habendi offenderentur, vt nõ solùm propriae; sed alienae quoq; conscientiae, quod alibi praecepit, rationem habendam esse doceat. Inquit autem. *OMNIA QVIDEM SVNT MVNDA, SED MALVM EST HOMINI, QVI PER OFFENDICVLVM MANDVCAT.* Clarioribus quidem verbis, sed idem prorsus significantibus, ea repetit, quae suprà dixit. Nihil enim aliud profectò est, quod supra dixit, *Nihil commune per se*; atq; hoc, quod nunc ait; *Omnia esse pura, siue munda*. Eandem quoq; vim habet superius illud dictum, *Hoc iudicate magis, ne ponatis errorem fratri, vel scandalum:* & hoc, *Malum est homini, qui per offendiculum manducat*. Est autem is, qui ita vescitur, vt minimi faciat, fratres suos in errore constituere, & periculo, vel desciscendi à Christo, vel contra conscientiam aliquid admittendi. Ad huiusce autem generis homines, qui immoderato, & nimio libertatis amore nulla fraternae salutis cura tangebantur, haec pertinent, quae sequũtur. *BONVM EST NON MANDVCARE CARNEM, ET NON BIBERE VINVM, NEQVE IN QVO FRATER TVVS ERRAT, AVT SCANDALIZATVR, AVT INFIRMATVR.* Ne fratres nostros in errandi periculo ponamus, aut praecipiti aliquo, periculoso, & lubrico loco, vbi labi facilè possint, constituamur, aut ad permanendum in Christiana professione imbecilles reddamus, rebus alioqui concessis, & licitis abstinère monet. Est de hac eadem controuersia, Pauli ad Corinthios doctrina, plurimum lucis, si attentè legatur, huic loco allatura: quam ea de causa totidem verbis subscribo. *Esca*, inquit, *non commendat nos Deo. Neq; enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne fortè haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia eius cùm sit infirma, aedificabitur ad man-*

1. Cor. 8. & 10.

Libertatis nimius & immoderatus amor.

XLV.

Fraternae salutis cura.

1. Cor. 8.

ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem. Cùm autem isti, qui (vt diximus) ijs cibis, quos communes alij reputarent, & impuros, publicè vescebantur, fidei scutum praetenderent; dicerentq; licere omnibus, qui in Iesum Christum firmiter crederent, omnibus liberè cibis vti, inquit. *TV FIDEM HABES, PENES TEMETIPSVM HABE, CORAM DEO.* Quanquam firmissimè credas, liberam tibi esse omnibus vesci cibis, ratione fidei in Iesum Christum, quã in te esse sentis; nihil tamen opus est in eiusce generis rebus cum fratrum tuorum periculo fidẽ, & libertatem ostentare tuam. Satis tibi sit eam in animo alere, & conseruare fidem, eiusq; testem vnum habere Deum, qui omnia introspicit, aperta, & nuda intuetur omnia. Sed ne de aliorum salute parum solicitus esse videare, omnibus abstineto rebus, ex quibus ruinae periculũ illis creari posset. Nam (vt dixit Sapiens) *Mandauit Deus vnicuiq; de proximo suo.*

Fides in animo & corã Deo. *Heb. 4.* *Eccl. 17.*

BEATVS.

BREVIS est equidem, sed aurea huiusce totius disputationis de cibis, & diebus, & omnibus praeterea, quae in controuersiam cadunt, operibus, conclusio, quae duas habet partes. Earum prior haec est. *BEATVS, QVI NON IVDICAT SEMETIPSVM IN EO, QVOD PROBAT.* Rarum est hoc, & singulare quoddam Dei munus, cuius gratia beatum nuncupat eum, qui in eo ipso, quod approbat, quodq; in ijs controuersijs sequendum esse censet, ac sequitur, seipsum non damnat, ita vt certus in mente sua sit, nulloq; pacto vereatur, aut dubitet, quin id, quod sibi probatur, & agit, Deo placeat. Hanc animi fidentiam quisquis non habet, sed timidè, diffidenter, & non absq; omni interiore mentis scrupulo agit, seipsum redarguit, atq; conuincit. Nam intimo conscientiae iudicio, dum id agit, quod vtrum Deo placeat, anceps est, & trepidat, se ipse condemnat. Pertinet autem haec pars ad haesitantes, atq; metuentes; an id, quod ipsi

Plerophoria beat. *sup. 227.* *Iudicium siue dãnatio sui ipsi.*

ipsi probant, Deo quoq; probetur: qui beati profectò censendi sunt, si rebus illis, de quibus dubitant, penitus abstineant. Posterior autem, quae sequitur, pars, eos tangit, qui dijudicant, siue discernunt aliquid Deo displicere, de quibus inquit, *QVI AVTEM DISCERNIT SI MANDVCAVERIT, DAMNATVS EST, QVIA NON EX FIDE*. Ille verò, qui in ea est animi sententia, vt cibo aliquo abstinendum iudicet; propterea quòd diuina sit lege interdictus, si eo vescatur diuina iam sententia condemnatus est; quia quod extrinsecus agit, cum interiore fide non consentit, qua de re communem subiecit regulam, quam omnibus cognitam, & in ore omnium versari oportet: nam ad eam omnes dirigendae sunt id genus fidelium hominum actiones. *OMNE AVTEM, QVOD NON EST EX FIDE, PECCATVM EST*. Quicquid agimus fidei non congruens, & interiori animi nostri sententiae, quam de his rebus sequimur, quae Deo placent, displicentuè, peccatum est, & vim habet condemnandi. Haec est fidei norma, atque praescriptio, qua bonae actiones à malis discernuntur. Non est autem praetereundum, magnum Basilium in ijs, quae de moribus scripsit, ex hac Pauli regula hunc collegisse Soritem: *Quicquid non est ex fide, peccatum est. Fides ex auditu est. Auditus per verbum Dei. Quicquid ergo non est ex verbo Dei, peccatum est.* Verissima profectò conclusio, quae tota constat, & conficitur ex Pauli in hac Epistola dictis. Probat autem, fidem, qua credimus id, quod nos approbamus, & facimus, Deo placere; ex verbo Dei proficisci oportere; atq; in eo stabilitum, fundatumq; consistere. Tu verò ne haereticorum versutijs decipiàre, ob oculos semper habeto sanctae catholicae Ecclesiae pondus, & auctoritatem, multa, de quibus non ita plana, & aperta diuini verbi decreta existant, praecipientis, atq; vetantis, ab ipso diuino verbo profectam esse: quae vsque adeo sancta, & grauis censenda est, vt quicunque eam non audierit, maximiq; fecerit, tanquam ethnicus habendus sit, & publicanus, non secus atque si Dei verbum despiceret, aut auersaretur. Vtitur autem hac eadem Pauli lege, & regula Beatus Pater Augustinus saepissimè, vt ostendat nostras omnes actiones seclusa fide, ex qua, vt ipse inquit, recta est intentio, peccata esse: quae quamuis non propria ac germana videatur esse huius

XLVI. *Peccatum est omne quod ex fide non est.*

Rom. 10.

Matt. 18.

In Io. Tr. 86.

Actio omnis seclusa

si le peccatum est. loci sententia, reuera tamen ex hac regula necessariò efficitur. Nam si actio fidei non congruens, peccatum est, quantò magis quae ab animo ab omni fide vacuo proficiscitur, peccatum censendum, atq; aestimandum erit? Animaduertendum autem, quod ad dierum attinet controuersiam, quae Paulus dixit, ad sabbatum, & eum, quem Domini diem appellamus, non esse transferenda; neque enim de ea disputat opinor mutatione: verùm de diebus potius azymorum, expiationum, oblationum, septimi mensis, hebdomadarum, & tabernaculorum, de quibus multa praecepit lex, quae dediscère Iudaei, quanquam Euangelij gratiam maximopere optarent, non ita facilè poterant.

Dierũ controuersia quae.

Exo. 12. Leu. 22. Num. 28. 29. Deut. 16.

APPENDIX.



NEMO verò ex hoc, quòd Paulum praecepisse sentit, tales esse oportere omnes fidelium actiones, vt nihil omnino vereantur, eas Deo gratas esse, & acceptas, arbitretur oportere Christianum hominem certò, & sine vlla dubitatione statuere, se quoque Deo gratum esse, & acceptum. Neq; enim ea de re hoc loco disputatio initur; sed illud tantùm agitur cum Paulo, his rebus prorsus abstinendum esse, de quibus haesitamus, Deo an placeant, nec nè. Nam si eiusce generis operibus non abstinuerimus, peccabimus profectò, ea agentes, de quibus veremur, ne fortè Deo displiceant: quae quantumuis bona essent, & Deo grata; nihilominus quia contra conscientiam aguntur, peccata essent. Vt si quis illorum, qui Pauli tempore, infantes adhuc, & fide imbecilli, Euangelij gratiam nondum perfectè amplexati erant dubitasset, an Deo placeret abstinentia ciborum, quos vetaret lex, & cum ea dubitatione illis vsus esset, omnino peccasset. Nam hoc illud est, de quo Theologi disputantes concludunt, conscientiam erroneam quoque ligare. Sed nec illa conclusio sequitur; Sumus certi opera nostra omnia Deo placere, & accepta esse, igitur certi sumus nos ipsos Deo placere, & acceptos esse. Illud nanq; quod sumitur, verum est de operibus in seipsis, & absolutè acceptis; quod verò efficitur, ad opera spectat, quà proficiscuntur à nobis. Quis autem est, qui nesciat sacrificium opus esse, Deo gratum, atque ei placere? At neque Cain Deo placuit, neque illi quorum oblationes, & incensum abominabatur. Quis

item

item ignoret, quantopere poenitentia Deo probetur? Ac neque Esau lacrymae, neque Iudae poenitentia illi placuere. Est nè quispiam, qui vereatur precationem opus esse, quod Deo magnopere placeat? At si quis pharisaeum illum, in templo orantem placuisse Deo contenderit, Dei, & Domini nostri Iesu Christi sententia redarguetur. Quamobrem ita debemus esse certi, opera, quae facimus, Deo placere, vt non propterea statuamus nos ipsos quoque, qui bona opera sexcentis modis contaminare possumus, Deo quoque placere, & apud eum esse in gratia. Quid autem de hac quaestione, quae de gratiae certitudine est, Commentator noster semper senserit, in eiusdem Epistolae ad Galatas quaestionibus apertè demonstratur.

DEBEMVS.

CAPVT XV.

SED ne qui robustiore fide donati erant, cuius gratia nullum ciborum genus religioni habebant, & dies omnes exæquabant, interdictum sibi mirarentur, & aegreferrent, ne concessa fidelibus licentia, libertateq; viuēdi vterentur; quinimmo mandatum, vt eam sibijpsis ipsimet adimerent, hac duntaxat ratione, ne qui fide erant imbecilliore offenderent, caderent vè: praeter ea, quae hac de re multa dixit, regulam eis seruandam tradit verè Christianā; quae in hoc posita est; vt fortiores quicunq; sunt, imbecilliores sustentent; eorumq; salutem nulla ratione curare omittant. Videbatur enim sibi diuinus Apostolus, qui omnia, quae ad aliorum salutem faciebāt, circunspiciebat, & diligenter considerabat, illorum audire voces, & querelas, qui aegreferebant, & molestè accipiebāt, ciborum libertatem, alienae salutis causa, sibi auferri, quas alio loco de illorum persona sic expressit. *Vt quid libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?* Inquit ergo. *DEBEMVS AVTEM NOS FIRMIORES IMBECILLITATES ALIORVM SVSTINERE, ET NON NOBIS PLACERE.* Seipsum, qui praecipit, ijs, quibus, praecipit fide firmioribus annumerat; vt, tanquam bonus legislator, seipsum legi submittat, & praeceptum hoc obseruaturum polliceatur. Sustentant autem infirmorum imbecillitates, qui rebus etiam permissis, atq; concessis abstinēt; ne qui fide infirma sunt, aut cadant, aut offendant, siue contra propriam fidem, & conscientiam agentes, siue malo exemplo à fide in Iesum Christum penitus deficientes. Placent verò sibi, qui quod eis probatur, infirmorum fratrum offensione, atq; salute neglecta, sectantur, & agunt, vt quemadmodum ab illis ipsi iudicantur, ita & illos ipsi vicissim despiciant. Ad regulae autem huius perfectionem pertinet, quod sequitur.

Regulæ verè Christiana.

1. Cor. 10.

Infirmorū imbecillitas quomodo sustentāda.

Placere sibi quid.

XXXXVII. *VNVSQVISQVE NOSTRVM PROXIMO SVO PLACEAT IN BONVM AD AEDIFICATIONEM.* Hoc est Christiani viri officium, quae sibi probantur, & animo sedent, non nimis arctè, accurateq; defendere,

Proximo placēdum.

sed

sed alios interdum tolerare; & ea sequi, quae illis potiora videntur, hac tantùm adhibita cautione, vt ex huiusmodi tolerantia nihil sequatur mali, nihil ruinae; sed potius quod bonum est, & rem Christianam aedificat, puta animorum consensus, & concordia, atq; constantiae, & perseuerantiae in fide exemplum: quod quidem Dominum nostrum Iesum Christum, ad cuius exemplar Christiani omnes se conformare debent, semper fecisse sic ostendit. *ETENIM CHRISTVS NON SIBI PLACVIT, SED SICVT SCRIPTVM EST, IMPROPERIA IMPROPERANTIVM TIBI CECIDERVNT SVPER ME.* Christus Iesus omnis Christianae iustitiae, & virtutis auctor, & dux, non ea secutus est, quae priuatam aliquam respiceret commoditatem, aut iucunditatem, aliorum posthabita salute: propterea non sibi placuit, sed alijs; pro quorum salute, quae omnibus odiosa sunt, & iniucunda, tolerauit: de cuius persona cum Patre Deo loquentis, hoc accipiendum est, quod apud Dauidem legimus oraculum, perinde ac si dicat. Quorũ maiores tibi ô summe pater multa exprobrarunt, cum te tentarent; irritarent; ad iracundiam prouocarent; eorum nunc me posteri maledictis, probris, & contumelijs consectantur, & vexant. Sit igitur placere sibi, quae sua sunt quaerere, & quae sibi probantur, aliorum salute contempta, mordicus tenere. Contrà verò placere alijs; ad ea descendere, & se accómodare, quae ad aliorum salutem faciunt, cum despicientia quoq; nominis, & gloriae. Monet ergo Paulus ijs abstinere siue cibis, siue alijs quibuscunq; rebus, quibus fratrum salus periculosè laeditur: aequo ferentes animo si eam ob causam fide infirmi iudicemur, non secus atq; Dominus noster Iesus Christus, vt omnium saluti prospiceret, omnium de se hominum iudicia contempsit, opprobria minimi fecit; contumelias despexit. Non solùm autem istud, quod ex sacris literis oraculum modò attulit, quid nobis agendum sit praescribit, verùm etiam omnia, quae de Christo leguntur, vaticinia. Propterea inquit. *QVAECVNQ; ENIM SCRIPTA SVNT, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SVNT, VT PER PATIENTIAM, ET CONSOLATIONEM SCRIPTVRARVM SPEM HABEAMVS.* Quaecunq; de Christo Domino longè priusquã is nobis adesset, scripta sunt, hac potissimùm sunt ratione scripta

Christi exẽplum.

Psal. 78.

Quid differant. Placere sibi. Placere alijs.

scripta, vt per ea salutis scientiam addisceremus; vtq; per ea, quae de Christi patientia praenunciata sunt, & nobis sunt in Christo promissa, bonarum rerum spem conciperemus, quae duabus his rebus praecipuè sustentatur, & alitur, patientia, & consolatione. Nam & quae futura speramus, patienter expectare necesse est, & consolatio, quae in promissionibus posita est, animum mirabiliter confirmat, & erigit. Sed qualis sit patientiae, & spei differentia, quae communione inter se quadam similes esse ita videntur, vt vix discerni possint, animaduertendum hoc loco est. Spei proprium munus est, & officium, rerum futurarum praestare fiduciam: ex qua gaudium illud exoritur, quo vt gauderemus praecepit Paulus, cū dixit. *Spe gaudentes.* Patientia verò constantem tribuit in expectando perseuerantiam. Per patientiam nanq; expectamus, quemadmodum suprà cum Paulo quoq; diximus. Potest enim quispiam futurum optatae rei sperare euentum; torqueri autem ex longa retardatione, & mora: Nam rectè admodum dixit Salomon. *Spes, quae differtur, affligit animam.* Huic spes non sufficit; sed optanda est patientia expectandi promissionem. Sanctus enim ille rex, & vates optimus, qui dolenter clamabat. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, peregrinationis quidem suae finem sperabat; sed ex longa dilatione cruciabatur, cui patientia succurrebat. Quam ob rem alibi monet Paulus. *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem, quod ad spem pertinet.* De patiētia verò adiecit. *Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.*

Spei sustētatio. *Quid differant. Patiētia, Spes.* *Sup.c.12.* *Cap.8.* *Prou.13.* *Psal.119.* *Heb. 10.*

DEVS AVTEM.

BREVIS equidem, sed valde pia sequitur precatio, qua Romanis Paulus talem optat animorum consensum, qualis est ille, ad quem eos hortatus est. Inquit autem. *DEVS AVTEM PATIENTIAE, ET SOLATII DET VOBIS IDIPSVM SAPERE IN ALTERVTRVM SECVNDVM IESVM CHRISTVM.* Deum appellat patientiae, & consolationis Deum, quia eius munera sunt patientia, & consolatio, non secus atq; sancta scriptura, qua patientiae, & consolationis doctrina continetur, à quo dari

Precatio post hortationem.

dari Romanis precatur in eandem conuenire sententiam ijs de rebus, de quibus disceptabant, erantq; inter se diuersi; sed vt ea sententia veritati, ac Iesu Christi doctrinae congrueret. Quid autem ex mutua hac, quam in eis optat animorum consensione futurum speraret, sic explanat. *VT VNANIMES, VNO ORE HONORIFICETIS DEVM, ET PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.* Hic, inquit, concordiae vestrae futurus est fructus, eadem mente, voce eadem Deo, laudis, honoris, & gloriae venerationem tribuere. Quod quidem cum Iudaei quoq; facerent, vt proprium Christianae religionis cultum describeret, adiecit, *Et Patrem Domini nostri Iesu Christi;* cuius causa non amplius in tenebris, sed in clarissima veritatis luce versamur. De quo cultu alio loco dixit. *Flecto genua mea ad Deu, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* *Concordiae Christianae fructus.* *Eph. 3.*

PROPTER QVOD.

MANDAVERAT disputationis huius initio ijs, qui fide erant robustiore, imbecilliores sibi adiungere; modò cum eis in disceptationes ne venirent. Quae deinde essent inter eos controuersiae, aperuit, docuitq; quid consentaneum esset vtrisque. Demum precatione breuissima poposcit à Deo eundem omnibus sensum, eandem diuinae laudis, & gloriae vocem. Ad quod interpretandum, quod fide tantùm robustioribus mandauerat, ad omnes transfert, & omnibus praecipit de mutua susceptione, & in eandem sententiam conspiratione, atq; consensu. Inquit autem. *PROPTER QVOD SVSCIPITE INVICEM, SICVT ET CHRISTVS SVSCEPIT NOS IN HONOREM DEI.* Vt quod à Deo opt. max. pro vestra salute precatus sum, diuino vobis munere tribuatur, infirmi fide quicunq; estis iudicia deponite, & cum robustioribus consuetudine vos, & beneuolentia iungite. Vos verò robustiores missam facite aliorum despicientiã; quinimmo imbecillioribus diligenter, amanterq; succurrite; nullam eis vel ruinae, vel leuis offensionis praebentes occasionem, Christi Iesu Domini nostri clarum, illustre, & omnibus propositum exemplum sequentes, qui tam nos Iudaeos, quàm aliarum omnium gentium populos ad salutem XLVIII. *Christi exemplo ad salutem omnes inuitandi tam Iudaei, quàm gentes.*

lutem deducendos assumpsit, vnde maxima illa, & latissimè patens Dei gloria ex omnium nationum salute per Christum ipsum, mundi totius seruatorem procurata, exoriretur. Quod quidem qua ratione factum sit, mox apertum faciens, ac declarans inquit. *DICO ENIM CHRISTVM IESVM MINISTRVM FVISSE CIRCVNCISIONIS PROPTER VERITATEM DEI, AD CONFIRMANDAS PROMISSIONES PATRVM.* Quomodo Christus Iesus seruandos omnes assumpserit pro gloria Dei, attendite. Et primum quidem Iudaeos, quorum salutis administer fuit, vt promissiones, quas eorum patres à Deo acceperant, verae comprobarentur, & factis confirmarentur; illae inquam sempiternae salutis promissiones, quae Christi sunt aduentu, eiusq; cum dictis, tum factis corroboratae; tùm praecipuè, cùm eo iubente hoc omnibus creaturis praedicatum est Euangelium. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Qua quidem praedicatione summa diuinae veritatis gloria eminere, & apparere coepit. Declaratum est enim, & reipsa comprobatum, Deum (quod dixit Dauid) fidelem esse in omnibus verbis suis, & sanctum in omnibus operibus suis. Sequitur deinde de alijs gentibus. *GENTES AVTEM SVPER MISERICORDIA HONORARE DEVM.* Dico etiam adiunctos esse Christo seruatori, & ab eo assumptas nationes alias, vt diuinae quoque daretur misericordiae gloria, obuiarentq; sibi misericordia, & veritas. Non ex Iudaeorum salute, maxima laus diuinae veritati tribuenda est, propterea quòd res ad verba conferre Deus agnoscitur, & quod pollicetur praestare: at verò ex aliarum gentium salute laudibus celebranda, & praedicatione efferenda diuina misericordia est, qua illi quoque seruantur, quibus salus promissa non erat, neque debitorem se Deus verbo suo obligauerat. Quanquam autem alienis gentibus salus promissa non fuisset, quemadmodum Iudaeis, ne tamen eas Iudaei à salute reijciendas penitus existimarent, in eorũ sanctis libris non promissionibus, sed nudis praedictionibus de Dei erga gentis misericordia mentio saepenumero facta est. Quamobrem inquit. *SICVT SCRIPTVM EST: PROPTEREA CONFITEBOR TIBI IN GENTIBVS DOMINE, ET NOMINI TVO CANTABO.* Diuinae laudis confessionem, & nominis diuini gloriam,

Christus Iudaeos quomodo assumpserit.

Mar. vlt.

Ps. 144.

Gẽtes Christo adiunctae et cur.

Psal. 84.

Vaticinia de salute gentium.

Psal. 17.

riam; etiam inter alienas gentes Christus hoc de se scripto vaticinio, Patri cantare pollicetur: quod quidem per Apostolos in mundum missos vniuersum, perfecit. *ET ITERVM DICIT, LAETAMINI GENTES CVM PLEBE EIVS.* Ad laetitiam vnà cum Iudaeis, qui Dei populus est, alias mundi nationes inuitat Moyses; illam inquam laetitiã, de qua suauis est illa apud Esaiam inuitatio. Laetare sterilis, quae non paris; erumpe, & clama, quae non parturis: quia multi filij desertae magis, quam eius, quae habet virum. *ET ITERVM: LAVDATE OMNES GENTES DOMINVM, ET MAGNIFICATE EVM OMNES POPVLI.* Eiusdem est Iudaeorum, & gentium ad diuinas laudes copulationis vaticinium, ex Dauide sumptum: in quo animaduertendum est, misericordiae, & veritatis sequenti carmine fieri mentionem; quarum altera ad gentes; ad Iudaeos altera pertinet. Inquit enim. *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in aeternum.* *ET RVRSVS ESAIAS AIT.* Cum de gentium vocatione multa vaticinatus esset Esaias, illis non contentus, denuo dixit: *ERIT RADIX IESSE, ET QVI EXVRGET REGERE GENTES, IN EO GENTES SPERABVNT.* Ex Iesse, patre Dauidis, radix orietur quasi quaedã, radix inquam illa, de qua vates idem dixit. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti;* quae principium erit salutis gentium, & earum salutare accipiet imperium, in quo gentes ipsae adipiscendae salutis spem omnem collocabunt.

Deut. 32.

Cõpluten. codex hũc habet locũ.

Esa. 54.
Gal. 4.
Psal. 116.

Veritas ad Iudaeos, misericordia ad gentes pertinet.

Esa. 11.

Esa. 53.

DEVS AVTEM.

POST vaticinia de salute gentium, breui precatione, Romanis optat Paulus earum rerum, quas de Iudaeorum, & gentium salute declarauit, fidem, ex qua sanctae quoq; spei vbertate, atq; affluentia abundarent. Est autem precatio haec: *DEVS AVTEM SPEI REPLEAT VOS OMNI GAVDIO, ET PACE IN CREDENDO, VT ABVNDETIS IN SPE, IN VIRTVTE SPIRITVS SANCTI.* Deum bonorum omnium datorem, & spei praecipuè inuocat, atq; ab eo poscit omne

Precatio post doctrinam.

Gaudium. Pax. gaudium Romanis, vt non modò de sua quisq; verùm etiam de aliorum omnium salute laetetur. Poscit quoq; pacem, vt quae inier eos fuerant controuersiae penitus facesserent; ita tamen, vt vtrunq; ex fide oriretur eorum omnium, quae de Iudaeorom, & gētium salute à Prophetis praedicta modò recitata sunt; atq; vt ex eadem fide copiosa circumflueret communis salutis firmissima spes diuino Spiritusſāčti munere, cuius vnius potentiae est, gaudium, pacem, fidem, spem, bona denique omnia elargiri.

CERTVS.

E lecta hac Epistola Romani, Paulum de eis non rectè sentire existimarent, tanquam vel improbi essent homines, vel ignorantes: proinde ad eos scripsisse, quasi eorum controuersiae ex malitia, vel ignorantia ortae essent, & eam ob causam ab eius salutari doctrina animū abducerent, occupare suo more voluit, quod opponi posse putauit, & quae Romanis nocere potuisset, opinionem ex eorum animis euellere. Propterea inquit. *PERSVASVM AVTEM HABEO FRATRES MEI ET EGO IPSE DE VOBIS, QVONIAM ET IPSI PLENI ESTIS BONITATE, REPLETI OMNI COGNITIONE, ITA VT POSSITIS ALTERVTRVM MONERE.* Non ea ad vos rationē scripsi quia de vestra essem cum probitate, tum harum rerum notitia dubius, aut quod ignorarem vos posse mutuo de rebus omnibus, de quibus ad vos scripsi, commonefacere. *AVDACIVS AVTEM SCRIPSI VOBIS FRATRES EX PARTE, TANQVAM IN MEMORIAM VOS REDVCENS, PROPTER GRATIAM, QVAE DATA EST MIHI A DEO.* Sed quae me ad scribendum impulit ratio, cuius gratia aliqua ex parte nimis fidenter scripsi, & acerbè fortasse, atque asperè quaedam, non ea fuit, vt tanquam ignaros vos, ac imperitos docerem; aut vt malitiosos reprehēderem; sed vt immemores fortè monerem: quod tamen monendi officium non temerè, aut arroganter mihi assumpsi; sed ex Dei in me collata gratia: gratiā autem nuncupat officium à Deo sibi commendatum: quod quale esset, explanauit dicens. *VT SIM MINISTER IESV*

Pauli recta de Romanis opinio.

Epistola haec à Paulo cur scripta.

Pauli munus à Deo acceptum.

IESV CHRISTI IN GENTIBVS, SACRIFICANS EVANGELIVM DEI. Hoc Pauli fuit officium, hoc munus diuinitus acceptum, ministrum esse Iesu Christi apud gentes, cuius ratione prima statim huius Epistolae ingressione seruum se Iesu Christi appellauit, & per ipsum gratiam dixit, & Apostolatum ad omnes gentes accepisse. Ministerij autem genus, Euangelij est sacrificatio. Quae (dicet aliquis) haec est Euangelij sacrificatio? Non alia profectò quam pura Euangelij praedicatio, qua animae credentium populorum, quae Euangelium amplexantur, victimae Deo gratissimae offeruntur, de quibus inquit. VT FIAT OBLATIO GENTIVM ACCEPTA, ET SANCTIFICATA IN SPIRITV SANCTO. Hic est huius sacrificij fructus, vt gentes, quae Euangelij praedicatione offeruntur Deo, sint acceptae, & gratae, sint quoque sanctae: nam Euangelio credentes Spiritussancti virtute à peccatis expurgatae sanctitatem induunt, fiuntq; hostiae Deo charissimae, atque acceptissimae.

Euangelij sacrificatio quae.

Gentium oblatio quò sancta.

HABEO IGITVR.

DIXIT se Christi esse ministrum, & genus explicauit administrationis, nobilissimum illud quidem, cuius esset finis sanctissimus, sacrificium animarum Euágelio credentium Deo gratum, & acceptum, ac Spiritussancti virtute sanctum, & purum. Sed ne in ijs dictis suam spectasse gloriam putaretur, quid haberet vnde gloriari posset, ostendit dicens, HABEO IGITVR GLORIAM IN CHRISTO IESV, QVAE AD DEVM. Est aliquid, de quo mihi dicet gloriari. Quid illud? Quod modò dixi, Hanc à Deo accepisse insignem gratiam, vt essem Iesu Christi minister: quae quidem gloriatio de rebus est, quae ad Deum attinent; nam est de sacrificatione credentium Deo gratissima: quos ego, vt Iesu Christi minister, & Euangelij praedicator, tanquam selectas hostias immolo: est & de eorundem sanctitate, quae condonatis peccatis, Spiritussancti virtute perficitur. Gloriabatur ergo Paulus se, tanquam Iesu Christi ministrum, Deo sanctum, & inuiolatum offerre sacrificium; quod totum diuinae gratiae ascribebat, vt ex ijs, quae sequuntur, manifestat. Inquit

Pauli gloriatio.

quit enim? *NON ENIM AVDEBO ALIQVID LOQVI EORVM, QVAE PER ME NON EFFECIT CHRISTVS IN OBEDIENTIAM GENTIVM: IN VERBO, ET FACTIS; IN VIRTVTE SIGNORVM, ET PRODIGIORVM; IN VIRTVTE SPIRITVS DEI; ITA VT AB IERVSALEM, ET PER CIRCVITVM VSQ; AD ILLYRICVM REPLEVERIM EVANGELIVM DEI.* Tantum abest, vt de rebus mihi meis gloriandum existimem, vt ne hiscere quidem, nisi de rebus illis, quas me administro Christus effecit, decreuerim, vt omnis rerum illarum gloria in Christum Dominum, non in me ministrum transferatur, quarum ille erat finis, vt alienae à Iudaeis gentes Euangelio crederent, & obtemperarent, quod quidem cum verbo praedicationis Euangelij, tum factis admirabilibus perfectum est, quae si quis nosse cupit, eum audiat enarrantē. Inquit enim; *In laboribus plurimis; in carceribus abundantiùs; in plagis supra modum; in mortibus frequenter. A Iudaeis quinquies quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis caesus sum; semel lapidatus sum; nocte, & die in profundo maris fui. In itineribus saepe; periculis fluminum; periculis latronum; periculis ex genere; periculis ex gentibus; periculis in ciuitate; periculis in solitudine; periculis in mari; periculis in falsis fratribus. In labore, & aerumna; in jejunijs multis; in frigore, & nuditate. Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Quibus omnibus verbis, & factis addita mihi fuit miraculorum conficiendorum potestas, quibus doctrinae veritas confirmaretur, & potentia Spiritussancti. Neque enim vel mei, vel cuiusuis creati spiritus facultas tot, & tanta efficere vnquam potuisset, hoc praesertim, ab Ierusalem ad Illyricum vsque, & in omni, quae circa hos fines est, regione, magno cum fructu Christi Euangeliū praedicasse. Id enim opinor est, quod Paulus dixit, Euangelium siue Euangelij opus implere, aut perficere. Quid autem in hoc Euangelij praedicatione summo studio curauerit, adiunxit dicens. *SIC AVTEM STVDVI PRAEDICARE EVANGELIVM HOC, NON VBI NOMINATVS EST CHRISTVS, NE SVPER ALIENVM FVNDAMENTVM AEDIFICAREM.* Summam in hoc adhibui diligentiam,

Pauli vera in Christo gloriatio.

2.Cor.11.

Euangeliū implere qd.

tiam; idq; potissimùm obseruare conatus sum, vt Euangelium praedicarem, vbi non modò Euangelij, sed ne Christi quidem nomen auditum antea fuerat: nam ad praedicandum gentibus Euangelium destinatus sum, vbi nullum fidei, salutis, verae religionis iactum fuerat fundamentū: erat enim eis Christi nomen inauditum, & non quemadmodum Iudaei, prophetarum tot, & tanta de Christo vaticinia acceperant. In hoc autem à se impleri Esaiae vaticinium ostendit, cū inquit. *SED SICVT SCRIPTVM EST, QVIBVS NON EST ANNVNCIATVM DE EO, VIDEBVNT, ET QVI NON AVDIERVNT, DE EO INTELLIGENT.* Illud complere adnixus sum diuinum oraculum, quod praedictum longè ante haec tempora fuerat, gentes quibus Christum nemo promiserat, Christi gloriam in Euangelij praedicatione, & Apostolorum vita, & miraculis visuras: quaequè de Christo venturo nihil acceperant, eum iam venisse cognituras. Hanc autem adeò longè, lateq; patentem Euangelij praedicationem, ac res gestas, impedimento sibi fuisse, ne Romam accederet ostendit, dicens. *PROPTER QVOD ET IMPEDIEBAR PLVRIMVM VENIRE AD VOS.* Hoc illud est, quod huius Epistolae initio dixit. *Saepe proposui venire ad vos, & ad hoc vsque tempus prohibitus sum.*

Euangeliū à Paulo vbi praedicatum.

Paulus Esaiae implet vaticinium.

Psal. 42.

Cap. 1.

NVNC VERO.

POST haec, quae sancto spiritu auctore fecisse narrauit, quibus ab itinere Romano praepeditum fuisse dixit, quid instituisset, ac designasset, ostendit dicens. *NVNC VERO VLTERIVS LOCVM NON HABENS IN HIS REGIONIBVS, CVPIDITATEM AVTEM HABENS VENIENDI AD VOS EX MVLTIS IAM PRAECEDENTIBVS ANNIS, CVM IN HISPANIAM PROFICISCAR, VENIAM AD VOS.* Cùm nullus nunc mihi à Ierusalem ad Illyricum vsque, & circum eas regiones supersit locus vbi Euangelium non praedicauerim, & in eodem, quo multis iam annis laboraui, ad vos veniendi desiderio constanter incitatum, de quo supra dixit, *Desidero videre vos*, hanc diuturni huius

Paulus Romam cogitabat, et Hispaniam.

huius desiderij explendi rationem institui, vt in Hispaniam proficiscens, ad vos meum iter conferam, vos visendi gratia. Et hac quidem spe teneri se ostendit, cùm inquit. *SPERO ENIM PRAETERIENS VIDERE VOS; ET A VOBIS DEDVCI ILLVC, SI VOBIS PRIMVM EX PARTE EXPLETVS FVERO.* Sperabat Roma iter facere, ac Romanorum primùm consuetudine, familiaritate, hospitio, aliqua ex parte satiari, & ea potissimùm agere, quae de gratia spirituali, animorum confirmatione, & mutua consolatione suprà dixit: aliquos deinde eorum Hispanae viae duces, & comites habere. Sed priusquã Hispanum hoc aggrederetur iter, quid facturus esset, ostendit, ne admirarentur illi, si magis quàm putarent, & optarẽt, cunctaretur. Inquit autem. *NVNC AVTEM PROFICISCOR IN HIERVSALEM MINISTRARE SANCTIS.* Post Euangelij praedicationem vir sanctus non cessabat, sed id agebat, quod Iacobus, Cephas, & Ioannes ei commendauerant. Pauperum memor erat, & quod alijs ipse praeceperat, necessitatibus Sanctorum communicabat: quod quidem cùm de suis non posset, de aliorum facultatibus faciebat. Qua de re inquit. *PLACVIT ENIM MACEDONIAE, ET ACHAIAE COMMVNICATIONEM ALIQVAM FACERE IN PAVPERES SANCTORVM, QVI SVNT IN IERVSALEM.* Ecclesijs Macedoniae, & Achaiae ex animo placuit cum sanctis pauperibus Ierosolymitanis bona sua communicare: sic enim eleemosynam describit, qua rem familiarem cum egentibus benignè quisque partitur. Sed quid praecipuè in hac eleemosyna, & bonorum communicatione Macedones, & Achaei secuti fuerint, in eo videamus, quod sequitur. *PLACVIT ENIM EIS, ET DEBITORES SVNT EORVM.* Propensa quidem voluntate in hanc communicationem illi fuère; veruntamen eius quoque erant debitores, vt cum voluntarium, tum etiam debitum fuerit hoc eorum officium. Multi enim quod debẽt, praestant; sed nõ spontè, neque libenter. Quae verò esset huius debiti ratio, explanat, cùm inquit. *NAM SI SPIRITVALIVM EORVM PARTICIPES FACTI SVNT GENTILES, DEBENT ET IN CARNALIBVS MINISTRARE ILLIS.* Macedones, Achaeiq;

Paul⁹ pauperum memor. Gal. 2. cap. 12.

Eleemosyna.

Officiũ debitum, & voluntarium.

Achaeiq́ue, & alienae omnes à Iudaeis nationes Euangelij, & quae Euangelium comitantur sancti Spiritus innumerabilium donorum per Iudaeos ex Ierusalem egressos participes effectae, iure & merito Iudaeis debebant cum alimentis, alijsvè rebus ad vitam humanam traducendam necessarijs indigerent, quae carnalia appellauit, opem ferre. *HOC IGITVR CVM CONSVMMAVERO, ET ASSIGNAVERO EIS FRVCTVM HVNC, PER VOS PROFICISCAR IN HISPANIAM.* Ierosolymitano itinere confecto, ac fideliter reddito fructu bonae voluntatis Macedonum, & Achaeorum sanctis pauperibus, vt illum, tanquam clarissimum, accipiant gentium aliarum erga se charitatis monumentum, Romam cogito, & Hispaniam, quodquidem dicebat arcanum, ignorans diuinae de se voluntatis decretum. *SCIO AVTEM QVONIAM VENIENS AD VOS, IN ABVNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII CHRISTI VENIAM.* Nosse se, inquit, si Romã proficisceretur, implendã ea m esse vrbem copiosa Euangelij benedictione: quod perinde est, atque si diceret; longè, lateq; diffundendam esse Euangelij gratiam, in fide, & sanctis operibus positam.

OBSECRO ERGO.

DELIBERATIONIS huius felicem euentum Romanorum commendat precationibus dicẽs. *OBSECRO ERGO VOS FRATRES PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, ET PER CHARITATEM SANCTI SPIRITVS, VT PVGNANTEM ME ADIVVETIS IN ORATIONIBVS VESTRIS PRO ME AD DEVM.* Per id obtestatur, & obsecrat, quod Christo Christiani omnes debemus; & per amorem quem non natura, sed Spiritussanctus conciliat, & excitat: quae duo quantam in animis nostris vim habere oporteat, nemo, qui reuera Christianus est, ignorare potest. Obsecrat autem, vt precibus, tanquam spiritualibus armis, laborantem se, & decertantem adiuuarent, quemadmodum Moses, Iosue, & populo contra Amalechitas pugnantibus, magnam opem, auxiliumq; ferebat, dum in monte diuinum

Romanorũ precibus iuuari Paulus obsecrat.

Exod. 17.

COMMENDO.

ROMAM ex cenchraeis Corinthi portu proficiscebatur Phoebe insigni pietate, & religione mulier, quae & hanc deferebat Epistolam: quod quidem Graeci codices in fine Epistolae his verbis habent. Εγράφη ἀπὸ Κορίνθȣ διὰ φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν κεγχρεαῖς ἐκκλησίας. Hanc Paulus Romanis commendat, cū inquit. *COMMENDO AVTEM VOBIS PHOEBEN SOROREM NOSTRAM, QVAE EST MINISTRA ECCLESIAE, QVAE EST IN CENCHREIS.* Erat haec Christiana mulier: proinde sororem eam Paulus appellat: quam talem fuisse puto, qualem requirit Ecclesiae ministram: in ea, quae prima est ad Timotheum Epistola. *Vidua (inquit) eligatur non minus sexaginta annorum; quae fuerit vnius viri vxor; in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit; si hospitio recepit; si Sanctorum pedes lauit; si tribulationem patientibus subministrauit; si omne opus bonum subsecuta est.* Duo autem sunt, quae hac commendatione postulat, de quorum primo inquit. *VT EAM SVSCIPIATIS IN DOMINO DIGNE SANCTIS.* Excipi optat eam pro Christi omnium Domini laude, & gloria, qui Christianos homines hospitales esse iussit, & hilare, atq; libenter, quemadmodum decet sanctos, Dei spiritu duce, & auctore omnia agentes. De altero addidit. *ET ASSISTATIS EI IN QVOCVNQ; NEGOTIO VESTRI INDIGVERIT.* Poscit deinde, vt ei faueant, atq; auxilio sint quacunque in re eorum fauore, & auxilio opus esset: cuius quidem officij debitorem se esse ostendit, dicens. *ETENIM IPSA QVOQ; ASTITIT MVLTIS ET MIHI IPSI.* Magnae virtus foeminae, multis atque etiam ipsi Paulo fauorem, & auxilium attulisse, non in alio, opinor, quàm Euangelij negotio, vt quod pro ea nunc requiritur, multis ipsa antea praestiterit. Itaq; non tam beneficium, quàm beneficij remuneratio postulatur.

CAPVT XVI.

Phoebe soror.

1. Tim. 5.

Ecclesiae ministras quales esse oportet.

SALVTATE.

SANCTAE sequuntur, & Christianae salutationes, in quibus Sanctorum, qui Romae tum erãt, nomina discimus, & eximias virtutes, Pauli praeclaro, & illustri testimonio probatas. Inquit autem. *SALVTATE PRISCAM, ET AQVILAM ADIVTORES MEOS IN CHRISTO IESV.* Hi fortè sunt, de quibus fit in Actis Apostolorum mentio, Pauli hospites, & ὁμοτέχνοι: qui & Apollon virum eloquentem, & in diuinis scripturis eruditum, ac Euangelium fidenter sanè praedicantem, salutis rationem, & viam diligentiùs docuerunt. Sed siue hi, siue alij quicunq; fuerint, hoc certè nomine bonorum omniũ memoria digni sunt, quòd Paulo, Christi Iesu negotiũ agenti, Christi charitate, & amore inflammati, magno fuerint adiumento. Et quod omnium maximum est, verae, & non fallacis, aut fucatae charitatis argumentum, hoc est, quod sequitur. *QVI PRO ANIMA MEA SVAS CERVICES SVPPOSVERVNT.* Nihil omnino veriti sunt pro Pauli conseruanda vita mortis se periculis offerre: quod quidem facinus pulcherrimum gratissimum omnibus fuisse externarum gentium Ecclesijs, quibus Euangelium Paulus postea praedicauerat, ostendit dicẽs. *QVIBVS NON SOLVS EGO GRATIAS AGO, SED ET CVNCTAE ECCLESIAE GENTIVM.* Salutat quoque domesticam eorum familiam: cuius tantam esse nouerat in fide, & charitate copulationem, vt Ecclesiae nomine eam dignatus fuerit. Inquit enim. *ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORVM.*

Act. 18. *Prisca & Aquila.*

SALVTATE EPAENETVM DILECTVM MEVM, QVI EST PRIMITIAE ACHAIAE IN CHRISTO IESV. Omnium primus hic fuit, qui in Christum Iesum in Achaia crediderunt: qui ratione, tanquam Achaeorum primarius quidam vir, iure diligebatur à Paulo.

Epaenetus

SALVTATE MARIAM, QVAE MVLTVM LABORAVIT IN NOBIS. Multos haec sancta mulier Pauli, & sociorum eius gratia, labores susceperat.

Maria.

SALVTATE ANDRONICVM, ET IVNIAM COGNATOS, ET CONCAPTIVOS MEOS, QVI SVNT NOBILES IN APOSTOLIS, QVI ET

Andronicus, & Iunia.

ANTE

ANTE ME FVERVNT IN CHRISTO. Iudaei erāt, & eiusdem cum Paulo gentis; qui vnà cum eo in carcere fuerant, & vinculis: quorum illustris, & nota fides in honore apud Apostolos erat, ante Paulum à Christo vocatos.

SALVTATE AMPLIAM DILECTVM MEVM IN DOMINO. Pura, & casta diligendi ratio ei, quem diligas diuina velle, & optare bona, quae sempiterna sunt, & Deus solus elargitur. Id enim est, in domino diligere. *Amplias. Diligere in Dño.*

SALVTATE VRBANVM ADIVTOREM NOSTRVM IN CHRISTO IESV. Fuerat Vrbanus Paulo, & socijs Iesu Christi gloriam procurantibus, pro ea, qua accensus erat erga Christum, charitate, magno adiumento. *Vrbanus.*

ET STACHYN DILECTVM MEVM. De quo illa intelligi possunt, quae de Vrbano, & Amplia dicta sunt; quod in Domino à Paulo diligeretur, qui aliam diligendi rationem non agnosceret; & suorum laborum adiutor, & particeps fuisset. *Stachys.*

SALVTATE APELLEN, PROBATVM IN CHRISTO. De huius aduersus Christum fide, & charitate multa, & magna extabant nobilia, & spectata experimenta. *Apelles.*

SALVTATE EOS, QVI SVNT EX ARISTOBVLI DOMO. Aristobulo vita defuncto, eius salutat domesticos, & familiares, quorum forte nomina ignorabat. *Aristobuli domus.*

SALVTATE HERODIONEM COGNATVM MEVM. Et hunc, cùm natione Iudaeus esset, cognatum appellauit suum; sicut Andronicum, & Iuniam. *Herodion.*

SALVTATE EOS, QVI SVNT EX NARCISSI DOMO; QVI SVNT IN DOMINO. Cùm excessisset è viuis Narcissus, ex eius familia illos salutat, qui in fide Christi erant: fortasse enim non oēs tales esse acceperat. *Narcissi domus.*

SALVTATE TRYPHAENAM, ET TRIPHOSAM, QVAE LABORANT IN DOMINO. In magna sanctarum mulierum laude ponendum hoc est, quod in his, quae ad Domini Iesu Christi gloriam pertinerent, studiosae essent, & laboriosae. *Tryphoena & Triphosa.*

SALVTATE PERSIDEM CHARISSIMAM, QVAE MVLTVM LABORAVIT IN DOMINO. Haec quoq; bonorum omnium memoria dignissima mulier eadem de causa, qua superiores non mediocres, sed magnos, & *Persides.*

egregios susceperat labores, quorum gratia diligebat eam, atq; carissimam Paulus habebat.

Rufus, & mater eius. SALVTATE RVFVM ELECTVM IN DOMINO, ET MATREM EIVS, ET MEAM. Selectae, & diuinae potiusquam humanae virtutis virum hûc fuisse puto, cuius matrē, honoris gratia, suam Paulus appellat matrem: quod singulare est grauitatis, integritatis, pietatis, & sanctimoniae eius testimonium.

Asyncritus Hermas, Phlegon, Patroba. Hermes. Christiani fratres. SALVTATE ASYNCRITVM, PHLEGONTEM, HERMAN, PATROBAM, HERMEN, ET QVI CVM EIS SVNT FRATRES. Fidei, & charitatis multò arctior est, quàm Sanguinis communio. Rectiùs ergo Christiani omnes dicuntur fratres, qui vnum Deū, patris loco, habent, quàm qui paterno, maternoq; sunt sanguine coniuncti.

Philologus Iulia, Nereus cum Olympa sorore. Christiani sancti. SALVTATE PHILOLOGVM, ET IVLIAM, NEREVM, ET SOROREM EIVS, ET OLYMPAM, ET OMNES, QVI CVM EIS SVNT, SANCTOS. Quos fratres dixerat, sanctos nunc appellat. Illud enim charitatis; firmitatis hoc est, & cōstantiae nomen. Docentur autem his nominibus Christiani in fide, & charitate firmos oportere esse, & stabiles.

Osculum sanctum. SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. Mutuae pacis, casti amoris, & sanctae charitatis argumentum est osculum sanctum, quo significari cupiebat magnis ijs, diuinisq; bonis Romanos abundare.

SALVTANT VOS OMNES ECCLESIAE CHRISTI. Non suo tantùm sed fidelium omnium vbiuis gentium congregatorum nomine, salutem illis dicit. Studebat enim, diligēterq; curabat diuinus Apostolus eorum omnium, quos ad Euangelij lucem, atque veritatem perducebat, animos ad mutuam beneuolentiam, & charitatem, quàm maximè conciliare. Et huc quidem spectat haec Ecclesiarum omnium nomine salutatio.

ROGO AVTEM.

OST salutationes, quibus magnam erga Romanos beneuolentiam declarauit suam, cautos eos rogat esse, & prouidos aduersus sanctae Christianae, & verae

rae doctrinae aduersarios, quorum calliditate, & astutia in has venerant de lege, & gratia, de diebus, & cibis dissensiones. Inquit autem. *ROGO AVTEM VOS FRATRES, VT OBSERVETIS EOS, QVI DISSENSIONES, ET OFFENDICVLA PRAETER DOCTRINAM, QVAM VOS DIDICISTIS, FACIVNT, ET DECLINATE AB ILLIS.* Christianae doctrinae peruersi quidam interpretes; ac purae, & syncerae Euangelicae veritatis occulti aduersarij, discordias excitabant, & varias controuersias, quas alio loco μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις appellauit: alij verò immoderatae libertatis, ac licentiae studio in magno discedendi à fide periculo, parum firmos, & imbecilles constituebant. Tales erant, de quibus suprà disputatum est, Christiana libertate, nulla fraternae salutis habita ratione, immodicè vtentes, quos nunc obseruandos, vitandos, ac fugiendos monet. Qua verò vita, quibusuè moribus ij homines essent, & quo suas omnes dirigerent cogitationes, declarat dicens. *HVIVSMODI ENIM CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO NON SERVIVNT, SED SVO VENTRI, ET PER DVLCES SERMONES, ET BENEDICTIONES SEDVCVNT CORDA INNOCENTIVM.* Non quaerunt loquaces isti, & litigiosi homines gloriam Christi, & Euangelij propagationem, sed quaestu, & lucro ad suas explendas cupiditates ducuntur; blandisque sermonibus, & adulationibus simplices, puros, & nemini nocentes animos à veritate abducunt, à quibus secerni, & internosci nequeunt. Prudentes ergo, pro ijs, qui parum circunspecti sunt, & cauti, solicitos esse monet. Cuius quidem admonitionis rationem reddidit, cum inquit. *VESTRA ENIM OBEDIENTIA IN OMNI LOCO DIVVLGATA EST: GAVDEO IGITVR IN VOBIS.* Fidei vestrae fama, qua vocationi ad Iesu Christi Euangelium obtemperastis, ad omnes gentes permanauit, vbiq; cognita, & vulgata est, atque omnium sermone celebratur. Est ergo quod gaudeam de vobis, de quo Epistolae huius initio dixerat, *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Verùm hoc, quamuis magnum omnino bonum esset, non satis esse nunc ostendit, sed requirit, vt aduersus eos,

XLIX. *Dissensionum, et offendiculorum auctores deuitādi.*

Cap. 1.

eos, qui à simplici, & recta fide alios auertere fallaciter, & callidè nitebantur, cauti essent, & prouidi, de quo inquit.
2. *SED VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, ET SIMPLICES IN MALO.* Quorum laudabit obedientiam, eorum insuper ad bonum prudentiam, & animum ad malum simplicem requirit; vt per prudentiam in fide, & obedientia perseuerarent; seditionis, & discordiae concitatores, tanquam pestilentes homines, deuitarent; & inter eos discernerent, qui Iesu Christo, & Euangelio, & qui propriae auiditati seruirent, per animi vero ἀκεραιότητα, quae à recta fide, salutari obedientia, fraterna concordia abhorrent, ne agnoscere quidem vellent; neque eos, qui dissensiones, & offensiones spargerent, audire. Hoc autem (vt puto) est prudentem esse, sicut serpentem, & simplicem, sicut columbam. Tales quicunq; sunt, contrà agunt, atq; illi, qui (vt sanctus dixit Ieremias) sapientes sunt, vt faciant mala; benè autem facere nescierunt. Praenunciat demum, si tales essent, quales ipse optabat, laborum, ac miseriarum quietem, & securam animorũ tranquillitatem dicens. *DEVS AVTEM PACIS CONTERET SATANAM SVB PEDIBVS VESTRIS BREVI.* Quanquam vestris nequeatis viribus eum, qui vobis aduersatur, pacis, & bonorum omniũ insidiatorem superare; aderit tamen vobis pacis, & bonorum omnium auctor, & conseruator Deus, vestrumq; hostem non multò post sub pedibus vestris prostratum ab omni potentia, & virtute vacuum reddet. Quod cùm nullo vestro promerito assequi possitis, sed vna tantùm, quae semper, & vbiq; fidelibus optanda est diuina gratia, eam vobis adesse sic precor. *GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM.* Haec etenim vna prosternere Satanam, & profligare potest: haec inprimis vobis optanda: haec meam perficiet, atq; ad exitum perducet vaticinationem.

Prudentia ad bonum, simplicitas ad malum.

Mat. 10.

Iere. 4.

SALVTANT.

Timotheus. Lucius. Iason. Sosipater.

D salutationes reuertitur, & quos suo, & Ecclesiarum omnium nomine salutari iusserat, eisdem ab illis, qui secum erant, salutem dicit. *SALVTANT VOS TIMOTHEVS ADIVTOR MEVS, ET LVCIVS, ET IA-*

IASON, ET SOSIPATER COGNATI MEI. Erat Timotheus Pauli auxiliarius, socius, & consors gloriosi laboris, quem in alijs Epistolis modò filium charissimnm, & fidelem in Domino, modò suum vnanimem, modò fratrem, ministrum, καὶ συνεργὸν in Euangelio Christi appellat. Reliquos autem, cum essent Iudaei, suo more cognatos nominat, vt eos pariter, atq; alias gentes, quarum erat Apostolus amare se ostendat, & contra eos nullo odio, sed vnius veritatis amore pugnare. *SALVTO VOS EGO TERTIVS, QVI SCRIPSI EPISTOLAM, IN DOMINO.* Tertius, Pauli scriba, suam interposuit salutationem, & Pauli morem secutus, in Domino salutat: quod quidem est ei, quem salutaueris diuina optare, & salutaria bona. *SALVTAT VOS CAIVS HOSPES MEVS, ET VNIVERSAE ECCLESIAE.* Hospitalissimus hic erat, qui non vnum Paulum, sed omnem fidelium multitudinē hospitio recipiebat, itaq; beatissimus, cùm Christus dixerit: *Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet; & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicē aquae frigidae tantùm, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suā.* *SALVTAT VOS ERASTVS OECONOMVS CIVITATIS, ET QVARTVS FRATER.* Habebat Erastus aerarij curam, & dispensationem. Quartum autem fratrem appellat, vel quia Erasti germanus erat; vel quia hoc (vt dicimus) nomine, se mutuo appellabant omnes, qui Christiani erant.

2. Cor. 4. Phil. 2. 1. Thess. 3.

Tertius scriba.

Caius Pauli hospes, et omnis Ecclesiae.

Matt. 10.

Erastus. Quartus.

QVIA.

QVOD in prima Epistolae salutatione fecerat, hoc & in fine facit. Romanis, Christi gratiam precatur: Deo deinde, tanquam ei, à quo omnia prouenium, optanda, & expectanda bona sunt longiore, quadam, & obscuriore periodo, quae in Graecis nōnullis codicibus desideratur, gloria m exoptat sempiternam. Inquit autem. *GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN.* Breuis, & sancta precatio, qua-

I I. Fratrib. gratia, Deo

gloria exoptanda. qua salutarium omnium bonorum fons, & origo poscitur. EI AVTEM, QVI POTENS EST VOS CONFIRMARE IVXTA EVANGELIVM MEVM, ET PRAEDICATIONEM IESV CHRISTI, SECVNDVM REVELATIONEM MYSTERII TEMPORIBVS AETERNIS TACITI, QVOD NVNC PATEFACTVM EST, ET PER SCRIPTVRAS PROPHETARVM SECVNDVM PRAECEPTVM AETERNI DEI, AD OBEDITIONEM FIDEI IN CVNCTIS GENTIBVS COGNITI SOLI SAPIENTI DEO, PER IESVM CHRISTVM, CVI HONOR, ET GLORIA IN SECVLA SECVLORVM. AMEN. Obscura haec est, & longa periodus, corrupta, vt opinor, vel additamento, vel detractione alicuius particulae. Vt autem sensum exprimam, duo de Deo credenda proponit: alterum, eum esse, qui Romanos confirmare posset in fide Euangelij, quod hac Epistola descripsit: quod quidem nihil est aliud, quàm Iesu Christi praedicatio: nam (vt alio loco dixit) *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudaeis, atq; Graecis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* & in fide mysterij humanae salutis, quod ab omni aeternitate fuerat occultũ, & tunc per vniuersas mundi nationes diuulgatum, non Christi Iesu tantum, & Apostolorum praedicatione, verùm etiam Prophetarum scripturis, quae tum reserari, & intelligi coeperunt, idq; aeterno Deo iubente, vt omnes obedientiam, quae ex fide proficiscitur, amplecterentur. Hoc itaq; primum proposuit. Alterum est, eum solùm esse sapientem, qui & hoc humanae salutis mysterium, & rerum omnium rationes, & causas semper tenuisset. Quibus addidit illi vni seculis omnibus optandam esse summam cum honore gloriam per Iesum Christum. Nam sicut omnia à Deo per Iesum Christũ in nos bona emanarunt, ita per eundem honos, gloria, gratiarum actio in Deum referenda sunt: cuius diuino, & immortali merito & Eunageliũ, & adoptionem, & sacramenta, & vitae aeternae spem debemus. Illi ergo vnà cum Patre, & Spiritusancto sit semper, & vbique laus, honos, gloria, cuius est magnificentia, potentia, regnum, & imperium. AMEN.

Confirmatio in fide euangelij. *Euangelij praedicatio quae.* *1. Cor. 1.* *Salutis humanae mysterium.* *Deus solus sapiens.* *1. Par. 29.*

Aegi-

EGIDIVM Romanum Cardinalem Columnium cùm de ratione, & via, qua Pauli Epistolarum latentia, inuoluta, & obscura loca aperiri, euolui, & explicari possent, consuleretur, respondere solitum accepimus; hanc sibi videri ad eam rem proximam, & quasi compendiariam viam. Si quis id ageret, vt posteriorem earum Epistolarum partem, quae de Christianis moribus est, primùm legeret, intelligeret, vitaq; , ac factis exprimeret; deinde ad priorem, in qua de decretis, quae δόγματα philosophi vocant, subtiliùs, & acutiùs disputatur, accederet. Digna profectò tali, ac tanto viro sententia; cuius erat praeclara eruditio, atque doctrina; mores verò casti, religiosi, & integri. Videbat scilicet puros, mūdos, atque in diuinis praeceptis exercitatos animos faciliùs, atque procliuiùs obscuriora quaeq; penetrare posse. Contra verò qui quae clariora, & apertiora in sanctis libris sunt, negligunt, eos ab occultioribus, sanctioribusq; mysterijs, tanquam profanos à sacrarum aedium liminibus arceri. In quam sententiam haec verba scripta reliquit Augustinus. Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter viuat. Nequitia est autem, mundum istum diligere; & ea, quae nascuntur, & transeunt pro magno habere; & ea concupiscere; & pro ijs laborare, vt acquirantur: & laetari, cùm abundauerint; & timere, ne pereant; & contristari, cùm pereunt. Talis vita non potest puram illam, & synceram, & incommutabilem videre veritatem, & inhaerere illi, & in aeternum non moueri. Haec me potissimùm ratio impulit, vt post huius ad Romanos Epistolae Commentarium de ijs, quae de Christiana vita, & moribus Paulus praecepit, breues quasdam, quasi leges, proponerem, quò & minore negotio, ac labore memoria teneri, & in vita, studijs, actionibusq; nostris tanquam in speculis elucere possent. Sunt autem, quae sequuntur.

De agone Chri. c. 13.

LEX

EX CAP. XII.

I. CORPORIS proprij viuam Deo, gratam, ac perfectam hostiam immolato.
II. Ad inanes mundi huius appetitiones teipsum ne conformato.
III. Interiore, & exteriore habitu in aliam formam permutatum te esse ostendito.
IIII. Ne intemperanter, & supra modum, sed ad fidei mensuram de teipso sentito.
V. Prophetae, ministri, doctores, hortatores liberales, praesides benigni vestra munera, vt decet agunto: & aliorum alij munus ne vsurpanto.
VI. Sine simulatione diligito.
VII. Malum tantùm odio habeto.
VIII. Bonum tantùm amore complectitor.
IX. Fraterna omnes charitate prosequitor.
X. Honorem deferendo, alios anteuertito.
XI. Diligens esto, & impiger.
XII. Spiritu ferueto.
XIII. Deo, tanquam Domino, seruito.
XIIII. De rebus, quae sperantur, gaudeto.
XV. Res aduersas aequo animo sustineto.
XVI. Preces sanctißimas frequentato.
XVII. Sanctorum indigentijs succurrito.
XVIII. Hospitalis esto.
XIX. Vexatoribus tuis benè, non malè precator.
XX. Cum laetis laetator: cum tristibus tristator.
XXI. Quod alteri cuipiam accidit, in te esse reputato.

Subli-

Sublimia de te tibi ne persuadeto. XXII.
Humilibus te ipsum accommodato. XXIII.
Arrogans penes temetipsum esse caueto. XXIIII.
Malum malo ne compensato. XXV.
Quaecunq; agis omnia bona, vt videantur prouideto. XXVI.
Pacem cum omnibus hominibus habeto. XXVII.
Iniurias per teipsum ne vindicato. XXVIII.
Irae cedito. XXIX.
Bonum pro malo referto. XXX.
Malo ne succumbito. XXXI.
Bonum malo superato. XXXII.

EX CAP. XIII.

Principibus, & magistratibus subiectus esto, atq; ex animo obtemperato; non poenae tantùm sed etiam conscientiae causa. XXXIII.
Debita vnicuiq; soluito: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem honorem. XXXIIII.
Nihil cuiquam praeter charitatem debeto, cuius debitum perpetuum esto. XXXV.
Commessationes, ebrietates, cubilia, impudicitias, contentionem, aemulationem ne sectator: sed Christianis moribus, & legibus viuito. XXXVI.
Carnem tuam curato: verùm eius cupiditatibus ne obtemperato. XXXVII.

EX CAP. XIIII.

Fide robustus imbecillum ne spernito. XXXVIII.
Imbecillis robustum ne iudicato. XXXIX.

XL. *Quaecunqꝫ agis, Deo non displicere, in mente tua certissimus esto, plerophoria illa, quae omnem excludit dubitationem.*

XLI. *Si viuas, Christo Domino viuito; si moriare, eidē mortem obito: ac siue viuas, siue moriare, Domini te esse agnoscito.*

XLII. *Erroris, & prolapsionis occasionē fratribus ne admoueto.*

XLIII. *Regnum Dei in escae, & potus licentia ne collocato; sed in iustitia, pace, & gaudio, quod à Spiritusancto proficiscitur.*

XLIIII. *Quae pacis sunt, & mutuae aedificationis, persequitor.*

XLV. *Fratrem in salutis periculo ne constituas: pane quoqꝫ, & vino abstineto.*

XLVI. *Omnem actionem, quae fidei non congruat, peccatū esse decernito.*

EX CAP. XV.

XLVII. *Ne vni tibi, sed Christi exemplo, proximo quoqꝫ tuo in bonum, & aedificationem placere studeto.*

XLVIII. *Ad salutem omnes tam Iudaeos, quàm gentes alias, Christi eiusdem exemplo, inuitato.*

EX CAP. XVI.

XLIX. *Offensiones, & dissensiones afferentes obseruato; atque ab eis declinato.*

L. *Ad bonum prudens; simplex autem esto ad malum.*

LI. *Fratribus Dei gratiam precator; Deo autem gloriam sempiternam exoptato.*

HIE-

HIERONYMI SERIPANDI

S.R.E. CARDIN.

IN EPISTOLAM DIVI PAVLI AD GALATAS, *COMMENTARIA.*

EIVSDEM AD NONNVLLAS QVÆSTIONES ex textu Epiſtolae Catholicae Reſponſiones.

QVIBVS EXPLOSIS HAERESIBVS vniuerſa Apoſtoli doctrina, qua polleat veritate, oſtenditur.



Cur nuce praedura nucleos fert Pontica Pinus
Nectareos? cauſſa eſt: vtiliora latent.



DOCVMENTVM.

OMNIS librorum sanctorum series ad nostram salutem scripta est:&hoc maximè nostris auribus intonat; iterum, atq; iterum replicat; quid sit homini cauendum, vel sequendum. In quibus libris tua dignitas optimè exerceri solet, quia per illos nobis loquitur ipse Deus, & Dominus noster; & piæ nobis suae voluntatis demonstrat affectum. Recognoscamus ergo, & recogitemus, quali honore nobis illius legatio sit accipienda. Quòd si legatio à Rege, aut à Iudicibus ad nos veniret, nunquid non mox alijs curis postpositis prompta voluntate cum omni deuotione literas acciperemus;& legentes implere satageremus? Ecce de coelo Rex Regum, & Dominus dominantium Redemptor noster per Prophetas, & Apostolos dignatus est nobis dirigere literas suas: non vt aliquod sibi seruitium necessarium demandet; sed quae ad salutem, & gloriam nobis prodesse possint, innotescat. *Ex Aug. lib. de Salutaribus documentis, cap. 9. tom. 4.*

ARGVMENTVM.

FALSI, & mendaces apostoli, qui Galatarum Ecclesias à Paulo rectè, pieq; constitutas perturbarunt, aduersus quos scripta est ad Galatas Epistola, in ea fuère haeresi, quam Cherintus, & Hebeon secuti postea sunt. Qui (vt Hieronymus ad August. scripsit) in Christum credentes, propter id vnum à patribus aqua, & igni interdicti sunt, & anathematis percussi grauissima poena, quòd legis ceremonias Christi Euangelio commiscerent; & sic noua amplecterentur, vt vetera non dimitterent. Quibus ergo argumētis & Galatas in hanc falsam opinionem, erroremq; turbulentū raptos doceat Apostolus, & hanc haeresim coarguat, atq; depellat, attendamus.

Cherinti, & Hebeonis haeresis.

IN

IN D. PAVLI AD GALATAS EPISTOLAM COMMENTARIA.

PAVLVS.

ECESSITATE Paulus astrictus, initio huius Epistolae ostendit se à Deo accepisse praedicandi Euangelij facultatem. Nam cùm de legis imbecillitate (quod ad iustificationem attinet) tractare cogeretur, & legem diuinam esse, hoc est à Deo per Mosen datam, communi Christianorum omnium consensu, & approbatione confirmaretur; de illius vsu, & potestate, quatenus scilicet progrediatur, statuere absq; diuina auctoritate inconsideratissimae profectò fuisset, ac dementissimae temeritatis. Propterea in ipsa huius Epistolae salutatione, & qua ratione diuinae suae legationis amplitudinem acceperit, exponit: & hanc Epistolam non suo tantùm priuato; sed & eorum omnium, qui vnà cũ ipso erant, nomine scribit: quo sese illorum quoq; consilio vsum, & hanc, de qua agit, rem totam cum illis deliberasse prorsus ostendat. More autem, institutoq; suo à proprio nomine facit initium. *PAVLVS.* cui alterum diuinitùs sibi collatae legationis adiungit. *APOSTOLVS.* Vnde verò amplissimus iste sibi contigerit dignitatis gradus explanare cùm vellet, contra falsos primùm Apostolos: qui vt nonnihil de summa Pauli auctoritate minuerent, rumores sparserant, ipsum ex aliorum Apostolorum consilio, & auctoritate legatum fuisse, inquit: *NON AB HOMINIBVS.* Et quia illi quoque, qui à Deo legantur, saepenumero per interiectum aliquem hominẽ

SALVTATIO.

Euangelij praedicandi facultas à Deo esse debet.

legari consueuêre; ne sic à Deo legatus existimaretur, adiunxit. *NEQVE PER HOMINEM.* Quod deinde restabat, à quo scilicet legationem accepisset, Apostolusuè delectus esset, sic exponit. *SED PER IESVM CHRISTVM.* Deum scilicet, & hominem, à quo Paulum selectū fuisse constat, & vocatum, vt multa pro eius nomine aduersa tolcraret, atque illud ad gentes, reges, & filios Israel deferret. *ET DEVM PATREM.* Cuius nutu, atque potestate per IESVM CHRISTVM sanctissimè, ac prouidentissimè administrantur omnia: id quod Christus ipse apertè, palamq; confessus est. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quaecunq; enim ille fecerit, haec & Filius similiter facit.* *QVI SVSCITAVIT EVM À MORTVIS.* Adiunxit hoc, vt tempus designaret, quo vocatus fuerat, & creatus Apostolus: cùm scilicet Christus Iesus à mortuis surrexisset, atque omnem à Patre iam accepisset in coelo, & in terra potestatē. *ET QVI MECVM SVNT OMNES FRATRES.* Qui in causa, de qua scripturus sum, omnes vna mente, vna voce consentiunt. *ECCLESIIS GALATIAE.* Multae erant in Galatia Christianorum hominum congregationes; ad quas omnes cū à falsis essent Apostolis decoptae, scribit: sed suo primum more, & instituto salutat. *GRATIA VOBIS, ET PAX À DEO PATRE.* Hominibus, qui Deo patri grati, acceptiq; non sunt, nulla potest solida, veraq; contingere pax. Proinde consueuit semper Apostolus cum Dei gratia coniungere pacem. *ET DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO.* Per quem, & haec, & diuina omnia munera deriuantur in homines. Sed cùm de Christo dixisset, quòd Pater illum à morte excitasset; ne quis de ea morte humiliter, ac demissè sentiret, eius mysteria per quam breuiter perstringit, atque attingit. Sunt autem haec. Quòd spontè oppetita, & voluntaria fuerit. *QVI DEDIT SEMETIPSVM.*

1. Sanguinem scilicet, ac vitam, nulla vi coactus, sua spontè ac voluntate profundens. Quòd pro nostra salute suscepta. *PRO*

2. *PECCATIS NOSTRIS.* Qua morte, atque supplicio persoluta poena, nostra sunt omnia scelera expiata. *VT ERIPERET NOS DE PRAESENTI SAECVLO NEQVAM.* Qua morte illud est etiam factum, vt nos quoq; vitijs, pestiferisq; cupiditatibus commoreremur, atque ita

Pauli electio, & vocatio.

Galatiae à falsis apostolis decepti.

Pax cum gratia cur coniuncta.

Mortis Christi mysteria.

ita eriperemur ab huius mundi improbitate, & malitia, quae nouis semper illecebris, & inuitamentis ad peccandum vel repugnantes trahere solet. Quòd paternae in ea voluntati obtemperatum sit: *SECVNDVM VOLVNTATEM* 3.
DEI, ET PATRIS NOSTRI. De quo, alio loco *Phil. 2.*
dixit: Factus obediens vsque ad mortem. Quòd pro maximo hoc, & immortali beneficio, in omni aeternitate 4.
Deo Patri gloria debeatur: *CVI EST GLORIA IN SAECVLA SAECVLORVM.*

Salutatis igitur Galatarum Ecclesijs, & enumeratis per quandam quasi summam, mortis Christi mysterijs, Hebraea vtens syncerae, ac perpetuae veritatis nota (quemadmodum in rebus grauioribus consueuit) inquit. AMEN.

MIROR.

CAPVT I.

ALVTE suo more dicta, ab admiratione primam facit ingressionem, sed; illo verbo *MIROR*, admiratione vehementer affectum; & quasi obstupefactum ostendit. *QVOD TAM CITO*. Neq; enim prudentis est, & considerati hominis, de gradu deijci, ac statu leuiter dimoueri suo. *TRANSFERRIMINI*. Aliorum consilijs, & suasionibus auferri vos, & trãsportari sinitis. *AB EO, QVI VOCAVIT VOS*. Deo patre scilicet, qui mea vos Euangelij praedicatione vocauit. De quo vocatu dixit Christus: *Nemo venit ad me: nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* *IN GRATIAM CHRISTI*. A quo vocati estis, non vt in statu legis per Mosen promulgatae, sed in statu gratiae conciliatae per Christum, collocaremini; in qua vna, omnia sunt salutis adipiscendae fundamenta firmissima: cuius ope, nos ipsos sustentare syncera Euangelij praedicatione iubemur. *IN ALIVD EVANGELIVM*. Aliam quandam vobis nunciatam adipiscendae salutis rationem, ea diuersam, ad quam à Deo patre accersiti estis, & mea praedicatione didicistis. Ne vero Galatae dicerent. Nos neq; à gratia Christi, neq; ab Euangelio abs te praedicato abducti sumus. Vt ostendat se rectè tenere in quam fraudem inducti, & quo essent errore imbuti, quasi quod dixerat corrigens, inquit. *QVOD NON EST ALIVD*. Vsquequaq; scilicet, ac penitus: cùm discessionem à Christo apertè nõ doceat, & aliquid illius gratiae relinquere videatur loci. Quanquam autem non sit prorsus aliud; duo tamen secum incommoda fert: quorum ratione rectè aliud nũcupari potest. De primo inquit. *NISI SVNT ALIQVI, QVI VOS CONTVRBANT*. Hoc primum est, in quo Euangelium istud, à nostro quàm lõgissimè discedit, quòd in eo, illi ipsi, à quibus praedicatur, animorum vestrorum commotiones, ac varias perturbationes quaerunt. Magnae quippe cum in animis, tum in sermonibus Christianorum hominum confusiones, odia, dissensiones, quin etiam seditiones oriebãtur, ex disceptatione de lege Mosis; quam cum Euangelio, hoc est gratia Christi, miscere, &

Ioan. 6.

Vocati in gratiam Christi.

Euangelium aliud in qd Galatae à falsis apostolis translati erant.

Dissensiones de lege Mosis.

& temperare falſi vbiq; nitebantur Apoſtoli. *ET VOLVNT INVERTERE EVANGELIVM CHRISTI.* Alterum eſt, quòd ſuo hoc Euangelio non modò vos perturbare: ſed & germanum Chriſti Euangelium, gratiam ſcilicet Chriſti, ad quam vocati eſtis, immutare, ac deprauare ſtudet: dum infirmum, imbecillum, & ad dandam per ſe ſine legis adminiculo ſalutem parum potens reddunt. Quod tamen (vt ad Ro. ſcripſit) *Potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti.* *Euangelij deprauatio.* *Rom. 1.*

SED LICET NOS.

VANTOPERE ab huiuſmodi Euangelij praedicatoribus (quicunq; illi eſſent) cauendum, ac declinandum eſſet, horribili quadam, & formidabili, biſq; repetita execratione ſancit, atq; decernit: qua nulla poteſt homini in terris grauior accidere, aut ſeuerior *SED LICET NOS.* Apoſtoli, qui iam vobis Chriſti Euangelium praedicauimus. *AVT ANGELVS DE COELO.* Tam naturae, quàm gratiae diuinae gradu nobis ſuperior; nō terrae, ſed coeli incola. *EVANGELIZAVERIT VOBIS PRAETER ID, QVOD EVANGELIZAVIMVS VOBIS.* Diuerſum aliquid, quod Euangelio noſtro deprauationem, inuerſionem, aut commutationem afferat aliquam. *ANATHEMA ESTO.* Publicae execrationis, grauioris iudicij, durioris animaduerſionis, notatio quaedam cenſoria eſt: qua quicunq; mulctatur homo, tanquam immanis & pernicioſa beſtia, tanquam miſera, deteſtabilis, & execranda peſtis, aliorum hominum aditu, ſalutatione, congreſſione, ſermone, indignus iudicatur: velut quem oderit Deus, & à cuius conſuetudine abhorreant homines. Quam quidem ſententiam iteratis geminatiſq; verbis, redintegrat, ac renouat: vt magno conſilio, magna deliberatione, magna cauſa, oſtenderetur lata, pluſquam haberet virium, ac firmamenti. *SICVT PRAEDIXIMVS, ET NVNC ITERVM DICO.* Hiſdem penè verbis. *SI QVIS.* Siue Apoſtolus verè à Chriſto ſelectus, ſiue Angelus ex ijs qui coelum incolunt, & propius abſunt à Deo. *VOBIS EVANGELIZAVERIT PRAETER ID QVOD ACCEPISTIS.* Diuerſum ab eo, quod non modò nos praedicauimus,

Execratio. *Anathema.* *Execrationis iteratio.*

uimus, sed & vos religioso pioq; cultu recepistis. *ANATHEMA ESTO.* Intolerandus scilicet, ac minimè audiendus. *NVNC HOMINIBVS SVADEO, AN DEO?* De hac sanctione quaerit. Videor nè nunc in hac mea sanctione ad hominum, an ad Dei voluntatem, loqui, & sermonem accommodare meum? Vtitur autem verbo πείθω. quoniam suasores qui appellantur, quibus suadere aliquid volunt, ijs primum blandiri, seseq; insinuare, atque illorum auribus magnam sui sermonis partem dare consueuerunt. Eandem autem interrogationem apertiùs replicat, & dilucidiùs. *AN QVAERO HOMINIBVS PLACERE?* Vtrum hominum vobis videor, an Dei gratiam, & beneuolentiam captare? Et re quidem ipsa patet, Paulum neq; hominis cuiusquam, neq; etiam Angeli voluntatem praesenti edicto atq; decreto, ad se allicere potuisse: quo interdixit communiter, & promiscuè omnibus, ne diuersum quicquam ab eius Euangelio praedicarent. Vnius igitur Dei mentem, atq; consiliū, hoc est veritatem ipsam, secutus sine dubio est, ac propterea sibi ipse respondet. *SI ENIM ADHVC HOMINIBVS PLACEREM.* Nam si vt hominibus carus essem & iucundus, non ad veritatem, sed ad illorum sensum, & voluntatem, sermones etiam nunc accomodarem meos. *CHRISTI SERVVS NON ESSEM.* Nam Christo veritatis confessione, absq; vlla crudelium etiam tyrannorum formidine, maximè seruiendum est. Quamobrem cùm dixisset Christus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:* Conclusit. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.*

Hominib' et Deo suadere quid.

Placere hominibus.

Matt. 10.

NOTVM AVTEM.

NSIMVLABANT Apostolum improbi, ac temerarij accusatores, cum inconstantiae, tum etiam arrogantiae. Inconstantiae, partim quòd subdifficilem de legis necessitate quaestionem, de qua tum graues admodum erant conflictiones non vbiq; pariter, & apud omnes dirimeret, atq; absolueret: partim verò, quòd sua ad rem verba non conferret, cùm legis

Inconstantia Paulo obiecta.

legis ceremonias quasdam post praedicatum quoq; à se Euangelium seruasse depraehensus fuisset. Arrogantiae, quòd se aequaret, atq; adeo praeferret interdum summis Apostolis, discipulus magistris, intima cum Christo familiaritate coniunctis, qui Christum de facie nunquam nouisset, doctis ex disciplina Christi, rudis & imperitus hominum auditor; legatis à Deo, legatus ab homine. Et primum quidem huius criminationis caput, magna depulit efficacitate, cum se, & reliquos omnes execrandos esse iussit, si quid docerent ab Euangelio diuersum, quod ipse Galatis praedicauerat. Quo plane declarauit, vbiq; se ac semper, de quaestione, & pugna legis, & Euangelij pariter, atq; in Galatia statuisse, decidisseque. Nam quae à seruatis quandoque legis ceremonijs argumentatio ducitur, alio loco diluetur aptius. Ad alterum ergo se confert accusationis caput, vt demonstret nihilo se inferiorem esse summis Apostolis, quandoquidem non modò legationem, sed & Euangelium (hoc est optimum, & optatissimum nuncium) gentibus praedicandum accepisset, non ab homine aliquo, sed à Domino Iesu Christo, quemadmodum & illi.

Arrogantia Paulo obiecta.

Paulus magnis Apostolis nihilo inferior.

NOTVM AVTEM VOBIS FACIO FRATRES EVANGELIVM, QVOD EVANGELIZATVM EST A ME. De Euangelio, quod vobis praedicauimus, à quo tanquam de militari via, quae nihil habeat insidiarum, neque hominum, neque Angelorum cuiquam decedere fas esse sancitum est: illud vobis notum esse volumus, atque testatum. *QVOD NON EST SECVNDVM HOMINEM.* Quo dicto quid intellexerit, statim explanat. *NEQ; ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLVD, NEQ; DIDICI.* Non est secundum hominem: quia neq; eius praedicandi Euangelij potestatem, neq; doctrinam, vlli homini, qui mortalis esset, acceptam referre possum. Vnde ergo haberet, vtrunque, perspicuum facit. *SED PER REVELATIONEM IESV CHRISTI.* A Iesu Christo, qui quasi materia quaedam est, quam tractet, & in qua versetur Euangelium, & ius legationis accepi, & omnium quae nunciare oportebat, notitia & informatio quasi quaedam, in animum meum influxit.

Euangeliũ Pauli non secundum hominem.

Paulus à quo Euangelium acceperit.

AVDISTIS ENIM.

Pauli vitae pars prima.

EX omni vitae ſuae parte, ac munere probat, nulla alia ratione, ſeu via, niſi Domini noſtri Ieſu Chriſti diuina inſtitutione, & afflatu, Euangelij doctrinam ſe eſſe conſecutum: ac primùm ex ea vitae ratione, qua vtebatur, antequam vllus ſibi diuino munere contigiſſet Euangelij inſtinctus. *AVDISTIS ENIM CONVERSATIONEM MEAM ALIQVANDO IN IVDAISMO.* Qualis eſſem, & quid agerem, cum in Iudaeorum lege, & religione verſarer, iam accepiſtis: vt nihil neceſſe ſit eam vitae meae partem, ac rationem deſcribere longiùs. *QVOD SVPRA MODVM PERSEQVEBAR ECCLESIAM DEI.* Immoderatè, ac nimium Chriſtianorum hominum coetus diſturbare, & perdere ſtudebam. *ET EXPVGNABAM ILLAM.* Alios tanquam reos in carcerem contrudens; aliorum lapidationi, & neci conſentiens; nonnullos armis repellens, ac fugans; multos in latebras, quibus ſeſe occultarêt, impellens. Et de hac hoſtili planè expugnatione, Chriſto Domino mandanti vt Saulum quaereret, reſpondit Ananias, *Domine, audiui à multis de viro hoc, quot mala fecerit Sanctis tuis in Hieruſalem: & hic habet poteſtatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* *ET PROFICIEBAM IN IVDAISMO SVPRA MVLTOS COAETANEOS IN GENERE MEO.* Aliud erat illius vitae partis munus. Dabam operam, vt magnos facerem progreſſus in Iudaeorum legis doctrina, moribusque diſciplina, ita vt multos anteirem eiuſdem gentis & aetatis, qua ipſe tum eram. *ABVNDANTIVS AEMVLATOR EXISTENS PATERNARVM MEARVM TRADITIONVM.* Cauſa verò cur tantopere proficerem, ea fuit, quòd acri quodam, & vehementi ſtudio incitabar, mores & ritus imitandi, quos à patribus traditos acceperam. Et ex hac quidem vitae parte conſtat, non potuiſſe Paulum, cùm Euangelij Doctores inſectaretur, exagitaretque, ac tota mente in legis doctrinam, & patrios mores incumberet, Euangelium apud aliquem hominem diſcere.

Pauli Iudaiſmus.

Paul⁹ Eccleſiae Dei expugnator.

Act. 9.

Pauli i Iudaiſmo profectus.

Paternae traditiones

CVM

CVM AVTEM.

AD alteram accedit vitae suae partem, ex qua idem efficit. Declarat enim praedicatum à se fuisse Euangelium, nullo antea quaesito humanae siue potestatis, siue doctrinae adiumento, diuino tantùm inflatu, & impetu incitato. *CVM AVTEM PLACVIT DEO*. Sed cum Deo ex suae voluntatis propensione cordi fuit. *QVI ME SEGREGAVIT EX VTERO MATRIS MEAE*. Me nihil adhuc sentientem, & tanti beneficij ignarum, in lucem edidit. *ET VOCAVIT PER GRATIAM SVAM*. Me illius aduersantem, ac repugnantem voluntati: qui eius Ecclesiae molestiam inimicè exhibebam; cuius etiam exitium tametsi per imprudentiam, meditabar; gratuito ad se vocauit. *VT REVELARET FILIVM SVVM IN ME*. Hoc primum est, quamobrem me vocauit, vt Iesu Christi Filij sui notitiam, menti ingeneraret meae. Quo verbo, totius Euangelij summa concluditur, atque comprachenditur. *VT EVANGELIZAREM ILLVM IN GENTIBVS*. Alterum hoc est, cuius gratia me Deus vocauit, vt Iesum Christum filium suum, intimè mihi perspectum, & cognitum (hoc est Euangelium) illis praedicarem nationibus, quae nullam diuinae huius veritatis cognitionem acceperant; nulla fuerant adhuc salutari doctrina, à falsis opinionibus, prauis erroribus, anilibus superstitionibus liberatae. *CONTINVO NON ACQVIEVI CARNI ET SANGVINI*. Mox Iudaeorum gentem naturae mihi, & sanguinis cognatióne coniunctam, neglexi. Nam nullo communicato cum illis consilio, ad externas nationes profectus sum, cum quibus, omne est Iudaeis commercium graue, & odiosum. *NEQVE REDII HIEROSOLYMAM AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS*. Et cum Hierosolymae essent, qui ante me hanc Filij Dei notitiam; hoc Euangelium, hanc legationem diuino munere consecuti fuerant, ad illos non accessi: cùm de his rebus, vt instituerer, & erudirer, non indigerem. *SED ABII IN ARABIAM*. De praedicatione, & rebus in Arabia gestis, nulla extat, quam viderim, historia. *ET ITERVM REVERSVS SVM DAMASCVM.*

Pauli vitae pars altera.

Pauli vocatio.

Euangelij totius summa.

Pauli in Arabia praedicatio.

Paulus iterum Damasci.

SCVM. Vbi ea acciderunt, quae narrauit Lucas. Act. cap. 9.

DEINDE.

OST ANNOS TRES REDII HIEROSOLYMAM. Anno verò tertio post praedicatum à me Euangelium, & varias cum Iudaeis, & gentibus disceptationes, cùm nemo suspicari posset, aliorum me doctrina egere, Hierosolymam reuerti: vnde cum potestate egressus fueram perdendi, ac profligandi Ecclesiam Dei: cùm prope Damascum, Dominum Iesum Christum vidi, ac loquentem audiui. *VIDERE PETRVM*. Non doctrinae gratia, sed reuerentiae, & obseruantiae aduersus Principis Apostolorum summam dignitatem. *ET MANSI APVD EVM DIEBVS QVINDECIM*. Quo exiguo dierum spatio, illa contigerunt, quae apud Lucam leguntur, Act. cap. 9. *ALIVM AVTEM APOSTOLORVM VIDI NEMINEM, NISI IACOBVM FRATREM DOMINI*. Qui Iacobus Alphaei dicebatur. *QVAE AVTEM SCRIBO VOBIS, ECCE CORAM DEO QVOD NON MENTIOR*. Cùm ab hac rerum à se gestarum narratione, totius rei, quam Galatis probare contendebat, veritas penderet, grauiora quaedam quae restant, non nisi iuratus voluit recensere: ac propterea inquit. Quae vobis per Epistolam narro, Deo praesente, & audiente narrare me existimo; proinde ementiri, & fingere non auderem. *DEINDE VENI IN REGIONES SYRIAE, ET CILICIAE*. Cùm multae Paulo Hierosolymis insidiae ponerentur, deductus est à fratribus Caesaream, & Tarsi relictus, quod est in Cilicia oppidum.

Paulus Ierosolymam reuersus.

Paulus in Syriam venit, & Ciliciam. Act. 9.

ERAM AVTEM.

RAM AVTEM IGNOTVS FACIE ECCLESIIS IVDAEAE, QVAE ERANT IN CHRISTO. Et ex Christianis omnibus, qui tum erant in Iudaea congregati, nemo erat, cui de facie cognitus essem. *TANTVM AVTEM AVDIEBANT*. Illud

solum

solum fama, & auditione acceperant. *QVONIAM QVI PERSEQVEBATVR NOS ALIQVANDO.* Ille per quem olim nobis neque consistere, neq; quiescere licebat: cuius metu Hierosolymis vsq; adeo perterrefacti erant Christiani, vt se cum eo coniungere formidarent, neq; illum verè, atque ex animo Christianum esse crederent. *NVNC EVANGELIZAT FIDEM, QVAM ALIQVANDO EXPVGNABAT.* Ille idem nunc non solum profitetur, sed praedicat Euangelium: cuius causa Christianos homines quietos agere non sinebat, & innumeris afficiebat malis. *ET IN ME GLORIFICABANT DEVM.* Meae huius conuersionis, Deo, bonorum omnium auctori, gratias, laudes, & gloriam, laeti, alacresquè tribuebant.

Act. 9.

Deo gratiae p Pauli conuersione.

DEINDE.

CAPVT II.



VATVOR erant, quae falsi apud Galatas Apostoli, absenti Paulo in magnis criminibus obijciebant. Primum, quòd de legatione se, & suo Euãgelio magnificentius iactaret: qui neq; ius legationis, neq; Euangelium à Christo Domino accepisset vnquam. Alterum, quòd de quaestione legis, & Euãgelij, non vnum atq; idem sentiret cum primarijs, & excellẽtibus Apostolis; de quibus constabat, inter omnes à Christo Doctore summo, omnibus de rebus edoctos fuisse. Tertium, quòd eius verba rebus esse contraria viderentur: legem enim abrogabat, & Timotheũ circũcidebat, de ceremonijs detrahebat, & Nazaraeorum ritum Cẽchris primùm raso capillo, deinde Hierosolymis (auctore Iacobo) cum alijs quatuor viris, ex legis consuetudine expiatus, summa religione seruabat. Postremum, quòd praecellentibus Apostolis se exaequare, atq; etiam repugnare non vereretur; qui à principio, in Christi gremio, atq; sermone fuerant educati; Ecclesiae Dei nunquam infesti, aut inimici; in quorum siue dictis, siue factis, perpetua extiterat constantia, firmitas, perseuerantia. Et primam quidem criminationem satis, superq; reijcit, ac falsam esse conuicit, ex ijs quae illi in vita contigerant, tam antea, quàm in illa ipsa sua repentina, & admirabili conuersione, necnon aliquot postea subsequentibus annis. Ad alias nũc depellendas accedit, ex fideli similiter earum rerum narratione, quae secundum ea illi acciderant, & de altera inquit. *DEINDE POST ANNOS QVATVORDECIM.* A mea conuersione, & Christi Iesu, seu Euangelij dilucida cognitione, & intelligentia. *ITERVM ASCENDI HIEROSOLYMAM.* Itineris huius causam, & historiam, pura & perspicua claritate scripsit Lucas Actorum cap. xv. *CVM BARNABA.* Qui Luca referente, cum alijs quibusdam ab Antiochena Ecclesia, collega illi fuerat adiũctus. *ASSVMPTO ET TITO.* Non absq; diuina prouidentia, quòd mox liquebit. Titum professione Christianum; natione non Iudaeum, sed Graecum hominem, in comitatum receperunt. *ASCENDI AVTEM SECVNDVM REVELATIO-*

Paulo obiecta à falsis apostolis. Iactantia. Dissensio à magnis Apostolis. Inconstantia in factis. Act. 16. 18. 21.

Arrogãtia.

De Iactãtia.

De dissensione à magnis Apostolis. Pauli acta post cõuersionem. Paulus Ierosolymam secundò venit, & cur.

TIONEM. Non humano tantùm illorum consilio, qui legationem ad Apostolos, & seniores mittendam censebant, pro dijudicanda de lege exorta controuersia: sed multò etiam magis diuino instinctu: quo in primis mouente, & concitante, id effeci, quod sequitur. *ET CONTVLI CVM ILLIS EVANGELIVM, QVOD PRAEDICO IN GENTIBVS.* Cum quibus mox exponet. Sed eam Euāgelij partem se contulisse ait, qua Christiana libertas, à Iudaicae legis ritibus, & ceremonijs continetur: de qua summa erat inter Iudaeos, & Graecos controuersia. *SEORSVM AVTEM IIS, QVI VIDEBANTVR ALIQVID ESSE.* Non publicè, sed priuatim, ac familiariter, vt sermo esset, & colloquutio liberior: non cum omnibus, sed cum primarijs penè iis, qui magnae erant existimationis; & authoritatis: denique cum illis, à quibus dissentire me, vestri isti apostoli criminantur. *NE FORTE IN VANVM CVRREREM, AVT CVCVRRISSEM.* Haec tota fuit huius communicationis ratio, Nam si huius dissidij fama percrebuisset, & ex improbissimis rumoribus persuaderētur homines, eximios à me dissentire Apostolos, irriti omnes fuissent cum à me suscepti labores, tum in posterum suscipiendi: subitò enim sacrosancta vacillaret Euangelij fides, si absq; legis Moysi adminiculis, salutem ipsa dare non posset. *SED NEQVE TITVS, QVI MECVM ERAT, CVM ESSET GENTILIS, COMPVLSVS EST CIRCVNCIDI.* Quae verò fuerit totius nostrae deliberationis conclusio, illud potissimùm declarat, quod Titus, qui mecum vniuersae consultationi, diuino consilio interfuit, cum esset Graecus, non est coactus Iudaicae legis sacramento initiari, contra atq; oportuisset, si absq; illa ad salutem nanciscendam non sufficeret Euangelium.

Paulus cur suū Euangelium cū primarijs Apostolis contulerit, & quomodo.

Titus gentilis nō est circūcisus.

SED PROPTER.

De inconstantia.

Paulus legis ceremonias cur aliquādo seruauerit.

DE inconstātia. Nam id erat tertium quod obijciebant. Nunc ita se purgat, vt omnem à se eius dimoueat criminis suspitionem. In quo maximè est animaduertendum, quod Timotheum Paulus circunciderat, & alijs quibusdam legis ceremonijs, ad tempus se accommodauerat, in illis primùm

locis, vbi nulla adhuc exorta erat disceptatio de necessitate legis, ad salutem per Iesum Christum, & Euangelium comparandam: illa deinde ratione potissimum, vt insidias deuitaret omnes, quas à Iudaeis Euangelio fieri videret, & moras omnes, atq; impedimenta, quae ab illis afferebantur, superaret: & viam deniq;, & apertum sibi patefaceret cursum, ad Euangelium vbiq; minore negotio, & molestia praedicandum. Hoc nimirum est, quod obseruandum designauit Lucas, cum scripsit circuncisum à Paulo fuisse Timotheum, propter Iudaeos, qui erant in illis locis, Cenchris ex voto capillum rasisse, cùm ibi esset Aquila Iudaeus cũ Priscilla vxore. Hierosolymis denique Iacobi consilium secutum fuisse: expiationeq; illa significasse, à se neq; discessionem à Moyse, neq; legis neglectionẽ doceri; idq; propter tot Iudaeorum millia, qui crediderant, & legis erant aemulatores, qui procul dubio, ad perfectam, absolutamq; Euangelij notitiam, leniter perducendi erant, non seuerè perturbandi. Quae omnia hoc loco Paulus breuiter potiùs, strictimq; innuit, quàm explicat. *PROPTER AVTEM SVBINTRODVCTOS FALSOS FRATRES.* Quid causae fuit, cùm Timotheum circuncideris, cur non & Titum eodem obligaueris legis Sacramento? Propter falsos inquit, fictosq; fratres aduentitios illos quidem, & à nostro non solùm concilio alienos, sed à consilio quoq; auersos, & abhorrentes. *QVI SVBINTROIERANT EXPLORARE LIBERTATEM NOSTRAM, QVAM HABEMVS IN CHRISTO IESV.* Qui non rectà, & apertè, sed ex insidijs, & occultè in nostrum coetum irrepserant, vt peruestigarent, & quam sagacissimè odorarentur, quid à nobis statueretur de libertate, quam à Deo per Iesum Christum accepimus, & quam non alijs elargimur. *VT NOS IN SERVITVTEM REDIGERENT.* Hoc autem illud erat, quod insidiosè moliebantur, vt nos ad necessariam quandam, ac durissimam legis seruitutem adducerent suis infinitis concertationibus, disceptationibusquè. *QVIBVS NEQVE AD HORAM CESSIMVS SVBIECTIONE.* In eo fuimus fratres omnes concordissimi, vt nullo, ne breuissimo quidem temporis spatio, illorum nos sententiae, & voluntati subijceremus. Nam quod de Timotheo factum est, ad tempus quidem, & extra omnem contentionem, nulla salutis illius necessitate, sed spe potius, procliuiùs

Act.16.18. & 21.

Timothei Paulus cur circunciderit, nõ Titum.

cliuius procurandae Iudaeorum salutis factum est. *VT VERITAS EVANGELII PERMANEAT APVD VOS.* Si fieri vt apud Iudaeos consistat, & inuiolata Euangelij diuina veritas, apud vos saltem Graecos non inquinata, falsa illa opinione perseueret, quòd ipsum per se, absq; Iudaicae legis Sacramentis, & ritibus, ad salutem dandam non sufficiat. *Euangelij veritas.*

AB HIS AVTEM.

RESTAT quartum crimen obiectum, quòd cũ eximijs, ac praestantibus Apostolis, quorum tam magna, ac multa extabāt dignitatis praeconia, conferre se, ijsq; contradicere non dubitaret. Quod totum dissoluit, prosequens narrationem eorum, quae Hierosolymis contigerunt: vt in rem suam ab illis ipsis summis Apostolis, gratissimum sumat testimonium. *AB IIS AVTEM, QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID: QVALES ALIQVANDO FVERINT, NIHIL MEA INTEREST.* Non putaui meum esse, nec pertinere ad me de hac (quam nunc tracto) quaestione, quid quandoq; docuerint illi, magni nominis, atque existimationis Apostoli. Itaq; nihil ab illis sum percunctatus. *DEVS PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT.* Quae hominibus eximia videntur, & praeclara, ea Deus ne respicit quidem: ac propterea ex persona, & dignitate humana, nullum ad veritatis confirmationem, graue, & solidum ducitur argumentum. Hinc illud est Domini nostri Iesu Christi ad Patrem. *Confiteor tibi Domine pater coeli, & terrae, quia abscondisti haec à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et ad Petrum. *Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis. MIHI ENIM, QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID, NIHIL CONTVLERVNT.* Illud sufficit, quòd audito illi Euãgelio meo, quòd scilicet exteris praedico nationibus, nihil mihi de suo communicarunt, nihil de meo repudiarunt. *SED CONTRA.* Non modò ex ijs quae contuli cum illis, quicquã infirmarunt, sed totum potiùs ratione, quam mox exponã, cõfirmarunt. *CVM VIDISSENT, QVOD CREDITVM EST MIHI EVANGELIVM PRAEPVTII*

De arrogantia.

Deut. 10. *Persona hominis nõ accipienda in vestigãda veritate.*

Matth. 11.

Matth. 16.

Pauli Euãgeliũ à primarijs Apostolis cõfirmatum.

TII, SICVT PETRO CIRCVNCISIONIS. Hoc primùm animaduerterunt, commissum mihi à Deo fuisse, vt exteris, & incircuncisis nationibus Euangelium praedicarem: nō aliter atq; Petro, vt Iudaeis praedicaret circuncisis. Quō autē animaduerterint, subiūgit. QVI ENIM OPERATVS EST PETRO IN APOSTOLATVM CIRCVNCISIONIS, OPERATVS EST ET MIHI INTER GENTES. Idem nanq; Deus, diuinae suae Maiestatis numen vnum & idem, in Petri sermone & actione, dum legationem ageret apud Iudaeos, ostendit, atque in me; eandem obeunte apud extraneas gentes, legationem. ET CVM COGNOVISSENT GRATIAM, QVAE DATA EST MIHI. Alterum hoc est, ab illis animaduersum, & notatum; nullum me diuinae gratiae munus deficere, quòd à iusto, & legitimo requiri, ac desiderari possit Apostolo. Quos verò generatim hactenus δοκοῦντας appellauit, eos nunc tanquā veritatis huius viuos, praesentes, & religiosos testes, nominatim profert. IACOBVS, ET CEPHAS, ET IOANNES. Qui & duo illa in me animaduerterant. De quorum excellentia, & bona existimatione subiungit. QVI VIDEBANTVR COLVMNAE ESSE. Fide, religione, intelligentia, aliorum omnium fratrum, sustentare, ac tueri imbecillitatem. DEXTRAS DEDERVNT MIHI, ET BARNABAE SOCIETATIS. Tanquam concordes & cōsentientes fratres; atq; in Euangelij negotio, neq; verbis, neq; sentētijs à se discrepantes, nos secum porrectis dexteris, quae fidei testes essent, consociarunt. VT NOS IN GENTES, IPSI AVTEM IN CIRCVNCISIONEM. Nostras legationes, summa consiliorum omnium societate coniuncti, persequeremur. TANTVM VT PAVPERVM MEMORES ESSEMVS. Hac solùm facta pactione, vt egentibus Iudaeis, à gentibus locupletioribus, subsidij aliquid, & opis curaremus. QVOD ET SOLICITVS FVI HOC IPSVM FACERE. In quo studiosissimè quidem, & diligentissimè est à me elaboratum. Ex hac ergo narratione liquet, à magnis Apostolis Paulum nulla in re fuisse diuersum.

Paulus praeputij; Petrus circuncisionis Apostolus.

Apostoli primarij, et quasi Ecclesiae columnae.

Apostolorū summa cōcordia.

CVM AVTEM.

IAM liquet ex eorum, quae Hierosolymis gesta fuère, commemoratione, quàm frigida, atque ieiuna illa fuerit calumniatorum accusatio, quòd in Euangelij praedicatione diuersus esset Paulus à Principibus, & honoratis Apostolis. Superest id, quod Antiochiae accidit, vnde coniectura ducebantur aliqui, ad suspicandum, quòd contrariae inter se, Petri & Pauli essent de Euangelio sententiae. Quae coniectura quàm esset leuis, & perspicua, & dilucida, facti expositione constabit. *CVM AVTEM VENISSET PETRVS ANTIOCHIAM, IN FACIEM EI RESTITI.* Coram se obstitisse, ac repugnasse ait, praesenti non absenti Petro, dum esset vterq; Antiochiae. *QVIA REPREHENSVS ERAT.* Clam, & in occulto, ab alijs illum argui, & accusari audiebam. Et cur ab alijs accusaretur exponit. *PRIVS ENIM, QVAM VENIRENT QVIDAM A IACOBO.* Hierosolymitani quidam, Iacobi nuncij, qui cùm Iudaei natione essent, Euangelio crediderat. *CVM GENTIBVS EDEBAT.* Quod factum Iudaicae erat legis abrogatio: quae, omni cum externis gentibus commercio, & ciborum praecipuè communicatione, seuerissimè interdicebat; idq; Petri factum, post diuinam de Cornelio Centurione admonitionem; post Concilij Hierosolymitani decretum; post communicatum cum Paulo Euangelium, iure non poterat reprachendi. Quod autem sequitur, illud est, quòd ab externarum gentium Christianis hominibus reprachendebatur. *CVM AVTEM VENISSENT.* Hierosolymitani scilicet à Iacobo. *SVBTRAHEBAT, ET SEGREGABAT SE.* Apud alienos, & externos homines non edebat, & fortè non illorum modò cibarijs abstinebat, sed omnem prorsus defugiebat consuetudinem. *TIMENS EOS, QVI EX CIRCVNCISIONE.* Non, ne quod ab illis sibi malum crearetur, sed illorum offensionem, periculosam admodum, effugiebat: verebatur enim, ne si illi, qui parum firmitatis, & constantiae habere viderentur, non plenè adhuc, de Euangelij libertate, perfectéq; eruditi, legem à se negligi animaduerterent, in qua fuerant educati; & quam vt sanctissimam colebant: negligerent & ipsi

Antiochena Petri reprehensio.

Petrus cũ gentibus edit. Act. 10. & 15.

Petrus à gentibus se subtrahit, & cur.

Christum, atque ab eo, ad Iudaicos ritus penitus reuerterentur. Et in hoc quoq; si totius rei iusti fuerimus aestimatores, nihil erit, quod reprachendamus in Petro, quando id egit, quod egisse Paulum Lystris, Cenchris, Hierosolymis deniq;, hortatore Iacobo, memoriae proditum est; & Romanis praecepisse, ex ea, quam ad illos scripsit, Epistola, constat: vbi inter caetera sic loquitur. *Si propter cibum* (lege interdictum, quo scilicet tu vteris, qui Euangelij libertatem amplecteris) *frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas*. Et quae sequuntur, sunt generis eiusdem. Quid autem haec Petri actio, alijs ferret incommodi, atq; detrimenti, à Petro per imprudentiam, neq; animaduersum, neq; prouisum, quod & Paulo, resistendi, atq; repugnandi necessitatem attulerit, videamus. *ET SIMVLATIONI EIVS CONSENSERVNT CAETERI IVDAEI.* Permulti, Principum existunt imitatores, proinde factum est, vt qui Antiochiae erant ex Iudaeorum natione Christiani, hanc Petri simulationẽ sequerentur: fictè omnino, & simulatè, legis obseruantiam, & cultum praeseferentes, sed non eo forte consilio, quo Petrus, *ITA VT ET BARNABAS SIMVL ABDVCERETVR IN ILLORVM SIMVLATIONEM.* Illud Paulo intolerandum videbatur, quod non plebeij solum, & infimi homines, sed & Barnabas quoq;, qui socius, atq; adiutor erat ipsius, in procuranda externarum gentium salute, per sanam, ac synceram Euangelij praedicationem, ad fictum illum, ac simulatum legis cultum, illorum imitatione, traduceretur. Verùm quod erat perniciosum magis, magisq; pestiferum, ex Pauli repugnantia, atq; reclamatione, statim intelligemus. *SED CVM VIDISSEM, QVOD NON RECTE AMBVLARENT AD VERITATEM EVANGELII.* Cuius veritas, ea maximè contaminatur opinione, quae ex illorum facto, hominum mentibus ingenerabatur: oportere scilicet, seruare legem Moysi, ad iustitiam, & salutem, per CHRISTVM IESVM adipiscendam. *DIXI PETRO CORAM OMNIBVS.* Hoc illud est, quod supra memorauit, se restitisse Petro κατὰ πρόσωπον, coram videlicet, ac palam. Praeclara haec est, & vera reclamatio. *SI TV IVDAEVS CVM SIS, GENTILITER VIVIS, ET NON IVDAICE.* Quod apparet manifesto, ex eo, quod agebas, prius-

Rom. 14.

Principum imitatores multi.

Euangelij veritas.

priusquam Hierosolymitani à Iacobo adessent nuncij. *QVOMODO GENTES COGIS IVDAIZARE?* Hoc erat admodum exitiosum, quòd improuidò, & imprudente Petro, ex eius actione sequi animaduertit Paulus. Non modò enim Iudaei, quorum & naturae, & consuetudini condonari tum poterat error ille, donec plenius de Euangelij libertate docerentur: sed alieni quoq; à Iudaeorum natione homines, qui sanctũ,& salutare existimabant, Petrũ ducem in omnibus sequi,& imitari; & Iudaicos ritus,& ceremonias amplecti,cõpellebantur. Quibus id agendi, nulla subesse poterat ratio, nisi quod opinarent gratiam Domini nostri Iesu Christi, absq; Iudaeorum legitimis moribus, & institutis, ad iustitiam, & salutem, esse imbecillam, qua nulla excogitari potest detestabilior opinio. *Petri imprudentia.*

NOS NATVRA.

QVÆ sequuntur omnia, ad finem vsq; capitis, praeclaram quandam, ac reconditam continent eruditionem, qua Petro ostendit, quàm extra modum, absonum esset & absurdum, id, de quo ipsum commonefecerat: ad cultum scilicet legis Iudaeorum, homines adducere, qui ex varijs, & diuersis nationibus, ad Christi religionem capessendam venerant, inquit. *NOS NATVRA IVDAEI, ET NON EX GENTIBVS PECCATORES.* De seipso, ac Petro loquitur, qui Iudaei, non alienigenae erant: & peccatores (quemadmodum in Epistola ad Romanos ostendit) omnes tam Iudaeos, quàm alienos homines, peccato esse obnoxios. *SCIENTES, QVOD NON IVSTIFICATVR HOMO EX OPERIBVS LEGIS.* A Spiritusancto edocti, non modò nos, sed nullum omninò hominem, ex perfecta legis obedientia, iustum fieri, ac propterea à legis iugo, & onere (quod neq; nos, neq, patres nostri ferre potuimus) liberandos esse alienigenas, Hierosolymis iudicauimus. *NISI PER FIDEM IESV CHRISTI.* Hoc vnum continetur in lege, quod aditum patefacit ad iustitiam, fides Iesu Christi: sine qua, omnis alia frustra tentatur ad iustitiam via. Adumbratur illa quidem, in lege saepissimè, & expressiùs, quandoq; praecipitur: vt in eo, quod à Moyse, *Iustificatio non est ex operib' legis.* *Iustificatio ex fide Iesu Christi.*

 Israe-

Deut. 18. Israelitis, Dei nomine mandatum fuisse, Stephanus in concione retulit Iudaeorum, *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: tanquam me, ipsum audietis.* Hinc Dominus ipse Iesus Christus ad eosdem sic loquitur. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* *ET NOS IN CHRISTVM IESVM CREDIDIMVS, VT IVSTIFICAREMVR EX FIDE CHRISTI, NON EX OPERIBVS LEGIS.* Ego & tu ô Petre, hac imbuti Spiritussancti doctrina, in Iesum Christum credidimus, vt per eam fidem, iustitiam assequeremur, non per opera legis, in quibus dum versabamur, de nostris peccatis non absoluebamur. *PROPTEREA, QVOD EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO.* Haec fuit ratio, quae nos à legis operibus, ad Christi fidem traduxit: quia neque natura Iudaei, neque alienigenae, per legis opera, suorum criminum veniam vnquam impetrabunt.

Act. 7.

Io. 5.

QVOD SI.

HAEC, quae illi cum Petro conueniebant, tanquam initia, ac firmissima posuit fundamenta, ex quibus breui quidem, sed arguta concludit ratione, quam esset illud absurdissimum, quod ex Petri facto sequebatur: vt scilicet, ad Iudaicos ritus compellerentur alienigenae. *QVOD SI QVAERENTES IVSTIFICARI IN CHRISTO.* Nos natura Iudaei, qui sub lege diu viximus: nos in legis operibus exercitati, & callentes viam adipiscendae iustitiae, non legem esse, sed fidem Iesu Christi: nos eam ingressi viam, qui relictis legis operibus, in Christum credidimus, vt iustitiam ex ea fide consequeremur. *INVENIAMVR ET IPSI PECCATORES.* In hoc, quòd ex fide Christi, relictis legis operibus, iustitiam quaerimus. Quod sequitur absurdũ, per interrogationem extulit. *NVNQVID CHRISTVS PECCATI MINISTER EST?* Cuius spiritu instructi, legis opera, ex quibus nullus vnquam hominum, iustitiam adeptus est, reiecimus, illius fidem amplexati. *ABSIT.* Absurdum id scilicet, & omnino respuendum, ac ne in cogitationem quidem cuiusquam cadere decet, vt qui minister est iustitiae, minister sit peccati. Sed quòd ad legem gentes adducen-

Absurditas quae ex Petri facto sequebatur.

ducendo (id quod ex Petri facto sequebatur) inuenirentur & ipsi peccatores, in ijs, quae sequuntur, verbis ostendit. Et iam non amplius de Petri persona (vt initio fecerat) neque de vtriusq; (vt paulò post) sed de sua tantùm loquitur: vt ostendat factum, siue simulationem illam, de qua disputat, etiam si ab ipso profecta esset, propter id, quod ex ea consequebatur, fuisse reprachendendam. *SI ENIM QVAE DESTRVXI, HAEC ITERVM AEDIFICO, PRAEVARICATOREM ME CONSTITVO.* Tale siquidem erat, quod ex Petri facto sequebatur, nisi ad accuratam eius rei considerationem, fuisset à Paulo excitatus. Dum enim cum alienis cibum capiebat, opinionem euertebat parandae per legis opera, iustitiae. Eandem rursum construebat, dum ab epulari illorum accubatione sese cohibebat. In altero quidem à seruitute legis liberabat: in altero verò quasi necessitatem seruandae legis offerebat: in quo seipsum culpabat, ac facto confiteri videbatur, peccatum à se fuisse, quando legis mandatum praetermisisset.

Absurditas Petri factum consequés quae.

EGO ENIM.



PAVCIS nunc verbis, quorum est memoria piè, inuiolateq; seruãda (continet enim Epithomẽ lõgioris illius disputationis, quam hac eadem de re in Epistola ad Romanos conscripsit) concludit, ac suo docet exemplo, quid Christianis omnibus de lege statuendum sit. *EGO ENIM PER LEGEM, LEGI MORTVVS SVM.* Lex, quae facienda iubet, prohibetq; contrarra, & nullum ad haec auxilium fert: quae cupiditatem, perennem malorum omnium fontem, non modò non fraenat, sed irritat: quae tantum abest, vt vllam peccati veniam secum ferat, vt ipsum potius peccatum egregiè, & excellenter sceleratum, atq; improbum faciat: quae omnia, in ea, quae ad Romanos scripta est Epistola, declarantur: lex inquam coegit me, vt ipsi nuncium remitterem; & de ea tanquam illi mortuus, ne cogitarem quidem vlterius, ac nihil in ea ad iustitiam, & salutem ponerem. Hoc idem Romanis sentiendum esse scripsit. *Itaque fratres mei, & vos mortui estis legi.* Et item. *Soluti sumus à lege mortui, in quo detinebamur. VT DEO VIVAM.* Viuere Deò illud

Christiana de lege sententia.

Legi per legem mori quid.

Rom. 7.

Ibid.

Deo viuere quid.

illud est, quod ad Romanos scripsit, vt fructificemus Deo: hoc est fructus, quos Deus requirit à nobis, feramus: quod sub legis imperio, conabamur quidem, sed frustra laborabamus. *VNA CVM CHRISTO CRVCIFIXVS SVM.*

Crucifigi cũ Christo quid.

Meas omnes cogitationes, & spes, à lege ad Christi crucem, & mortem traduxi. Perniciosae enim, ac pestiferae licentiae est, à lege seiungi, & cum Christo non coniungi. Quae quidem coniunctio fit, si vnà cum illo mortem oppetamus, omnẽ

Rom. 6. 7.

deponẽtes peccati vetustatem: vnà cum illo excitemur à mortuis, in nouitate vitae ambulantes, ac seruientes in nouitate spiritus, non in vetustate litterae. De quibus omnibus ele-

Item 6.

gantissima, maximeq; pia extat in Epistola ad Romanos institutio, dum sacrosancti baptismi mysteria edisseruntur. Itaq; cùm Romanis dixisset. *Mortui estis legi*: statim adiunxit. *Per corpus Christi: vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit. VIVO AVTEM NON IAM EGO, VIVIT VERO IN ME CHRISTVS.* Id, cuius gratia, legi mortuus sum, vel legem repudiaui, iam teneo. Nam vnà cum Christo cruci affixus, hoc est, ab omni peccati vetustate liberatus, viuo Deo; fructus vberes edo, Deo gratos, & acceptos: quos ne suae virtuti tribuere videretur, inquit. *Non*

1. Cor. 3.

iam ego: neque enim tanti sum; sed Christus, cuius minister

2. Cor. 13.

sum, qui in me loquitur; in me habitat; in me bona efficit om-

Eph. 3.

nia; in quo glorior; in cuius potentia omnia possum; cuius

Rom. 15.

habeo spiritum; quem qui non habet, hic non est eius. Simile

2. Cor. 10.

est illud. *Plus omnibus laboraui; non autem ego, sed gratia*

Phil. 4.

Dei mecum.

1. Cor. 2.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

QVOD AVTEM.

IVEBAT iustus, & sanctus Apostolus Deo, quemadmodum paulò ante dixit: sed & adhuc

Vita in carne quae.

viuebat in carne. Ea verò est vita in carne, quã septimo cap. Epistolae ad Romanos mirè describit pugna illa acerrima carnis cum spiritu. Quam cum diligenter, ab subtiliter descripsisset, exclamauit. *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ac tandem conclusit. *Igitur idem ego, mente quidem seruio legi Dei,* quod est viuere Deo, *carne autem legi peccati*, quod est viuere in carne: procliuitatem scilicet, ac propensionem quandam ad

ad peccandum sentio, cui durissimam seruio seruitutem, quam repellere nequeo. De hac igitur vita in carne, quòd damnari propter eam non extimesceret, inquit. *QVOD AVTEM NVNC VIVO IN CARNE, IN FIDE VIVO FILII DEI.* Haec vita in carne, quòd cum Christi est fide coniuncta, damnatoria non est: modò illud etiam, quod Romanos docuit, vt secundum carnem neq; ambulemus, neq; viuamus: hoc est, vt stimulis, & incitationibus, quas ad peccandum caro admouet, non cedamus. Nam ita inquit post septimi capitis conclusionem, initio octaui. *Nulla ergo nunc condemnatio est ijs, qui in Christo Iesu, non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Ac paulò post. *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis.* *QVI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMETIPSVM PRO ME.* Haec autem sunt, quae me in Christi fide, firmum, fixum, stabilem, & immotum retinent: eius scilicet erga me summa beneuolentia, & charitas, quae illum adduxit, vt vitam pro me, animo profunderet libentissimo. *NON ABIICIO GRATIAM DEI.* Hanc scilicet beneuolentiam, maximum hoc beneficium oppetitae pro mea salute, mortis acerbissimae: cuius promerito, gratis mihi iustitia confertur, & vita. *NAM SI PER LEGEM IVSTITIA, ERGO CHRISTVS GRATIS MORTVVS EST.* Reijcit certè, & irritum facit beneficium mortis Iesu Christi, quisquis per legem se iustitiam adipisci posse putat. Nam frustra, ac sine causa mortuus esset, si iustitiam, quam homini suae mortis merito gratuitam praestare designabat, nuda potuisset lege contingere. De rebus, quae Hierosolymis, & Antiochiae acciderunt, hactenus: in quibus nihil fuisse inter Petrum, & Paulum dissensionis, illud declarat, quòd nihil legimus contra hanc Pauli doctrinam à Petro fuisse responsum. Confutatis igitur accusatorum calumnijs omnibus, ad instruendos nunc, & conformandos Galatas, sermonem conuertit.

Vita in carne non dānat.

Christi gratia non abijcienda.

Christi gratia quo reijcitur.

O' STVL-

O STVLTI.

CAPVT III.

Obiurgatio acerba.

NCIPIT autē ab obiurgatione, quae nonnihil habere videtur acerbitatis; sed nō sua, verùm illorum, qui obiurgabantur, causa susceptae. Ea nanq; ratione potissimum, diuinam hactenus suae legationis, Euangelijq; sui auctoritatem stabiliuit: sententiam, item de lege suam ab Apostolis auctoritate grauissimis; gloria clarissimis, approbatam fuisse ostendit; vt maiore vi, grauiore etiam verborum pondere, Galatas doceret apertiùs; moneret liberiùs; accusaret audaciùs; increparet asperiùs. *O' STVLTI GALATAE.* Voce contumeliosa, tanquam aculeo, illos excitat; vt ad veritatem, à qua recesserant, incipiant reuocare rationem. Sed hac voce, quanquam contumeliosissimè maledicere videatur, nihil amplius intelligit, quàm si dixisset, rudes, inconsiderati, leues, inconstātes. Nam stultus (vt dixit Sapiens) quemadmodum luna mutatur. Ac videtur redire ad illud, quod initio proposuerat. *Miror, quòd tam cito transferimini ab eo, qui vocauit vos in gratia Christi. QVIS VOS FASCINAVIT?* ἀνόητοι essent, nō tam ipsis vitio dandum esse significat, quàm illorū peruersitati, improbitatiq;, à quibus miris praestigijs, dolis, atq; fallacijs, cum ipsi perturbati; tum simplex, & syncerum Iesu Christi Euangelium deprauatum fuerat. De quibus suprà dixerat. *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & quaerūt inuertere Euangelium Christi.* Est autem fascinare; vel inuido oculorum aspectu; vel carminibus, veneficijs, alijsuè, quibuscunq; malis artibus, de sano aliquem, & incolumi naturae statu, in aegritudinem aliquam siue mētis, siue corporis, siue vtriusq; trāsferre. Galatas igitur ἀνοήτους appellauit, eo quòd falsa quorundam praedicatione, tanquam fascino, siue magica quadam cantione, à clara Euangelij veritate depulsi, in mendacia, & fraudes abducti fuissent. Ac propterea cùm dixisset. *QVIS VOS FASCINAVIT,* adiunxit. *NON OBEDIRE VERITATI?* Hoc est, vt à veritatis fide, in qua immotos perseuerare oportebat, ad inanes, & falsas doctrinas animos vestros cōuerteretis? *QVIBVS ANTE OCVLOS IESVS CHRISTVS PRAESCRIPTVS FVIT.* Hoc illud est, quod vos maximè firmos in fide veritatis

Cōtumelia pro aculeo.

Ecclic. 27.

Fascinare quid.

tatis retinere debuerat; quod antequam de lege aliquid à falsis istis Apostolis audiuissetis, mea ego praedicatione Iesum Christum vobis ob oculos posueram; & tãquam pictura quadam expresseram: veram scilicet, & vnicam iustitiae, & salutis per Christum adipiscendae viam. *IN VOBIS CRVCIFIXVS*. Quando videlicet Euangelio credentes, sacrosancti baptismi mysterio initiati fuistis. In eo nanq; Sacramento, cum Christo in crucem agi nos dicimur, & Christus in nobis crucifigi; quòd cum Christi crucis promerita nobis tũ communicantur omnia: tum verò, quòd in eo Christi mors praecipuè repraesentatur, dum initiati peccato morimur, & veteri vitae, omnibusq; rebus in nostro primo ortu acceptis, ac tanquam à mortuis excitati, in nouitate vitae ambulamus. Hoc illud est, quod ad Romanos scripsit. *Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus*. Cumq; etiam post peccata, denuo hoc eodem initiari Sacramento prohiberet, eadem vsus est loquendi figura, inquiens. *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei*.

Christus in suis fidelibus quando crucifigitur.

Rom. 6.

Heb. 6.

HOC SOLVM.

RGVMENTARI incipit, & ratione concludere, stupidos planè, ac stolidos fuisse Galatas, qui à Iesu Christi in ipsis iam crucifixi, notitia, & fide, quam sua praedicatione, quasi pictura quadam ante oculos proposita, acceperant, ad legis mandata, & ceremonias traduci se permisissent. Quaerit autem. *HOC SOLVM VOLO DISCERE À VOBIS*. Ex quo satis, superq; habebo ad vestram vobis stupiditatem demonstrandam. *EX OPERIBVS LEGIS SPIRITVM ACCEPISTIS, AN EX AVDITV FIDEI?* Spiritum adoptionis, quo iusti, & Filij Dei facti quondam fuistis, vtra consecuti estis ratione? Quòd legi vos obedientes praebebatis? an Euangelij potiùs auditione, ex qua fides vobis ingenerata fuit? Et cùm ex hac interrogatione illud protinus efficeretur; non ex lege, quae vni Iudaeorũ genti cognita erat; sed ex fide auditi Euangelij, Spiritum adoptionis assecutos fuisse Galatas: illud tanquam certum, & concessum praetermisit; & alia subiecta interrogatione, quod vult, concludit. *SIC STVLTI ESTIS, VT CVM*

Spiritus ex lege, an ex Euangelio.

Auditus fidei.

SPIRITV COEPERITIS, NVNC CARNE CONSVMMAMINI? Estis nè vsq; adeo stupidi, ac fatui; vt cùm vestrae iustitiae, ac salutis primum fuerit initium, & fundamentum spiritus adoptionis, quem fide concepistis, perfici nunc, & absolui putetis ex carne? hoc est (vt alio loco loquitur) ex spiritu seruitutis, & timore legis: cuius vinculis homines carni dediti, ac spiritu Dei omnino vacui, comprimi solent, & constringi, vt ex imperfecta, & inchoata legis iustitia, ad perfectam, & omnibus partibus absolutam fidei iustitiam perducantur. Cùm autem Galatae, illi videlicet, qui Euangelio crediderunt, ad quos scribit Apostolus, ab Euangelij oppugnatoribus grauissimè afflicti, aduersa multa patienti animo antea tolerassent (ijs enim, quemadmodum & Philippensibus, donatum fuerat, vt non solùm in Christum crederent, sed etiam pro illo multa ad patiendum, tolerãdumq; difficilia sustinerent) postea verò à spiritu, quo duce optimi feruntur, & percipiuntur fructus, ad carnem defecissent: propterea tertia, quam subiungit, interrogatione, omnem illos superioris patientiae fructum perdidisse, & magno quidem cum illorum dedecore, & ignominia dolenter ostendit. *TAM MVLTA PASSI ESTIS.* A' vestris, & Euangelij seditiosissimis aduersarijs, quemadmodum Iudaeis accidit, & Thessalonicẽsibus. *SINE CAVSA?* Frustra, & inutiliter cùm à recta Euangelij fide, & puritate excideritis. Sed nè pro perditis illos, & desperatis habere videretur, adiungit, *SI TAMEN SINE CAVSA.* Nam si resipueritis, fructuosa vobis futura est, & vtilis, vestra illa patientia.

Spiritus salutis principium.
Rom. 8.
Caro pro spiritu seruitutis, & timore legis.
Philip. 1.
Defectio à spiritu ad carnem.
1. Thess. 2.

QVI ERGO.

VI Galatas circumueniebant acuti, & malitiosi homines, non tam Moysi Iudaeorum Legislatoris auctoritate nitebantur, quae apud Graecam nationẽ parum fortè habuisset momenti, quàm Abrahae, cuius nomen toto terrarum orbe, & apud omnes gentes, & nationes, venerationem habebat propter diuinum illud ei editum oraculum. *In te benedicentur vniuersae cognationes terrae.* Dicebant igitur. Cum Abraam, & eius semine fecit Deus foedus circumcisionis sempiternum ait, qui non circuncidantur, neq;

Abrahae magna auctoritas.
Gen. 12. & 17.
Abrahae

neq; ad Abrahae semen pertinere possint: neq; quòd Abrahae promissum fuit, ipsi ad se transferre. Hoc igitur argumentum, quo, tanquam firmissimo propugnaculo, septos se illi, & munitos arbitrabantur, nunc redarguit, ac refellit Apostolus, initio sumpto à prima superioris rationis parum immutata interrogatione. *QVI ERGO TRIBVIT VOBIS SPIRITVM.* Quo adoptati, & sanctificati fuistis. *ET OPERATVR VIRTVTES IN VOBIS.* Admirabilia, & summae potestatis apud vos opera ostendit; ille scilicet semper idem Deus, qui suam Abrahae pollicitus est beneficentiam, & ad pactionem cum eo venit circuncisionis. *EX OPERIBVS LEGIS, AN EX AVDITV FIDEI?* Quid causae fuit cur spiritus vos sui largitione adoptauerit, & admirabilem suam vobis potentiam demonstrauerit: quòd legi obsequentes fueritis; an verò potius, quòd audito Euangelio credideritis? Eadem prorsus paulò ante vsus est interrogatione, paulùm variata forma. Tum enim quaesiuit, quo suo promerito spiritum accepissent: nunc autem sciscitatur, quidnam in illis secutus sit Deus: quae in vnum omnino, atq; idem recidunt. Ad secundum autem interrogationis membrum, Abrahae iustitiam pertinere ostendit, sacrarum literarum testimonio. *SICVT ABRAHAM CREDIDIT DEO, ET IMPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM.* Si Abraham vobis imitandus proponitur; ille quidem ex auditu fidei, non ex operibus legis, spiritum est adoptionis assecutus; & cum eo iustitiam, sanctitatem, pietatem. Fidem enim eius, qua Deo magnam sibi posteritatem promittenti credidit, respexit Deus: cuius etiam ratione idoneum illum habuit ad obtinendam, adipiscendamq; iustitiam. Cùm igitur confitendum omnino Galatis esset, non ex operibus legis, quã ne agnoscebant quidem; sed ex auditi Euangelij fide, spiritum illis adoptionis Deum elargitum fuisse, & potentiae suae immensitatem ostendisse, si ad Abraham praesertim, de quo multa illis artificiosè inculcabantur, tanquam ad verae iustitiae exemplar, suas cogitationes dirigerent: argumentationis suae sententiam ita concludit Apostolus, vt aduersariorum mendacia, à quibus magna nominis Abrahae auctoritate seducti Galatae fuerant, confutet, atque conuellat. *COGNOSCITE ERGO, QVOD QVI EX FIDE SVNT, II SVNT FILII ABRAHAE.* Imponi vobis, ac fucum

nomine. falsi abutebantur Apostoli.

Spiritus.

Virtutes.

Gen. 15.

Rom. 4.

Abrahae iustitia ex fide.

(vt dicitur) fieri ne sinatis: sed intelligite ex eo, quòd Abraham ex fide iustitiam adeptus est, ad eius semen illos pertinere, & illos verè eius esse filios, qui fide, non qui circuncisione, vel legis operibus, innituntur.

Abrahae filij qui.

PRAEVIDENS.

BRAHÆ generis, & seminis quinam verè esse, existimandi sint, diuino iam ostendit oraculo: vt id, quod contrà ab aduersarijs dicebatur, coargueret. De eo nunc tractat, quod Abrahae à Deo promissum fuerat; quinàm illud ad se transferre possint. Nam in hoc quoq; illorum exultabat oratio, ac quasi triumphare videbatur. *PRAEVIDENS AVTEM SCRIPTVRA.* Sacrorum scilicet librorum, primus auctor, Spiritussanctus. *QVOD EX FIDE IVSTIFICAT GENTES DEVS.* Hoc praeuidit Spiritussanctus. Nam quae Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei, qui in ipso est, quòd ex fide Euangelij largiatur Deus gentibus iustitiam. Qua etiam de re, duo, quae in ea, quam ad Romanos scripsit, Epistola, tractantur, animaduertenda sunt. Alterum, Deum esse, qui iustificat: alterum, iustificare eum, qui ex fide est Iesu Christi. *PRAENVNCIAVIT ABRAHAE.* Euangelium sanctum videlicet, felix, faustumq; nuncium, longè priusquam perficeretur, Abrahae significauit. Quod quidem paucissimis, quae sequuntur, verbis continetur. *BENEDICENTVR IN TE OMNES GENTES.* Euangelium Abrahae promissum continens, hoc est, fore vt in semine suo, Christo scilicet (vt Paulus ipse in hac eadem Epistola interpretabitur) omnes nationes iustitia, & salute donarentur. Tanquam verò postulasset concedi sibi, quod oraculo paulò ante citato probauerat, Abraham, ex eo quòd huic pollicitationi fidem adhibuisset, iustitiam adeptum fuisse, concludit. *IGITVR QVI EX FIDE, BENEDICVNTVR CVM FIDELI ABRAHAM.* Quod Abrahae promisit Deus illis efficit, qui promptam Abrahae fidem, & hilarem sequuntur obedientiam.

Promissio Abrahae ad fideles quomodo pertinet.

1. Cor. 2.
Rom. 8.
Ibid 3.
Iustificatio.
Euangelium Abrahae significatum.
Gen. 12.
Euangelium quod Abrahae cõtinet promissionem.

QVI-

QVICVNQVE ENIM.

EX duobus propositae disiunctionis membris vnũ duntaxat tractauit hactenus: fidẽ scilicet Euangelij, ad quam referendam esse docuit Abrahae progeniem: & illud totum, quod illi Deus spoponderat. Alterum nunc aggreditur, opera scilicet legis. Nam disiunctio illa fuit. *Ex operibus legis, Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Inquit autem. *QVICVNQVE ENIM EX ORERIBVS LEGIS SVNT, SVB MALEDICTO SVNT.* Tantũ abest, vt qui non alia, quàm operum legis via ingrediuntur, ad Dei clementiam, & gratiam, Abrahae promissam, perueniant, vt illis irascatur potiùs, & succenseat Deus, tanquam ipsius legis execratione damnatis. *SCRIPTVM EST ENIM.* De hac execratione. *MALEDICTVS OMNIS, QVI NON PERMANET IN OMNIBVS, QVAE SCRIPTA SVNT IN LIBRO LEGIS, VT FACIAT EA.* Haec est execratio legis: cui si adiunxeris doctrinam tertij capitis Epistolae ad Romanos, vbi multis legis ipsius mirabiliter congruentibus, & accommodatis testimonijs, omnes ad vnum homines nocentes facit, & reos discessionis à lege, huic statim legis execrationi, ac diuinae indignationi addictos esse omnes intelliges, qui ad iustitiam, & benignitatem Abrahae à Deo promissam, per legis opera festinant. Nõ poterat autem ea doctrina Galatis esse ignota, quibus Apostoli praedicatione depictus iam fuerat Christus crucifixus: quem nemo amplectitur, nisi qui se priùs ex legis sententia condemnauerit, atq; diuinae vindictae districtum, & obligatum senserit.

Legis opera.

Legis via ad maledictionem ducit.

Deut. 27.

Legis execratio.

QVOD AVTEM.

ALIVD nunc de lege, & legis operibus affert. Id aũtem est, quod lex neq; requirit, neq; pollicetur, aut praestat eam iustitiam, qua quis diuino iudicio examinatus, iustus inueniatur. *QVOD AVTEM IN LEGE NEMO IVSTIFICETVR APVD DEVM MANIFESTVM EST.* Deprachẽditur manifestò iustitiam legis nõ eam esse, quae hominem, si in Dei certum, & purum iudicium voce-

Iustitia legis.

Rom. 3. vocetur, velut iustum saluum facere possit. De quo dixit etiã in Epistola ad Romanos. *Ex operibus legis non iustificabitur* *Habac. 2.* *omnis caro coram Deo.* QVIA IVSTVS EX FIDE *Iustitia apud Deũ vera quae.* VIVET. Ex Dei verbo, quod est apud Prophetam Habachuc, declarat, quaenam sit apud Deum vera iustitia: scilicet ex fide, in qua vita promittitur. Quo etiam testimonio *Rom. 1.* vsus est in ea, quae est ad Romanos Epistola, & in ea, quae ad *Heb. 10.* Hebraeos. LEX AVTEM NON EST EX FIDE. *Iustitia, quam lex requirit.* Iustitia, quam lex requirit, & in qua vitam pollicetur, non est iustitia fidei. Quod legis ipsius auctoritate fulcit. SED QVI FECERIT EA HOMO, VIVET IN IPSIS. *Lege Aug. con. duas ep. Pel. lib. 4. cap. 6.* Iustitia legis, in qua vitam pollicetur, est iustitia operum, quae in eo tota posita est, vt legis mandatis obtemperemus, & quae lege praecipiuntur, exequamur. Hisdem verbis ex Leuitici libro desumptis, iustitiam legis descripsit in *Leuit. 18.* Epistola ad Romanos. Quam cum perfectè, & integrè nemo *Rom. 10.* praestiterit (vt ad Romanos scripsit, & Galatas) sua iam praedicatione docuerat, necessaria ratione concluditur, iustitiam legis non esse eam, quae quenquam apud Deum, seuerum, & acrem operum iudicem seruare possit.

CHRISTVS.

Benedictio Abrahae pmissa quae. DE vtraq; disiunctionis parte disputauit, ac firmissimis declarauit testimonijs, non ex legis operibus, sed ex fide per auditum concepta, veram iustitiam, & spiritum sanctum contingere: in quibus omnis Abrahae à Deo liberaliter promissa benignitas continetur. Rationem nunc, & viam, qua à terribili legis comminatione erepti, ad iustitiam fidei, & spiritum sanctũ, tam Iudaei, quàm reliquae nationes peruenerint, breui complectitur. CHRISTVS NOS REDEMIT DE MALEDICTO LEGIS. *Redemptio à lege per Christum.* A legis execratione, quam ex Deuteronomij libro explicauit, tanquam à durissima seruitute, & horribili terrore, per Iesum Christum nos esse redemptos, sentire debemus. *Redimendi ratio.* Redimendi verò ratio fuit, quae sequitur. FACTVS PRO NOBIS MALEDICTVM. *Christus maledictũ.* Dum voluntaria morte, & illa quidem detestabili, & execranda affici voluit. De qua morte inquit. SICVT SCRIPTVM EST. MALEDICTVS OM-

OMNIS QVI PENDET IN LIGNO. Huius igitur miserandae mortis poena affecto Christo, nō nostra solùm ab execratione legis, liberatio cōsecuta est, sed & illud, quod sequitur, effectum. *VT IN GENTIBVS BENEDICTIO ABRAHAE FIERET IN CHRISTO IESV.* Vt non Iudaei solùm; verùm alienae quoq; nationes, Dei benignitatem, Abrahae promissam, consequerentur in fide Iesu Christi: qui semen illud fuit, de quo audiuit Abraham. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Sed breui, quae sequitur, sententia, magnum illud, & diuinum bonum, Abrahae promissum, concludit. *VT POLLICITATIONEM SPIRITVS ACCIPIAMVS PER FIDEM.* Vera, & solida iustitia, Abrahae promissa, quae vnà Abrahae filios constituit, & saluos in diuino iudicio facere potest, hac paucorum verborum circumscriptione comprahenditur. Ea in se continet fidem remissionis peccatorum, ex immenso Christi merito. Per quam datur credenti spiritùs sanctus: quo duce opera fiunt, ea ratione, quae vna Deo probatur: hoc est, non lege imperante, sed spiritu persuadēte: non poenae metu cogente, sed liberali charitate mouente: non vlla humanae gloriae cupiditate impellente, sed diuinae tantùm gloriae studio incitante.

Deut. 21.

Benedictio Abrahae promissa ad gētes quomō.

Gen. 22.

Iustitia Abrahae promissa qbus rebus continetur.

FRATRES.

MAGNA semper circūspectione Apostolus vtitur, ne quid aduersus suam doctrinam, quam à Spiritusancto haurire se sentiebat, captiosi, ac versuti homines afferre possent. Hoc itaque loco, cùm potuissent illi dicere: Vera quidem sunt, quae de Abrahae, ac illius posteritatis iustitia, & sanctitate ad fidem referenda, attulisti: attamen nisi qui fide praediti sunt, mandatis quoq; legis obedientiam praebeant, frustra quis promissum postulet, aut expectet spiritum sanctum. Ne hac Galatarum animi occuparentur calumnia, prouidere, ac praecauere studet, diligenti quidem facta, & accurata promissionis, & legis collatione. *FRATRES, SECVNDVM HOMINEM DICO.* Humana nunc vobis, & terrena propono, quo diuina faciliùs, & coelestia capiatis.

Lex an cū fide copulanda.

Nam

Io.III. Nam (vt Dominus noster Iesus Christus dixit) si quis terrena audiens non credat, quomodo si audierit coelestia, credet? *TAMEN HOMINIS CONFIRMATVM TESTAMENTVM NEMO SPERNIT, AVT SVPER ORDINAT.* Hoc habent homines sacrosanctum, vt testamentum confirmatum, quamuis hominis sit, & ab humana voluntate profectum, nemo rumpere, aut ei aliquid adiungere praesumat; sed firmum, ac ratum quemadmodum factum est, in perpetuum esse oporteat. *ABRAHAE AVTEM DICTAE SVNT PROMISSIONES, ET SEMINI EIVS.* His promissionibus, non hominis, sed Dei testamentum; non humanam, sed diuinam voluntatem, contineri intellige. Atq; vt testamentum hoc, tanquam comprobatum, & corroboratum haberes, dixit, *PROMISSIONES.* Cùm vna tantummodo fuerit promissio. Quae, vt constans, ac certa, confirmataq; haberetur, saepe legitur à Deo repetita. Quid aut sibi velit. *ET SEMINI EIVS.* Quae sequuntur, verba declarant. *NON DICIT; ET SEMINIBVS, QVASI IN MVLTIS; SED QVASI IN VNO.* Illud primùm ponderat, Deum in suo testamento vnum tãtùm scripsisse haeredem in sua promissione; ad vnum tantùm respexisse Abrahae filium: qui caeterorum obtineret principatum, & per cuius fidem caeteri haereditatis fierent, ac promissionis participes. Quis autem ille esset, apertè explicat. *ET SEMINI TVO.* Dixit Deus Abrahae. *Semini tuo dabo terram hanc.* Ad quod nũc verbum respicit, vt exponat, quodnam illud sit semen. *QVI EST CHRISTVS.* Vnicus scilicet Abrahae filius, primarius Dei haeres: ad quem vnum diuina spectabat promissio. Nam eius vnius ratione vniuersum genus Abrahae, vnde erat ortũ habiturus, à reliquis omnibus nationibus in optimam, saluberrimam, maximeq; fertilem regionem segregatum diuinitus fuit. Qua diuisione designatum est, fore, vt Abrahae filij, hoc est illius fidei, & pietatis imitatores, ab impijs separarentur; & vnius Iesu Christi gratia, in coelo collocarentur;

Margin notes: *Testamenti religio.* — *Promissiones.* — *Gen.12.13 15.18.21.* — *Semen Abrahae.* — *Gen.12.15* — *Christus vnicus Abrahae filius.*

HOC

165

HOC AVTEM.

AD calumniam, quã ab aduerſarijs adhiberi potuiſſe diximus, euertendam accedit: declarans non potuiſſe liberã hanc, expeditam, & ab omni conditione ſolutam Dei promiſſionem, qua nulla vnquam prolixior eſſe potuit, lege, quae fuit longè poſterior, reſcindi, atq: irritam fieri. *HOC AVTEM DICO.* Hoc illud eſt, ad quod verba refero, quodq; concludere intendo. *TESTAMENTVM ANTE CONFIRMATVM A DEO ERGA CHRISTVM.* De quo hactenus verba fecimus, & in quo principem haeredem Chriſtum inſtitutum fuiſſe oſtendimus; ad quem omnis illa dirigenda eſt diuina promiſſio. *QVAE POST QVADRINGENTOS, ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX, NON IRRITVM FACIT AD EVACVANDAM PROMISSIONEM.* Lex, quae Dei teſtamentum confirmatum iam, & corroboratum ſubſecuta eſt, poſt tot annos, quot ab Apoſtolo diligenter numeratos fuiſſe credẽdum eſt, illud minimè rumpit; neq, eam, quae in eo teſtamento continetur, promiſſionem reſcindit, aut diſſoluit: in quam vnã, tot annis omnes pij, & aemulatores fidei, ac ſanctitatis Abrahae, tota mente, atq; omni animo contuebantur, de lege ne cogitantes quidem. *NAM SI EX LEGE HAEREDITAS.* Si haereditas ex legis mãdatis, & operibus obuenit. *NON IAM EX PROMISSIONE.* Nullum relinquitur amplius promiſſioni adeundae haereditatis ius: atque ita quae recentior fuit lex, antiquiorem ſuſtulit, ac deleuit promiſſionem. *ABRAHAE AVTEM PER PROMISSIONEM DONAVIT DEVS.* Iuſtitiam: cuius vnius ope, atq; auxilio ad haereditatem peruenitur, non ex lege, ſed fide promiſſioni adhibita (quemadmodum ſuperiùs quoq; oſtenſum eſt) Abrahae Deus donauit. Ex quibus omnibus illud eſt perſpicuũ, ſi per Abrahae veſtigia haereditas adeunda ſit, ex fide erga promiſſionẽ, non ex lege iuſtitiam quaerendam eſſe; ac nulla ratione dici poſſe, fide cum lege coniuncta expectandum eſſe ſpiritum ſanctum, ab eo videlicet, qui & diuinae promiſſioni credat, & legis mãdatis obtemperet. De hoc eodem argumento in Epiſtola ad Romanos, ita ſcripſit. *Non enim per legem promiſſio*

Dei promiſſio lege non reſcinditur

Haereditas non ex lege ſed ex promiſſione.

Iuſtitia Abrahae quomodo quaerẽda.

Rom. 4.

Abrahae, aut semini eius; sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege sunt haeredes, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio: lex enim iram operatur.

QVID IGITVR.

EFVTATA tacitè calũnia, quae ab alijs fortè adhiberi potuisset, quaedam nunc ipse apertè affert, quae venire in dubium poterant, eaq; prudenter dissoluit, ne in his, quae docuit hactenus, titubare quispiam, aut haesitare posset. Primum illud est. *QVID IGITVR LEX?* Si ad iustitiam, & haereditatem, Abrahae promissam, non perducit, quid obsecro eam ferre opus erat? De legis ergo officio, diuturnitate, latione, expectatione, propriè, ac verè respondet. *PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST.* Legis officium fuit ad peccatorum cognitionem perducere. Nam ad obtinendam, quam Abrahae Deus receperat, iustitiam, necesse fuit, vt illa indigere se homo agnosceret. Nunquam autem id, nisi per legem, quae sua cuiq; vitia, suas impuritates, atque interiores animi labes patefaceret, animaduertere potuisset. Qua de re alio loco scripsit. *Peccatum non cognoui, nisi per legem. Per legem cognitio peccati. DONEC VENIRET SEMEN CVI PROMISERAT.* Duratura erat lex, quoad veniret Christus: qui (quemadmodum antea declaratum est) vnicus ille fuit Abrahae filius, quem in suo testamento primarium Deus hæredem fecerat: in quem vnum diuina promissio spectabat, cuius ratione, Abrahae pollicebatur Deus semen, in quo (vt dicebat) benignè facturus erat vniuersis cognationibus terrae. *ORDINATA PER ANGELOS IN MANV MEDIATORIS.* Lata verò fuit lex, ministrantibus Angelis, qui diuinae voluntatis decreta, atq; edicta, ratione, & ordine disponebant, quo possent ab homine percipi. De quo etiam Stephanus, cùm apud Iudaeos concionaretur, dixit. *Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Lata quoq;, ac populo promulgata fuit, Moyse ministro, qui perinde omnia dispensabat tam mandata, quàm neglectae legis poenas, atq; vindictas, iudicia quoq;, & ceremonias, vt Angeli praecipiebant. Appellat autem Moysen ΜΕΣΙΤΗΝ, non ea ratione

Legis officium. *Ro. 3. & 7.* *Legis diuturnitas.* *Legislatio.* *Moysesq̃ue mediator.*

tione

tione, qua Christum in prima ad Timotheum Epistola; sed longè alia, quasi intermedium, & inter Dei promissionem, atq; semen, cui promissa Dei clementia fuerat: Christum videlicet aetate, & tempore interiectū. Quod ea, quae sequuntur, declarant: in quibus solita illa sua angusta, & concisa breuitate, ostendit; ijs, qui legem acceperant, pro adipiscēda promissione expectandum fuisse Christum. *MEDIATOR AVTEM VNIVS NON EST.* Qui intermedius dicitur, non vnum, sed duos, inter quos tanquam medius interiectus sit, cogitandos proponit. *DEVS AVTEM VNVS EST.* Qui videlicet promiserat, quòd si Moyses cum lege medius interpositus fuit, Christum praestolari oportebat: in quo vno diuinum beneficium Abrahae promissum rectè collocari poterat. *Legis expectatio.*

LEX ERGO.

ALTERVM nunc affert, quod scrupulum inijcere, ac dubitationē afferre posset. *LEX ERGO ADVERSVS PROMISSA DEI?* Si ex lege promissa Dei non consequimur, sed illis potius ne perficerentur, in medio collocata lex cunctationem attulit, & moram; diuinis illa promissionibus cōtraria, atq; aduersaria videri fortè potuisset. *ABSIT.* Ita respondet, vt ab ea cogitatione, auersissimo animo se esse ostendat: quae ab omnibus etiam, tanquam detestabilis, exeranda sit. Et vt indignam hanc, & intolerandam de lege suspitionem ex omnium animis penitus euellat, legem demonstrat, diuinis promissionibus non modò non obstitisse, sed aliquid potiùs opis, atq; auxilij, ad illarum adeptionem attulisse. Verùm illud priùs, tanquam verissimum, non modò concedit, sed etiam probat, ex lege promissam Abrahae à Deo iustitiam nemini contigisse. *SI ENIM DATA ESSET LEX, QVAE POSSET VIVIFICARE, VERE EX LEGE ESSET IVSTITIA.* Si legis ea fuisset vis, vt homini vitam, quae in eo posita est, vt iustus sit apud Deum, conferre potuisset, ex obedientia aduersus legem, re vera existeret, atq; exoriretur iustitia. Eam verò legis vim, atq; facultatem non fuisse, apertissimo concludit argumento. *SED CONCLVSIT SCRIPTVRA OMNIA SVB*

Lex diuinis promissionibus nō aduersatur

Iustitia ex lege nemini contigit.

Lex omnia sub peccato conclusit. PECCATO. Post latam quoq; legem, Prophetarum, quae adhuc extant scripta, in omnium hominum, eorum etiam, qui legem acceperant, illiq; se obtemperaturos professi fuerant, cogitationibus, sermonibus, actionibus, prauitatem, peruersitatemq; coarguunt, atq; reuincunt. Qua quidem de re, nonnulla in Epistola ad Romanos, testimonia collegit. *Rom. 3.* Vnde fit, vt Abrahae promissa iustitia, nemini per legem obtigerit, sed ea tantùm consecuta fuerit ex lege vtilitas, de qua subiungit. *Legis vtilitas.* *VT PROMISSIO EX FIDE IESV CHRISTI DARETVR CREDENTIBVS.* Hoc est, vt agnoscentibus ex lege suas deformitates, & ex prophetarum vaticinijs miserandam, qua interclusi, captiq; tenebātur, peccati seruitutem: cum fide tamen expectātibus semen Abrahae promissum, Iesum Christum seruatorem omnium, eiusdem fidei merito, promissa donaretur iustitia. Igitur quamuis ex lege non fiat promissio; promissioni tamen non aduersatur lex; quin potiùs eius comparandae rationi, maximè conduxit.

PRIVS AVTEM.

Iudaeorum sub lege status. QVALIS autem esset Iudaeorū sub lege status; qua etiam ratione à lege ad fidem deducti fuerint, aptissimis, ac valde congruentibus vtens translationibus, describit. *PRIVS AVDEM, QVAM VENISSET FIDES.* Antequam doctrina fidei, quae tacita, & abscondita, in paucis latebat, longè, lateq; fuisset disseminata, cuius merito seruanda erant promissa, credentibus: *SVB LEGE CVSTODIEBAMVR CONCLVSI.* *Lex carcer Iudaeorū.* Nos Iudaei ab alijs nationibus segregati, in legis custodia, tanquam inclusi, continebamur. *IN EAM FIDEM, QVAE REVELANDA ERAT.* Non illa quidem perpetua futura erat legis custodia, sed quoad tempus adesset opportunum diuulgandae fidei. Atq; hoc illud est, quod suprà quoq; legi praefixit, tempus, cùm dixit: Donec veniret semen. *ITAQVE LEX PAEDAGOGVS NOSTER FVIT IN CHRISTVM.* *Lex Iudaeorum padagogus.* Altera nunc vtitur metaphora, in qua legem paedagogo similem facit: cuius metu Iudaei, tanquam pueri, in cultus diuini regula, & officio sese conti-

continebant, Sed quemadmodum carceri terminum praescripsit, apertam fidei praedicationem: ita & paedagogiae tempus praefiniuit vsq; ad Christum: ex cuius fide illud perficeretur, quod perfici ex lege nūquam potuisset. De quo inquit. *VT EX FIDE IVSTIFICAREMVR.* Haec igitur Iudaeorum fuit sub lege conditio; haec ratio, qua à lege ad fidem deducti fuère; à custodia scilicet, & formidolosa paedagogi disciplina, ad veram, & ingenuam in Christo libertatē.

AT VBI.

DESCRIBIT nunc statum, in quo non Iudaei modò erant à lege ad fidem traducti, sed & omnes omnium gentiū homines, qui fidei in Christo sacramento tenebantur. Et de Iudaeis quidem inquit. *AT VBI VENIT FIDES, IAM NON SVMVS SVB PAEDAGOGO.* Postea vero quam ex fide iustitiam adepti sumus, desijmus nos Iudaei esse sub lege: sub cuius metu tanquam in custodia, & paedagogi cuiusdam disciplina, continebamur, vsq; dum fides praedicaretur, & Christus agnosceretur. *OMNES ENIM FILII DEI ESTIS PER FIDEM IN CHRISTO IESV.* Non solum nos Iudaeos, sed etiam vos, quibus nunquam legis iugum impositum fuit, per fidem cum Christo Iesu copulatos, mira sibi charitate Deus filios adoptauit. Cuius quidem adoptionis nouam describit, atq; admirabilem rationem. *QVICVNQVE ENIM BAPTIZATI ESTIS, CHRISTVM INDVISTIS.* Sanctissimo fidei sacramento, magna estis cum Christo similitudine coniuncti: vt quemadmodum ille natura, ita vos adoptione sitis filij Dei; quos nullius legis metu, sed vnius, quem accepistis, Christi spiritus motione, more liberorum, diuinis, tanquam paternis mandatis obtemperare deceat. In quo statu, magnam illud habet admirationem, quod nullam relinquit inter vos disiunctionem, nullam varietatem, quae dissidium parere possit. Non naturae. *NON EST IVDAEVS, NEQVE GRAECVS.* Non conditionis. *NON EST SERVVS, NEQVE LIBER.* Non sexus. *NON EST MASCVLVS, NEQVE FOEMINA.* Quae quidem omnes dissimilitudines in lege erant; & lege etiam ipsa fouebantur,

Iudaeorum in fide status.

Gentium omnium in fide status.

Adoptio.

bantur, quae Iudaeis mandabat, vt Graecorum perhorrescerent consuetudinem; alia liberis, alia seruis; alia maribus, alia mulieribus imperabat. Quae omnia sublata, atque sepulta sunt. *OMNES ENIM VOS VNVS ESTIS IN CHRISTO IESV.* Nam ex coniunctione, & similitudine, quae vobis est cum Christo Iesu, ex cuius viua fide, & spiritu, qui bonorum operum magister est, ad salutem, & aeternam felicitatẽ omnes tenditis; vnus singularis homo omnes estis, in quo nullum illae, quae in lege erant, dissimilitudines, ac varietates, locum habere possunt.

SI AVTEM.

Abrahae promissionem adgẽtes pertinere.

Gẽtes semẽ Abrahae.

ILLVD nunc euertit fundamentum, quo (vt supra diximus) Galatarum fidem falsi labefactabant Apostoli, cum dicebant, ad semẽ Abrahae nihil omnino eos pertinere, qui non circũciderentur; neque ijs vllam esse facultatem, promissam haereditatem adeundi. *SI AVTEM VOS CHRISTI.* Si Christum induti estis, tanta cum illo similitudine coniuncti. *ERGO SEMEN ABRAHAE ESTIS.* Propter Christum, cui promissa intelligi debent, quae Abrahae recepit Deus: vt ab eo ad suos omnes, fide scilicet; & charitate cum illo copulatos, permanarent, redundarentque. *ET SECVNDVM PROMISSIONEM HAEREDES.* Ad quos, tanquam veros Abrahae filios, haereditas pertineat, quam Abrahae promisit Deus; vera scilicet, ac sempiterna vita. Atq; eadem est huius conclusionis vis, atq; illius, quam superius collegit.

Qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahae.

DICO

DICO.

VM omnis, tam Iudaeorum, quàm aliarum omnium gentium, salutis spes non in lege ponenda esset, sed in liberatione à lege: non in ijs, quae humanis ingenijs, cùm primum in vitam ingredimur, natura inseruntur, virtutum seminibus; sed in diuinis muneribus, quibus donantur, qui per fidē adoptantur à Deo: nō in eo, quòd ad Iudaeorum, vel alterius cuiusq; nationis progeniem pertineant; sed quòd per fidem semen illud Abrahae sint, cui iustitiae, & salutis aeternae haereditas promissa est: noua quadam similitudine, nō contentus ijs omnibus, quibus hactenus vsus est, declarat Apostolus, quomodo tam Iudaeorum, quam aliarum omnium gentium homines magnis istis ac diuinis bonis ad tempus caruerint, ad quae opportunè per Iesum Christum, seruatorem omnium, perducti fuerint. *DICO AVTEM.* Noua translatione, planè, ac dilucide narro, quae hactenus vobis proposui. *QVANTO TEMPORE HAERES PARVVLVS EST, NIHIL DIFFERT À SERVO, CVM SIT DOMINVS OMNIVM.* Quotidianus vitae vsus, lege naturae, & communi gentium iure confirmatus, atque sancitus, hoc habet, vt qui institutus est haeres, donec per aetatem non licet haereditatem adire, quamuis rerum omnium dominus sit, quia haeres; non tamen distinguatur à seruo, quia puer. *SED SVB TVTORIBVS, ET ACTORIBVS EST.* In quo sibi cum seruo expressa est, & solida similitudo: quae cùm perpetua non sit futura; adiungit. *VSQVE AD PRAEFINITVM TEMPVS À PATRE.* Quod cùm praeterierit, à tutoribus, & rei familiaris curatoribus liberato, paterna bona iure haereditario tenere licebit.

CAPVT IIII.

Lex.

Virtutum semina.

Progenies

Salutis spes vbi ponenda.

Bonorū diuinorum carentia.

Haeres seruus.

ITA ET NOS.

D Iudaeorum, & aliarum omnium gentium diuersos status accommodat similitudinem; adeo congruenter, vt apta omnia, & inter se conuenientia conspiciantur. *ITA ET NOS.* Tam Iudaei, quàm gentes, de quibus iam diximus, quòd

quòd sumus haeredes instituti, haereditatis, quam Abrahae promisit Deus. *CVM ESSEMVS PARVVLI.* Pueritia nostra fuit, cùm adeo essemus infirmi, vt Deum tanquam patrem ne agnosceremus quidem: tempus scilicet illud, in quo cùm fides vulgata nondum fuisset, Iudaei sub lege, tanquā in priuata custodia, vel sub paedagogo asseruabantur. *SVB ELEMENTIS MVNDI ERAMVS SERVIENTES.* Elementa mundi, sub quorum tutela, & procuratione, tanquam timidi, ac diffidentes serui, vitam ducebamus, leges erant, naturalis, & Moysis: haec quidem, quod ad Iudaeos attinet; illa, quod ad reliquas nationes. Nam ab his tum legibus, tanquam initijs quibusdam, & regulis, omnes omnium hominum actiones gubernabantur: ab his etiam tanquam salutis elementis, in Christi seruatoris cognitionem adducendi homines erant; non secus atq; pueri ex primorum elementorum notitia, ad res praeclaras intelligendas assurgunt. Quomodo autem ab hac seruili fermè conditione liberati, & filij, & haeredes fuerint effecti, explanare iam incipit. *AT VBI VENIT PLENITVDO TEMPORIS.* Opportunum scilicet, atq; idoneum, & maturum tempus à Deo Patre praescriptum, vt tutelae esset, ac seruitutis terminus. *MISIT DEVS FILIVM SVVM.* Tantarum rerum Legatum, & auctorem esse voluit eum, quem ab aeternitate genuerat naturalem, & sibi carissimum Filium. *FACTVM EX MVLIERE.* Haec quidem missio fuit, vt qui Deus erat, diuina virtute, ac potestate ex incorrupta virgine fieret etiā homo. De quo etiam ad Romanos scripsit. *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.* *FACTVM SVB LEGE.* Hoc primùm fuit, quod in nos Iudaeos contulit, beneficium; quòd legis Moysi, in cuius seruitio, tanquā in ergastulo, eramus, seruitutem & ipse pati voluit. *VT EOS, QVI SVB LEGE ERANT, REDIMERET.* Tantum abest, vt alienigenas sub legis iugum mitteret, vt ab illis potiùs, qui legis seruituti erant addicti, immēsa hac sua benignitate graue illud iugum repelleret. De quo dixit suprà. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* *VT ADOPTIONEM FILIORVM RECIPEREMVS.* Alterum hoc fuit omnibus commune beneficium; vt tam nos Iudaei ab altero mundi elemento (lege scilicet Moysi, cuius execrationes euadere non poteramus) liberati; quàm vos, qui sub

Iudaeorū, & gētium pueritia.

Elementa mūdi quae.

Temporis plenitudo.

Filij missio quae.

Rom. 1.

Libertas à lege.

Cap. 3.

Adoptio.

sub altero, hoc est, lege naturae, in summis erroribus, & Dei ignoratione, versabamini, à caecis vestris tenebris erepti, adoptione filij Dei efficeremur; ratione, quam suprà exposui: per fidem videlicet in Christo Iesu. Cap. 3.

QVONIAM AVTEM.

TERTIVM hoc est beneficium. Non solùm enim à seruitute erepti, & adoptione filij sumus instituti; sed & ita fidenter nos secum Deus agere voluit, atq; consueuère filij cum parentibus. *Fiducia.* QVONIAM AVTEM ESTIS FILII. Non amplius serui. MISIT DEVS SPIRITVM FILII SVI IN CORDA NOSTRA. Non modò Filium suum misit, factum ex muliere, qui apparere, & oculis cerni posset; verùm in nostris etiam mentibus eiusdem Filij sui spiritum habitatorem collocauit. CLAMANTEM ABBA PATER. Ex missione Filij, libertatem nacti sumus, & adoptionem: ex missione verò spiritus, liberis dignam fidẽciam, qua in intimis cordium nostrorum penetralibus, nos Iudaei nostro vocabulo Deum inclamamus, *ABBA*, vos vestro, *PATER*. *Libertas. Adoptio. Fidentia.* Quo instinctu, qua voce, exsuscitamur, vt filios nos esse agnoscamus Dei, ex cuius vnius voluntate, & cura, nostra omnis pendeat salus: quando eodem spiritu, quo Iesus Christus Deum, patrẽ appellat suum, nos quoq; nosmetipsos Dei esse filios confitemur: in cuius auxilio, & gubernatione, nostra omnis posita esse spes debeat. Ac propterea dixit. SPIRITVM FILII SVI. Hunc verò eundem locum in ea, quae ad Romnos est, Epistola, sic explicauit. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus. Abba pater.* *Rom. 8.* Quartum, quod ex propositis consequens est, beneficium colligit: quod ad certam spem adipiscendae haereditatis, Abrahae promissae pertinet. ITAQVE IAM NON ES SERVVS. *Haereditas.* Tu, ò Galata. Nam & nobis Iudaeis, qui legis seruitute tenebamur obstricti, per Iesum Christum, qui per se ipse, ac sua sponte, eadem se seruitute obligauit, libertas concessa est. SED FILIVS. Adoptione: cujus testem habemus Christi spiritum, in cordibus nostris exclamantẽ. Abba, pater. QVOD SI FILIVS, ET HAERES DEI PER CHRISTVM. Si filium te esse sentis, nihil est, quod ambigas de

diuina haereditate per Christi fidem adeunda; qui primus est haeres, ad quem diuinae promissiones sunt referendae. Quod etiam argumentum in Epistola ad Romanos, tanquam certissimum, sic conclusit. *Ipse spiritus contestatur spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* (Rom. 8.)

SED TVNC.

AB hoc statu libertatis, in quo filios illos, & haeredes esse monstrauit, ne in priorem seruitutem relaberentur, monere incipit: ac primùm in quantum obscuritate, & ignoratione; quàm turpi etiam atq; indigna seruitute versarentur, in memoriam redigit. *SED TVNC QVIDEM IGNORANTES DEVM.* Haec erat vestra ignorantia, quòd similiter atq; pueri, Deum, tãquam verum patrem non cognoscebatis. Nam de alia quadam Dei notitia accipiendum est, quod ad Romanos de iis; qui, natura duce, viuebant, scripsit. *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt; aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiẽs cor eorum.* *HIS, QVI NATVRA NON SVNT DII, SERVIEBATIS.* Haec turpissima seruitus; quòd rebus, à Deo procreatis, tanquam ipsi rerum omnium creatori, atq; effectori, diuinum honorem, & cultum tribuebatis. Quam indignitatem in Epistola ad Romanos asperiùs, ac vehementiùs accusauit. *Mutauerunt*, inquiens, *gloriam Dei immortalis, in similitudinem imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* *NVNC AVTEM CVM COGNOVERITIS DEVM.* Hoc tempore, quod nostrae liberationis, & adoptionis opportunum Deus iudicauit, cùm paternum Dei erga vos amorem perspectum habeatis, & cognitum. *MAGIS AVTEM COGNITI SITIS A DEO.* Nam quemadmodum Ioannes de amore dixit. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum; sed quoniã ipse prior dilexit nos*: Ita & de cognitione, quae hoc loco tractatur, cogitandum. Nisi enim nos Deus cognouisset; ad fidẽ scilicet vocasset; Filij sui spiritum impertisset; deniq; adoptasset; nunquam nos eum, tanquam patrem agnouissemus. *QVOMODO CONVERTIMINI ITERVM AD*

Antiqua ignoratio, & seruitus.
Ignorantia.
Rom. 1.
Seruitus.
Rom. 1.
Dei cognitio.
1 Io. 4.

INFIRMA, ET EGENA ELEMENTA? Ad legem siue naturae, siue Moysi, iustitiae in illis, aut salutis spem ponentes: quarum vtraq; vtpote imbecilla, & manca, Christo indigebat. Et de legis quidem Moysi, debilitate, & indigentia sic ad Romanos scripsit: *Quod impossibile erat legis, quia imbecillis erat per carnem, Deus posteaquam misit Filium suum in similitudine carnis peccati, & pro peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulauimus, sed secundum spiritum.* *QVIBVS RVRSVM AB INITIO SERVIRE VVLTIS?* Ad pueritiam, & seruitutem nulla necessitate astricti, sed vestra sponte redeuntes. Atq; huius reditionis initia ab illis iam posita ostendit. *DIES OBSERVATIS, ET MENSES, ET TEMPORA, ET ANNOS.* Audierat Apostolus, coli apud Galatas, & obseruari Moysi leges, de Sabbatis, Neomenijs, atq; alijs temporum, & annorum solemnibus, festisq; diebus. Ex quo quantopere de illorum salute formidaret, paucis verbis innuit, potiusquā apertè explicet. *TIMEO VOS.* Et tanquam quid de illis timeret, explicatè, & distinctè dicere non auderet, cùm multū haberet acerbitatis, & tristitiae, quasi mitigato sermone adiūxit: *NE FORTE SINE CAVSA LABORAVERIM IN VOBIS.* Ne irriti futuri sint labores mei, frustraq; suscepti, vt ab idolorum vos cultura, ad vnius veri Dei cognitionem, contemplationemq; per Euangelium, & fidem Iesu Christi traducerem. Timebat verò Apostolus, qui omnia circunspiciebat, & accuratè considerabat, ne à lege Moysi, qua implicari iam coeperant, ad idolorum cultum denuò laberentur. Nam quemadmodum Iudaei, dum permitterentur Deum verum corporeis quarundam bestiarum sacrificijs colere, vt leniter, ac molliter de Aegyptiorum superstitionibus, quibus erant illorum mentes imbutae, liberati, ad eiusdem vnius Dei cultum in spiritu, & veritate per Iesum Christum transferrentur, ad idolorū saepe venerationem deflexère (qua de re multae leguntur apud diuinos vates obiurgatoriae conciones) ita pertimescendum erat, ne Galatae à purissimo, atq; castissimo Dei cultu, per fidem in Iesum Christum, ad Iudaicos, & legitimos ritus abducti, ad idolorum rursus cultum relaberentur.

Elementa infirma, et egena.
Rom. 7.

Ad pueritiam, & seruitutē reditus.

Pauli de Galatis timor.

ESTOTE.

SED à comminatione, & tanti periculi denunciatione, ad hortationem se statim confert, & fraternas preces: in quibus cùm longè magis, facta, & res, quàm verba prosint, pulcherrimum & hortatoribus omnibus, atq; magistris aptissimum à facto, & re sumit exordium. *ESTOTE, SICVT EGO*. Meis monitis, atq; consilijs obtemperate: meo hortatu, atq; institutis animos vestros conformate. *QVIA EGO, SICVT VOS*. Non secus, atq; vobis praecipio, ego ipse agam. Dux ero vobis, & magister; non dicendo solùm, sed multò etiam magis faciendo. *FRATRES OBSECRO VOS*. Ad pollicitationem, fraternam adiungit obsecrationem, quoniam (vt suprà quoq; diximus) à falsis Apostolis insimulabatur, quòd in hac quaestione aliter ipse ageret, atque doceret. Propterea fraternè obsecrat, vt non ad malitiosam illorum accusationẽ, sed ad sua cum dicta, tum facta animũ intẽdant.

Hortatio.

NIHIL ME.

RATIONES nunc colligit, quibus ostendat nihil subesse causae, cur non magna Galatas beneuolentia prosequatur, quin etiam multis illorũ meritis, atque beneficijs, obstrictum se esse, & obligatum; id quod magnam habet ad persuadendum efficacitatem: aditumque, & viam aperit ad non molestas repraehensiones. *NIHIL ME LAESISTIS*. Nullam à vobis iniuriam, nullam passus sum contumeliam; vt aliqua possit esse suspitio imminutae meae erga vos beneuolentiae. *SCITIS AVTEM, QVOD PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS PRIVS*. Vobis omnibus patet, notumq; est, me cùm Euangelium vobis antea praedicarem, nudum fuisse, & inopem ab humanis omnibus praesidijs, atq; adiumentis; quibus vestros mihi animos conciliare, & Euangelio fidem comparare possem; ab eloquentia nẽpe, & mundi sapientia, rebusq; caeteris generis eiusdem. Qua de re ad Corinthios sic scripsit apertiùs. *Ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & praedicatio mea non in persuasibilibus*

Carnis infirmitas.

1. Cor. 2.

bus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus, & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum; sed in virtute Dei. ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA. Nostis etiam quāto tempore à me ipso, hoc est ab imbecillitate carnis meae, inopia, & ieiunitate omnis humanae sapientiae, & eloquentiae, tentati, ac lacessiti fueritis, ne mihi crederetis, immo verò ne me audiretis. NON SPREVISTIS, NEQVE RESPVISTIS. Illud, magni beneficij loco, numero; quòd me à imbecillitate, fragilitate, tenuitate, nihil permoti fueritis; vt vel me aspernaremini; vel meam Euangelij praedicationem repudiaretis. SED SICVT ANGELVM DEI EXCEPISTIS ME, AVT CHRISTVM IESVM. Personam adeo leuem, cuius erat auctoritas tenuissima humanis omnibus praesidijs destitutam, tam piè, sanctéq; suscepistis, quàm si Angelus Dei, aut Christus ipse Iesus ad vos venisset.

Tentatio Galatarũ in carne Pauli.

QVAE ERGO.

COMMEMORATIS Galatarum aduersus se officijs, subitam illorum, atq; inconstantem mutationem, tanquam ab omni ratione alienã, reprachēdit. *QVAE ERGO ERAT BEATITVDO VESTRA?* Quid illud erat, quã ob rem, cùm Euangelium à me audiretis, beatos vos opinabamini? Cuius vestrae opinionis testimoniũ à me vobis vbiq; datur. *TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO VOBIS; QVOD SI FIERI POTVISSET.* Idest si licuisset. *OCVLOS VESTROS ERVISSETIS, ET DEDISSETIS MIHI.* Cuius erga me tam vehemētis amoris, nulla poterat esse causa; nisi quià felicitatem vos esse adeptos existimabatis, ex vera, & salutari, quam ego vobis praedicabam, Euangelij doctrina. *ERGO INIMICVS VOBIS FACTVS SVM, VERVM DICENS VOBIS?* Vsq; adeo nè mutati estis, vt me, quem, tanquam veritatis nuncium, tam honorificè tractauistis; & non secus, ac si Dei Angelus, aut ipse Iesus Christus fuissem; velut infensum, atq; inimicum habeatis? quando ab Euangelij veritate, quam à me accepistis, auferri vos sinitis, non aliter, atq; si falsa, & mendacia vos ego docuissem.

Galatarũ mutatio arguitur.

ΑΛΗΘΕ'ΥΩΝ. *Qui vera dicebam.*

AEMV-

AEMVLANTVR.

VIA verò haec tota varietas, & sententiae cõmutatio à minus fideli aliorum consilio proficiscebatur (de quibus inter initia huius Epistolae dixerat: *Sunt quidam, qui vos perturbant.* Illud praeterea. *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* de illis quid nunc sentiret, exponit. *AEMVLANTVR VOS.* Magnum vestri isti consiliarij, amorem erga vos praeseferunt, magnum vestrae salutis studium, cum quadam etiam aliorum aemulatione, & obtrectatione. *NON BENE.* Non bono id quidem animo, nec salutari cõsilio; sed ficto potiùs, ac simulato. *SED EXCLVDERE VOS VOLVNT.* Hoc illud est, quod cogitant, huc rem deducere parant, vt à vera vos Euangelij ratione amoueant. *VT ILLOS AEMVLEMINI.* Ardenti erga illos amore inflammati, relicta Euangelij puritate, idem cum illis institutum teneatis in omnibus. *BONVM AVTEM AEMVLARI.* Consilium nunc interponit suũ, breue; sed prudentiae spiritus, ac fidelitatis plenum. Non prohibeo; sed approbo aemulationem; ardens videlicet studium, & propensam in rem aliquam animi voluntatem. *IN BONO SEMPER.* Animaduertendum verò, vt illud, quod aemulamini, bonum sit: in cuius studio, & cupiditate stabiles, & firmi semper permaneatis; neq; inde excludi, aut repelli vlla ratione sinatis. *ET NON TANTVM, CVM PRAESENS SVM APVD VOS.* Ac si dicat. Talis erat vestra aemulatio, quod ad bonum pertinet, cùm vnà ego vobiscum essem: verùm in eà, vt oportebat, me absente, non perstitistis.

Cap. 1. et 3.

Aemulatio bona.

FILIOLI.

ESCRIPTA aliorum dolosa aemulatione, ac praescripta rectè, & sanctè aemulandi forma, suam nunc erga Galatas singularem beneuolẽtiam, ardensq; studium procurandae illorum salutis, miro exprimit affectu. *FILIOLI MEI, QVOS ITERVM PARTVRIO.* Putaueram ego Euangelij praedicatione, iam Christo vos me peperisse: sed vestrae salutis causa summos iterum sustineo labores, atq; animi

Pauli aduersus Galatas beneuolentia.

animi cruciatus, non aliter, atq; grauida mulier, quae laborat, vt pariat. Ac nescio quantum diuturna futura sit haec mea moestitia: durabit enim: *DONEC FORMETVR CHRISTVS IN VOBIS.* Hoc est, vsq; eo, dum fidei in Christum perfecta vobis donetur cognitio. Tum enim intelligetis tantam esse illius vim, vt nullis ad iustitiam, aut salutem egeat legis Moysi adminiculis. Singularem amorem; summum dolorem; sanctissimam aemulationem his verbis expressit. In quam eandem sententiam, tametsi non eadem vsus translatione, ad Corinthios scripsit: *Aemulor vos Dei aemulatione: Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et quia cum haec scriberet, non sibi videbantur ista, tantum virium, atq; impressionis habitura, quàm si viua voce pronunciarentur, inquit. *VELLEM AVTEM ESSE APVD VOS MODO.* Vt praesens vobiscum de his commodiùs agerem: *ET MVTARE VOCEM MEAM,* Ipsa etiam vocis mutatione, quo animo sim, vobis exprimere. *QVONIAM HAESITO IN VOBIS.* Ne de pura scilicet, ac syncera Euangelij veritate deducamini, & sensim in pristinum vestrum statum recidatis, mea haesitatio notior vobis ex sermone, quàm ex Epistola esse posset.

Parturire.

Fidei vis.

2. Cor. 4.

Pauli de Galatis timor suprà 41.

D I C I T E.

X abstruso, atq; recondito eius scripturae sensu, quam legis cultores frequentissimè audiebant, ac maximopere venerabantur; ostendit perinde esse legi subiectum, atq; seruum esse: proinde similiter facere Galatas, qui cum per fidem in Christum Iesum filij Dei essent, legi se subijcerent, vt si liber aliquis, atq; ingenuus homo, alteri se in seruitutem traderet. *DICITE MIHI, QVI SVB LEGE VVLTIS ESSE.* Qui nulla coacti necessitate, sed voluntarij, legis imperio vos addicitis. *LEGEM NON AVDISTIS?* Illa scilicet sacra literarum monumenta: quae nefas est ignorare eos, qui legi se dedunt. *SCRIPTVM EST ENIM.* Id, quod mox exponam: cuius interiorem sensum penetrare, & cognitum habere necesse est. *QVOD ABRAHAM DVOS FILIOS HABVIT.* Pater erat vnus, filij duo: inter quos quale fuerit discrimen, animaduertendũ. *VNVM*

Legi subiectus seruus.

Lex.

Abrahae filij duo.

DE

DE ANCILLA, ET VNVM DE LIBERA. Penes matres igitur, atq; earum conditiones, ex quibus hos liberos suscepit Abraham, prima extitit varietas: quarum altera ancilla, altera libera fuit. Neq; verò ea solùm spectanda est varietas, verùm & alia, quam adiũgit. SED QVI DE ANCILLA, SECVNDVM CARNEM NATVS EST. Hismael fuit hic, quem ex Agar ancilla Aegyptia suscepit Abraham: in cuius neque conceptione, neq; ortu, aliquid supra humanae naturae vires contigisse legitur. Ideoq; dicitur, secundum carnem natus. QVI AVTEM DE LIBERA, PER REPROMISSIONEM. Hic fuit Isaac, quem ex Sara vxore procreauit Abraham, non naturae viribus: siquidem (vt ad Romanos scripsit) centesimum ferè ille aetatis annum agebat: Sara verò erat planè sterilis, & ad concipiendam prolem inepta; sed diuinae promissionis gratia, quae legitur Gen. primùm, cap. xv. i. confirmatur cap. xviii. & eodem quidem tempore completur, quo Deus ipse praedixerat, quemadmodum legimus cap. xxi. QVAE SVNT PER ALLEGORIAM DICTA. Haec verò omnia, praeter historiam, quae ad communem est, & vulgarem intelligentiam accommodata; abditum quendam, ac reconditum habent sensum, à carnis prudentia remotiorem.

Hismael secundũ carnem natus. *Gen. 16.* *Isaac per repromissionem natus.* *Rom. 4.* *Allegoria.*

HAEC ENIM.

HVNC itaq; sensum, quẽ sola docere potuit spiritus prudentia, in lucem nunc profert, & more quidem suo quàm breuissimè, vt multa, quae in nostram intelligentiam cadere possunt, relinquat. HAEC ENIM SVNT DVO TESTAMENTA. Agar, & Sara, ancilla, & libera, duo vnius Dei, tanquam vnius patris Abrahae, testamenta: dispositiones scilicet, & ordines aeternae haereditatis designant. VNVM QVIDEM À MONTE SINA IN SERVIVITVTEM GENERANS, QVOD EST AGAR. Primum testamentum, cuius quidem Agar significationem habuit, lex fuit, ex monte Sina promulgata; quae seruos generat. Nam (vt ad Romanos scripsit) *Spiritum confert seruitutis in timorem.* AGAR ENIM, SINA MONS EST IN ARABIA. Vnde verò Agar primum significet testamentum

Testamenta duo. *Lex seruos generat.* *Exo. 19.* *Rom. 8.* *Agar Sina.*

mentum, inde ostendit, quòd signum est montis Sina, qui est in Arabia: vbi testamentum illud, scriptum, ac publicè recitatū fuit: signum inquam, vel quòd Arabes montem Sina Agar appellent: vel potiùs, quod similiter, atq; Sina, vbi lata est lex, seruos progenuit: & Agar, cùm ancilla esset, omnino liberum generare non potuit. *CONIVNCTVS AVTEM EST EI, QVAE NVNC EST IERVSALEM.* Mons Sina tametsi in Arabia sit; Ierusalē verò haec terrestris, in Iudaea; mutuam tamen quādam inter se cognationem, siue similitudinē habent. Nam velut in monte Sina serui, ratione mox explicata, procreati sunt; ita & in Ierusalem, quae nunc est, sed perpetua non est futura, quotquot gignuntur, sub iugo legis eandem seruiunt seruitutem. Ac propterea inquit. *SERVIT AVTEM CVM FILIIS SVIS.* Apostolo igitur, hoc est Spiritusancto, quo ille duce oīa edisserebat, interprete, Agar ancilla designauit primum Dei testamentum, siue legem, mōtem Sina, ac terrestrem Ierusalem. Quae omnia certissima sunt seruitutis indicia. Quid verò altera mulier, Sara videlicet, Abrahae vxor, indicaret, paucis exponit. *QVAE AVTEM SVRSVM IERVSALEM, LIBERA EST.* Sara verò non ancilla, sed libera, ex qua diuinae promissionis beneficio Isaac filiū suscepit Abraham, specimen habuit coelestis Ierusalem: vnde alterum emanauit testamentum, quod non seruos gignit, sed liberos: communicat enim nō spiritum seruitutis, sed adoptionis: *in quo* (vt est in Epistola ad Romanos) *clamamus. Abba pater. QVAE EST MATER OMNIVM NOSTRVM.* Qui scilicet, filij Dei sumus per fidem in Christū Iesum. Nam ibi pater est, qui nos adoptauit; inde missus est filius, per cuius fidem, adoptionem accepimus; & Spiritussanctus, qui contestatur spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. De cuius nostrae matris foecunditate, Esaiae vaticinium interijcit: in quo Deus prolem illi prolixè promittit, ac recipit. *SCRIPTVM EST ENIM. LAETARE STERILIS.* Ierusalem videlicet coelestis, quam Sara sterilis adūbrauit. *QVAE NON PARIS.* Quae nihil tandiu fers; nullos suscipis liberos. *ERVMPE, ET CLAMA, QVAE NON PARTVRIS.* Quamuis neq; grauidam te esse sentias, neq; partus appropinquare videatur; vociferatione tamen, & clamore, mulierem assimula parturientem, hac, quae sequitur, diuina promissione freta. *QVIA*

Agar Sina montem significat.

Sina mōtis, & Ierusalem cognatio.

Seruitutē indicant. Lex. Sina. Ierusalem.

Sara caelestem Ierusalem significat.

Euangeliū è cælesti Ierusalem.

Ierusalem fidelium mater.

Ierusalem cælestis foecunditas.

MVLTI FILII DESERTAE MAGIS, QVAM EIVS, QVAE HABET VIRVM. Haec est diuina promissio, Ierusalem coelestem, quae tamen deserta putabatur, eo quòd nullum adhuc genuisset filium, multò plures habituram filios, quàm terrenam: quae à lege, tanquã viro, custodiebatur, atq; obseruabatur. Haec eadem videtur esse promissio, atq; illa, qua Abraham de sobole propaganda sollicitum consolatus est Deus: cum coelum suspicere, ac stellas dinumerare, si potuisset, iussit; ac statim recepit. *Sic erit semen tuum.* Quomodo verò in Iesum Christum credentes, superioris Ierusalem filij sint, iam exponit. NOS AVTEM FRATRES SECVNDVM ISAAC, PROMISSIONIS FILII SVMVS. Non secundum carnem, siue natura; sed diuinae promissionis beneficio, Dei nos, & coelestis Ierusalẽ filij sumus: quemadmodum & Isaac non naturae vi, sed diuinae promissionis gratia genitus est. Promisit enim Deus Abrahae, filium Isaac, & cum eo Iesum Christum: à quo, tanquam ex vberrimo fonte, in omnes nationes, diuinae benignitatis deductio facienda erat: omnes deniq; promisit Abrahae fidei in eundem Iesum Christum, aemulos, atq; imitatores. De qua promissione, alio loco dixit. *Neq; qui semen sunt Abrahae, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen: hoc est; non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij promissionis, reputantur in semen.* Sed priusquam conclusionem explicemus, ad quam festinat Apostolus, diuinam hanc allegoriam, quò explicatior sit, atq; dilucidior, summatim exponamus. Dei Patris effigies Abraham fuit. Duae mulieres duarũ ciuitatum imagines: Ierusalem terrenae, ad quam ex monte Sina delata est lex: Ierusalem coelestis, vnde adoptionis gratia demissa est. Duo filij, duorum populorum simulacra: seruorum, qui apud terrestrem Ierusalem sub iugo legis seruiebant: liberorum, qui per gratiam fidei, omnia bona à coelesti Ierusalem, tanquã filij à parente, ac vera educatrice expectant. Duos hominum status exprimunt, duae gignendi rationes. Altera secundum carnem; quã serui sub lege, qui nihil erant supra hominem, procreabãtur: altera, ex promissione; quã liberi sub gratia diuini spiritus pollicitatione accepta, efficiuntur. *Nam qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.*

Foecunditatis promissio.

Filij promissionis.

Rom. 9.

Allegoriae summa.

Rom. 8.

SED QVOMODO.

D concludit, cuius gratia, sacrae huius historiae allegoriam tractauit, colligitq; ancillae filios non modò seruos esse, sed & vexare filios liberae; & tandē ex haereditate promissa Abrahae, expellendos esse, atq; exturbandos. *SED QVOMODO TVNC IS, QVI SECVNDVM CARNEM NATVS ERAT, PERSEQVEBATVR EVM, QVI SECVNDVM SPIRITVM; ITA ET NVNC.* Vt in hac allegoria pariter omnia, aequaliterq; respondeant, inquit; quòd perinde, vt Ismael secūdum carnem ortus, in ludis etiam puerilibus insultabat insolentiùs in Isaac, cuius ortus in Dei spiritum diuinas promissiones perficientem, referendus est? ita hoc quoq; tempore, qui sub legis imperio seruiūt, illos insectantur, atq; exagitant, qui spiritu Dei aguntur. *SED QVID DICIT SCRIPTVRA?* In hac autem rerum asperitate, & vexatione, ex eadem scriptura consolationem petamus: quae id, quod futurum erat, sic vaticinatur. *EIICE ANCILLAM, ET FILIVM EIVS. NON ENIM HAERES ERIT FILIVS ANCILLAE CVM FILIO LIBERAE.* Quod futurum erat, praedicitur, ac longè priùs denunciatur: ad haereditatem Abrahae à Deo promissam, iustitiam scilicet, ac salutem, ancillae filios, hoc est legis seruituti mancipatos, non peruenturos esse; sed filios liberae, Spiritussancti videlicet gratia adoptatos. *ITAQVE FRATRES NON SVMVS ANCILLAE FILII, SED LIBERAE.* Haec totius est allegoriae conclusio: ad quam nobis, tāquam ad firmissimam columnam, adhaerescendum, Christianos homines non esse legi subditos, sed à legis seruitute, Spiritussancti gratia solutos, ac liberos, diuinis mandatis obtemperantes, non metu; sed charitate, & amore: non coactione aliqua; sed sua spontè, ac voluntate: non vt seruos, sed vt liberos. Nam, *Vbi spiritus domini; ibi libertas.*

Gen. 21. Filiorum Abrahae dissensio.

Haeredes qui.

Christiani à legis seruitute liberi.

2. Cor. 3.

IN LIBERTATE.

CAPVT V.

QVOD propoſuit, confecit. Nam diuino declarauit oculo, quod legis amatores, atque aemuli & magnificiebant, & probabant; Chriſtianorum hominum ſtatum, libertatis eſſe, non ſeruitutis: qualis illorum planè erat, qui ſeueriſſimo legis imperio opprimebantur. Nunc hortatur, ac ſuadet, tanquam liberiorem nactus campum, in quo poſſet excurrere; ne poſt adeptam libertatem, ſeruitutem denno ſibi imponi vlla ratione patiantur. *IN LIBERTATE IGITVR, QVA CHRISTVS NOS LIBERAVIT, STATE.* Si non ancillae filij, ſed liberae eſtis, libertatem retinete, & in ea ſtabiles, & firmi eſtote: cuius auctorem, & effectorem Chriſtũ habemus. *ET NE ITERVM IVGO SERVITVTIS ALLIGEMINI.* Alterius elementi, hoc eſt, legis naturae, famulatu ſoluti, ac liberi, altero, lege ſcilicet Moyſi, ne vos obſtringite. Et cum Galatae à falſis Apoſtolis in eam ſententiam impellerentur, in quam etiam inclinare, & propẽdere iam coeperant: vt exiſtimarent de fide in Chriſtũ Ieſum, nihil derogari per legis Moyſi cultum, atq; obſeruantiam, falſam hanc opinionem, peſtiferumq; errorem, magna ſui nominis auctoritate, ſententiarumq; grauitate, ac verborum ponderibus, depellit Apoſtolus. *ECCE EGO PAVLVS DICO VOBIS.* Qui (vt initio Epiſtolae oſtendi) Euangelium ab homine non accepi, neque didici: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, pro certo vobis confirmo id, quod & ego profiteor, & tam exploratum habeo, vt tanquam à me profectum, nominatim proferri, ac diuulgari velim. *QVOD SI CIRCVNCIDAMINI, CHRISTVS VOBIS NIHIL PRODERIT.* Tantum abeſt, vt per legem ſimul, & Chriſti Ieſu fidem, iuſtitiam conſequi poſſitis: vt ſi circuncisionis ſacramento legem ſuſcipiatis, ac profiteamini, nihil vobis adminiculi à Chriſto ſit expectandum. *TESTIFICOR AVTEM OMNI HOMINI, QVI CIRCVNCIDITVR.* Non modò vobis, ſed cuicunq; cuiuſcunq; nationis homini, Iudaeo etiam, ſi circunciditur, ſumma religione, & fide, ac ſi teſtimonium iuratus dicerem, affirmo. *QVOD DEBITOR EST VNIVERSAE LEGIS FACIENDAE.*

Libertas Chriſtiana retinenda.

Multum Legis Moyſi cultus de fide in Chriſtũ Ieſum derogat.

Circũciſis Chriſt° nihil pdeſt.

Nam

Nam cùm ex circuncisione legem sibi proponat, per quam ad iustitiam perueniat, eaq; nisi integra, inuiolataq; seruetur, iustitiam non conferat; vniuersae seruandae legis debitorem se, obligatumq; constituit. Quicunq; igitur ita circunciditur, vt in lege spem iustitiae adipiscendae reponat; huic nihil à Christo est expectandum, sed omnia à lege integrè incorrupteque seruata. *EVACVATI ESTIS A' CHRISTO, QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI.* Haec est illa conclusio, ad quam peruenire cupiebat, quae ex propositis efficitur: eum non consentanea, sed repugnantia dicere, quicunq; iustitiam ex lege, & ex fide simul statuere conatur. Qui iustitiam (inquit) in legis mandatis, & obedientia ponitis, siue qui circuncisionis sacramento, legi plenè, ac perfectè obtemperantes vos fore pollicemini, abrasi, deleti, ac disclusi estis à Christo. Nihil scilicet vobis est cum Christo: vel (vt paulò ante dixit) nihil vobis proderit Christus. *A GRATIA EXCIDISTIS.* Cuius illa est proprietas, vt non legis operibus tanquam debita retribuatur, sed gratis donetur, quae etiã seruandae legis debitum condonat, atque remittit.

Circũcisio legis vniuersae debitorem cõstituit.

Iustitia ex lege, et fide simul esse non potest.

NOS ENIM.

VM ergo lex omnes, qui in ea iustitiam quaerunt, à Christo excludat, & neque iustitiam, neq; salutem ferat; certam, & directam ad beatam vitam, gloriamq; sempiternam demonstrare viam oportet. Eam verò nunc ostendit Apostolus, qua ipse ingrediebatur vnà cũ omnibus, qui Iesu Christi praesidio, & fide nitebantur. *NOS ENIM.* Qui veram, & incorruptam in Iesum Christum fidem sectamur. *SPIRITV.* Non lege, Spiritussancti suauiter nos tanquam filios monentis ductu; non legis terrore, & minis commoti. *EX FIDE SPEM IVSTITIAE EXPECTAMVS.* Praestolamur, non illius quidem, quae in lege, sed quae in fide posita est, iustitiae fructum: aeternam scilicet salutem, quae non legis, sed fidei iustitiae promissa est. Proinde dicitur, spes iustitiae ex fide, quòd frustra ab ijs speretur, qui non vnius fidei, sed legis iustitiam sequuntur. Hanc verò viam Iudaeis cũ reliquis omnibus nationibus communem esse, sic probat. *NAM IN CHRISTO IESV.* Vt simus in Christo Iesu,

Via ad vitam beatã, & gloriã sẽpiternã.

Iustitiae ex Fide Spes.

Iesu, in quo nostra omnia, & quae tenemus,& quae speramus, bona reposita sunt. *NEQVE CIRCVNCISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRAEPVTIVM.* Nihil interest; siue Iudaico more, & ritu circuncidamur; siue non. *SED FIDES, QVAE PER DILECTIONEM OPERATVR.* Ad iustitiam, & salutem in Christo Iesu adipiscendam, fides illa proficit,ac valet,cuius vis, atq; efficacitas non est ex metu, perinde atq; legis; sed ex amore,& charitate: quae praecipuum illud munus est, quod Spiritussanctus fidelibus largitur. Huius ergo fidei recto,& tuto itinere,non legis periculoso, & lubrico tramite, ad gloriam sempiternam contendere oportet tam Iudaeos, quàm aliarum omnium gentium homines.

Fides Christiana.

CVRREBATIS.

ANC eandem viam, quam absens per Epistolã describit Apostolus,iam antea praesens suo sermone,tanquam digito,monstrauerat:quam etiã decurrere feliciter Galatae coeperant. Propterea inquit. *CVRREBATIS BENE.* Hac scilicet fidei via, ad salutem secundissimo cursu tendebatis. *QVIS VOS IMPEDIVIT NON OBEDIRE VERITATI?* E' vestro vos cursu quis reuocauit, effecitq; vt à veritatis obedientia,& norma discederetis? Duo verò circa coepti iam cursus impedimentum, & à veritatis regula abscessionem spectanda proponit. Primum qualisnam ea fuerit suasio. *PERSVASIO NON EX EO, QVI VOCAT VOS.* Talis nempè, vt à diuino spiritu, qui ad fidem vos vocat, non ad legem, proficisci non possit. Alterum est, ne parum detrimenti ex ea sua suasione extimescerent. *MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT.* Quantulumcunq; illud sit à fide in Iesum Christum, alienum, in quo iustitiae, & salutis spem posueris; periculum vniuersae fidei procreabit: ne tota scilicet contaminetur, corrumpaturque: quam puram,& simplicem esse oportet, nihilq; habere admistum, dispar sui, atq; dissimile. Nè verò omnem de illorum salute fiduciam abiecisse videatur, in bona spe adhuc se esse ostendit. *EGO CONFIDO DE VOBIS IN DOMINO.* De illis sperabat, & bono adhuc animo erat; sed

Galatae à recto ad salutẽ cursu impediti.

Fides in Christũ pura,& simplex.

ſed non illorum virtute, verùm Dei potiùs, & Domini noſtri Ieſu Chriſti praeſidio nixus, magnopere confidebat. *QVO'D NIHIL ALIVD SENTIETIS.* Hoc illud eſt, quod de Galatis ſperabat; quòd puram, & ſyncaerã in Ieſum Chriſtum fidem eſſent conſeruaturi; & nihil ab ea alienum credituri. *QVI AVTEM CONTVRBAT VOS, PORTABIT IVDICIVM, QVICVNQVE FVERIT.* Sperabat quoque, eum, qui illorum fidem perturbabat, confundebatque, pro tanti ſceleris, ac maleficij magnitudine, diuino mulctandum. ac puniendum eſſe iudicio.

EGO AVTEM.

VI apud Galatas omnia miſcebant, ac turbabant, magno praeterea, & impudenti mendacio vtebantur, cùm dicerent à Paulo quoque praedicari circunciſionẽ: vt vel eius rei ementito teſtimonio Galatas fallerent; vel inconſtantiae, qua omnis leuatur auctoritas, Paulũ ipſum inſimularent. Quod quidem ſtuduiſſe illos, ac nixos eſſe, ſuprà quoq; memorauimus. Hoc ergo illorum mendacium apertiſſimo nunc argumento redarguit. *EGO AVTEM FRATRES SI CIRCVNCISIONEM ADHVC PRAEDICO.* Quod mei vobis obtrectatores perſuadere volunt. *QVID ADHVC PERSECVTIONEM PATIOR?* Cum nulla ſubſit cauſa, quare mihi infenſiùs aduerſentur Iudaei; niſi quia perinde vt nunc ſcribo, ita paſsim aduerſus illorum circunciſionem praedico. *ERGO EVACVATVM EST SCANDALVM CRVCIS.* Nihil igitur deinceps Iudaeis accedet offenſionis ex Crucis Chriſti, praedicatione. Ob id enim potiſsimùm offenduntur, quod ea praedicatione fides in Chriſtum Ieſum, tanquam vnica ad ſalutem via, abrogata lege Moyſi, proponitur.

Paulo obiecta crimina. *Sup. cap. 2.*

Scandalũ crucis.

VTINAM.

IVDICIVM, quod paulò ante futurum ſperabat pro Galatarum tranquillitate, & ſalute, nunc optat. *VTINAM ET ABSCINDANTVR.* A' vobis ſcilicet diuino iudicio ſeparentur, ac repellan-

pellantur, tanquam fermentum à massa; impuri a puris; serui à liberis. *QVI VOS CONTVRBANT.* Qui vestram tranquillitatem disturbant, atq; à vestra propria sede distrahunt, diuellunt, exterminant. Cuius formam diligenter exponit, & explicat: vt ex ea, tanquam ex propria domo, & possessione, exturbari se, & expelli non sinerent. *VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS FRATRES.*

Vocatio in libertatem per Iesum Christum.

Haec illa est sedes, ad quam per Iesum Christum estis accersiti, de qua dimoueri, ac depelli nefas vobis sit: vt scilicet liberè omnia, nihil verò seruiliter, & tanquam coacti, faciatis. Hanc verò libertatem duabus conditionibus astringit. De prima inquit. *TANTVM, NE LIBERTATEM IN OCCASIONEM CARNI.* Illa primùm hoc loco cautio adhibenda est, ne libertatis nomen carnis cupiditatibus, quibus aduersus spiritum pugnat, suffragetur; ferat vè subsidium, ac licentiam quandam pariat, auctoritatemq; peccandi. De altera inquit. *SED PER CHARITATEM SERVITE INVICEM.*

Libertatis Christianae cōditiones.

Seruitus mutua ex charitate.

Sit etiam libertas haec cum mutua seruitute, hoc est cum mutuis officijs, coniuncta. Ad quae non legis mulcta, sed charitatis, & amoris arctissima vincula, quibus perinde atq; fratres, colligati esse debetis, vos adducant. Sit igitur Christiana libertas non cum carnis cupiditate, sed fraternae charitatis vinculo coniuncta. Ostendit autem eos si libertate sic explicata potiantur, nihil de lege solicitos esse oportere, cùm vna charitate lex vniuersa contineatur. *OMNIS ENIM LEX.* Quod ad ea pertinet, quae nos praestare tenemur. *IN HOC VNO SERMONE IMPLETVR.* Ad quem, tanquam ad summam, referuntur quaecunq; nobis ex lege seruanda sunt. *DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TEIPSVM.* Quò vno mandato omnia, quae erga homines seruare oportet, summatim comprachendi, in Epistola ad Romanos, docuit. Nam de his, quae erga Deum, fides, quae per dilectionem operatur, de qua hactenus tractauit, abundè praecipit.

Charitas vna legem cōtinet vniuersam.

Rom. 13.

Apostoli falsi fidē, et charitatē perturbabant.

Quia verò falsi apostoli, Galatarum non modò fidem, sed & charitatem perturbabant; discordias, & seditiones concitantes (vnde mutuae iniuriae, contumeliaeq; insignes oriebantur, sanctissimumq; illud charitatis praeceptū violabatur) aptissimè hoc loco, in quàm magno periculo versarentur, admonuit. *QVOD SI INVICEM MORDETIS, ET COMEDITIS.* Si

neglecto

neglecto charitatis mandato, similiter atq; ferae bestiae, alter alterius contumelijs, atque detrimentis animum exaturat. *VIDETE, NE AB INVICEM CONSVMAMINI*. Ne tam graue odium, vniuersis exitium, perniciem, interitum afferat.

DICO AVTEM.

VOD de Christiana libertate paulò ante proposuit, aptissimè, ac plenissimè exponit. *DICO AVTEM*. Ea declaro, quae significaui tantùm. *SPIRITV AMBVLATE*. Haec est libertas, ad quam vocatos vos esse dixi, vt interiores Spiritussancti admonitiones, eumq; ipsum ducem in omnibus vestris actionibus sequamini. De quo alio loco scripsit. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*. *ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS*. Si Spirituisancto obedientes vos praebueritis, nullum ex hac libertate carni adiumentum subministrabitur ad illorum operum perfectionem, quae ipsa concupiscit. Hoc autem manifesto affectuum experimento, quos in seipso quisque sentit, ostendit, ac probat. *CARO ENIM CONCVPISCIT ADVERSVS SPIRITVM, SPIRITVS AVTEM ADVERSVS CARNEM*. Ex hac affectuum carnis, & spiritus dimicatione, ac pugna, fit, vt qui spiritum ducem sequitur, carnis appetitionibus perficiendis nihil suffragetur. Vt verò hanc carnis, & spiritus contentionem acerrimam nemo, quantumuis stupidus, non agnoscat, adiungit. *HAEC ENIM SIBI INVICEM ADVERSANTVR*. Cuius expressum, & maximum signum, illud est, quod sequitur. *VT NON QVAECVNQVE VVLTIS, ILLA FACIATIS*. Nam resistit caro, ne omnia faciatis, quae Spiritu sancto suasore vultis: repugnat spiritus, ne omnia faciatis, ad quae caro impellit. De tota verò ista repugnantia, attentè legendum est Caput 7. Epistolae ad Romanos: vbi in sua persona effictam, atq; expressam nostram hanc quotidianam pugnam videre est: cuius illustrissimum exemplum in Petro Apostolorum principe, nobis propositum est: qui Spiritusancto auctore, ex animo pollicebatur, moriturum se potiùs, si casus necessitasq; expostularet, quam

Libertatis Christianae explicatio.

2. Cor. 3.

Carnis, & spiritus contentio.

Christum Dominum negaturum: quod ne perficeret, quemadmodum volebat, carnis imbecillitas obstitit. Proinde dixit
Matt. 26. illi Dominus. *Sic? non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* QVOD SI SPIRITV DVCIMINI, NON ESTIS SVB LEGE.
Conclusionis de Christiana libertate sũma. Summa haec est conclusionis de Christiana libertate. Si in hac pugna ad Spiritussancti ductum vos applicatis (id enim est spiritu ambulare) nihil vos minae, ac denunciationes legis terrēt, quae illis duntaxat proposita poena timorem inijcit, qui carnis motus, & appetitus perficiunt. Atq; hoc illud est, quod
1. Tim. 1. ad Timotheum scripsit. *Lex iusto non est posita; sed iniustis, & non subditis: impijs, & peccatoribus: sceleratis, & contaminatis: patricidis, & matricidis: homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris: & siquid aliud sanae doctrinae aduersatur; quae est secundum Euangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi.*

MANIFESTA.

VO melius, & dilucidius haec affectuum carnis, & spiritus conflictio dijudicaretur, quaedam enumerat opera carnis; quibus scilicet desideria carnis perficiuntur: quosdam etiam fructus spiritus: quos nempe spiritus Dei tanquam sanctissimũ quoddam, & occultissimum semen in nobis gignit, ac procreat, qui spiritu ambulamus, & ipsum vnum sequimur ducem. Et de operibus quidem carnis, inquit. MANIFESTA SVNT AVTEM OPERA CARNIS.
Carnis opera. Quae homo à spiritu Dei vacuus, ac nudus, tanquam incultus, ac derelictus ager, sua sponte proferre consueuit, passim occurrunt, atq; ostendunt sese. QVAE SVNT, ADVLTERIVM, FORNICATIO, IMMVNDITIA, IMPVDICITIA. Haec opera carnis, ad affectus pertinent; quos in Epistola ad Romanos, appellat affectus
Rom. 1. & 13. ignominiae. A quibus etiam cum dehortaretur, inquit. *Non in cubilibus, & impudicitijs.* IDOLORVM SERVITVS. De quo opere sic ad Rom. scripsit. *Et mutauerunt gloriam immortalis Dei, in similitudinẽ imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* VENEFICIVM. Quo necantur

cantur homines occultè. *INIMICITIAE, LIS.* De litibus loquitur, de quibus ad Corinthios scripsit. *Iam quidẽ omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* *AEMVLATIONES, IRAE, RIXAE, SEDITIONES, SECTAE, INVIDIAE, CAEDES.* Differt ab aemulatione inuidentia: quòd haec, aegritudo est animi ex alterius rebus secundis: illa verò, ex eo quòd alius re potiatur, quam ipse concupieris. Ira est vlciscendi libido. Rixa, verborum concertatio. Seditio, aperta est multitudinis dissentio, seu turba. Secta verò, paucorum est à communi disciplina, & institutione secessio. Ex quibus omnibus, cùm acriùs exardescunt, caedes, & occasiones oriuntur. Duobus autem in Epistola ad Rom. vocabulis comprehenduntur, cum dicitur. *Non in contentione, & aemulatione.* *EBRIETATES, COMESSATIONES.* Et horum, verbis iisdem extat eodem loco dissuasio. *Non in comessationibus, & ebrietatibus.* *ET HIS SIMILIA.* Neq; enim enumerari possunt omnia. *DE QVIBVS PRAEDICO VOBIS, SICVT ET PRAEDIXI.* Vt cum oratione, qua apud vos vsus sum, congruat, consentiatq; Epistola. *QVOD QVI TALIA AGVNT, REGNVM DEI NON CONSEQVENTVR.* Qui id genus operibus, carnis appetitiones explent, regni Dei haereditatem non sunt adituri: ad quã per fructum spiritus peruenitur, quem mox proponit, cum omnibus sibi coniunctis salutaribus donis.

1.Cor. 6.

Aemulatio, & inuidentia.

Ira.

Rixa.

Seditio.

Secta.

Rom. 13.

FRVCTVS AVTEM.

OPERIBVS carnis, quibus varij carnis affectus perficiuntur, vnicum, ac singularem Spiritussancti fructum opponit: cũ quo & alia quaedam coniungit salutaria bona, quae inueniri non possunt, nisi vbi diuina, & admirabilis Spiritussancti vis, cum hoc suo primario fructu inuenitur. *FRVCTVS AVTEM SPIRITVS, EST CHARITAS.* Hic ille vnicus est, ac praestãtissimus fructus, qui à Spiritusancto capitur, quem in Epistola ad Corinthios, viam appellat excellentiorẽ: qua videlicet proficiscuntur, qui spiritu ambulãt, & desideria carnis non perficiunt: de qua paulò ante dixit.

Spiritus fructus.

1.Cor. 12.

Per charitatem seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. *GAVDIVM.* Vnum tantùm est, quod charitatem contristat, quae in reliquis omnibus exultat. Id quale sit, ex eo, quod ad Corinthios
1. Cor. 13. scripsit, intelligi potest. *Non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati.* *PAX.* Amouet charitas cupiditates omnes, ex quibus discordia oriri possit. Nam, *Non inuidet; non agit perperam; non inflatur; non quaerit, quae sua sunt; non irritatur; non cogitat malum.* *LONGANIMITAS.* Haec ad charitatem pertinet, quae (vt eodem loco dixit (μακροθυμεῖ. Nullum scilicet, neque ad iram, neque ad aliam quamlibet animorum perturbationem, progressum habet praecipitem, aut inconstantem. *BENIGNITAS* χρηστεύεται, etiam charitas; cùm nullam secum ferat, neq; in sermone, neque in moribus asperitatem. *BONITAS.* Ad quam pertinet, quibuscunque rebus, alijs commodare. *FIDES.* Ei, quem diligit: omnia credit charitas. Qua ratione fit, vt fidem conseruet, atque etiam adaugeat. *MANSVETVDO.* Mira est in sermone, atque omnibus actionibus, lenitas, ac facilitas: quae ab omni non solùm abest asperitate; sed gratissima condit omnia; humanitate suauitateque. *CONTINENTIA.* Qua omnes carnis cupiditates refrenantur, ac coercentur: ne videlicet operibus expleantur, perficianturque. *ADVERSVS HVIVSMODI NON EST LEX.* Erga hominem hoc vno Spiritussancti fructu, quem tot consequuntur salutaria munera, praeditum, nihil potest lex. Nam (vt suprà docuit) vna charitate vniuersa lex continetur: ea videlicet legis mandata, quae nos praestare oportet. Proinde etiam dixit. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Hoc est, non legis mulctatione deterriti benefacitis: non legis auctoritate, & imperio; sed ductore sancto Spiritu domitas habetis libidines; & benè, beateque viuitis, quemadmodum Christianis hominibus viuendum est. De quorum vita subiungit.

QVI AVTEM.

ANTVM abest, vt qui ad Christum Iesum verè pertinent, carnis desiderijs obsequantur, vt eis maximè proprium, ac peculiare sit, carnem ipsam, hoc est, totum, quod in ipsis à natura corrupta est, necauisse, vnà cum affectibus, & cupiditatibus. De quo inquit. *QVI AVTEM CHRISTI, CARNEM SVAM CRVCIFIXERVNT.* Totum scilicet illud, quod in ipsis non à Christo est, refutarunt, ac reiecerunt, atq; ad salutem adipiscendam nullo loco numerarunt. *CVM VITIIS, ET CONCVPISCENTIIS.* Vt non solùm in pugna aduersus spiritum, palmam eis non concedant; sed vt nulla illis ratione morigerentur. Hoc autē totum sibi iam contigisse ostendit, cum dixit. *Vnà cum Christo crucifixus sum*. Ad hoc autem sequitur, vt omnis Christianorum hominum vita, in spiritu Dei, qui idem est, & Christi, posita sit. Ac propterea inquit. *SI VIVIMVS SPIRITV.* Necata, & Cruci suffixa carne, quemadmodum Christianos homines decet. *SPIRITV ET AMBVLEMVS.* Spiritui consentiamus; atque omnino obtemperemus. A quo cum maximopere dissentiat inanis gloriae cupiditas; quo morbo cùm laborare Galatae coepissent, in controuersias, & quaestiones de lege adducti, ne vltra progrederentur, inquit. *NON EFFICIAMVR INANIS GLORIAE CVPIDI.* Ex quâ fit, vt alter alterū ad disputationem, & concertationem pronocet; alter alterius laudi, ac gloriae inuideat.

Carnē crucifigere qd.

Sup.c.2.

INVICEM PROVOCANTES, INVICEM INVIDENTES.

FRATRES.

CAPVT VI.

E verò inanis gloriae cupiditas longiùs ferperet, atq; progrederetur; neq; procaces in lacessendo essent, & inuidentiae morbo laborare pergerent Galatae; quibusdam eos praeceptis ad charitatem informat: quae omnia tolerat, & neq; inuidet, neq; animos inflat. Quorum primò eos respicit, qui carnis imbecillitate, in aliqua saepe re delinquebant: atque eos, qui cùm Spiritussancti virtute firmiores essent, non tam facilè in aliquod vitium delabebantur. Inter quos si non acerbum semper odium; attamen vel inuidiae, vel leues nonnunquam offensiones excitabantur. Ex quibus verendum erat, ne charitas inter eos penitus dirimeretur. *FRATRES.* Hoc eos nomine compellat, vt ad fraternae charitatis memoriam, eorum animos reuocaret. *ET SI PRAEOCCVPATVS FVERIT HOMO IN ALIQVO DELICTO.* Siquis ex carnis fragilitate priùs deliquerit, quàm sibi, ne delinqueret, succurreretur: siquis in morbum inciderit, antequam prouideri, ac medicamento aliquo praecaueri posset. *VOS, QVI SPIRITVALES ESTIS.* Qui Spiritussancti munere plus habetis roboris, stabilitatis, atq; constantiae. *HVIVSMODI INSTAVRATE.* Huic opem, ac subsidium ferte; atque adiuuate; vt in priorem statum restituatur. *IN SPIRITV LENITATIS.* Siue monendus; siue obiurgandus; siue castigandus sit; mansuetè haec omnia, non iracundè, aut furenter fiant: vt & in vobis eluceat mansuetudo illa, quam Spiritussancti, siue charitatis fructum esse praediximus. *CONSIDERANS TEIPSVM, NE ET TV TENTERIS.* Illud tecum reputans, quòd tentari, atque etiam labi ipse potes: quod si fortè contigeret, non nimis acerbè, & asperè; sed remissiùs, ac leuiùs tecum agi velles. Rectè ergo feceris, si fratris tui animum simili ratione tractaueris.

Imbecilles carne, robusti spiritu.

Castigatio qualis esse debet.

ALTER

ALTER ALTERIVS.

LTERVM praeceptum ad conciliandam, & maximè confirmandam fraternam charitatem aptissimum: vt alij aliorum onera suscipere, atq; alleuare studeant. Quod tametsi commune sit, ac latissimè pateat; illud tamen maximè respicit, quod proximè praecepit; nēpe vt qui per Spiritus sancti beneficium, & munus consistit inuictus, eum, qui per carnis imbecillitatem cecidit, erigere, & perinde, ac laxatum eiusdem corporis membrum, in locum suū reponere studeat: vt si & ipse lapsus aliquando fuerit, alterius studio corrigatur, repareturq;. *ALTER ALTERIVS ONERA PORTATE.* Manus manum lauet; & digitus digitum. *ET SIC ADIMPLETE LEGEM CHRISTI.* De qua paulò superius dixit. *Per charitatem seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur. Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Ne verò quisquam insolenter se efferret, existimans de loco se, vbi semel constiterit, nunquam casurum: inquit. *NAM SIQVIS EXISTIMAT SE ALIQVID ESSE.* Si quisquam de se vsque adeo immoderatè sentit, vt concidentibus alijs opem ferre posse existimet; se verò aliorum auxilio nunquam futurum indigentem. *CVM NIHIL SIT.* Neq; enim quod sibi tribuit, re vera tenet, aut possidet. *IPSE SE SEDVCIT.* Mētem ipse suam cogitatione ista, arrogantiae, & temeritatis plenissima, in fraudem inducit. Ne autem quispiam, illorum praesertim, qui plus aequo sibi arrogabant, hoc secundo praecepto non suum tantùm, sed & alterius quoq; onus sibi gestandum, impositum esse putaret; cùm ex eo potiùs consequatur, vt suum tantū vnusquisq; ferat; adiunxit. *OPVS AVTEM SVVM PROBET VNVSQVISQVE.* Diligenter quisq; examinet, ac ponderet, quod sibi gerendum est ex charitatis lege opus, ac negotium; quid cuique debeat: id nempe suum est onus. *ET TVNC IN SEMETIPSO TANTVM GLORIATIONEM HABEBIT, ET NON IN ALTERO.* Cùm rectè perpenderit, sui quid muneris, atq; operis est; idq; à se inuenerit castè, & integrè administrari; tum quidem gloriari poterit, quòd suum duntaxat, non alterius etiam perferat onus. Ex hoc igitur praecepto, *Alter alterius*

Charitatis fraternae cōfirmatio.

Onera mutua.

Cap. 5.

Arrogātia mentem decipit.

Munus suum cuiq; examinandum.

terius onera portate, id protinus efficitur, quod sequitur. *VNVSQVISQVE ENIM ONVS SVVM PORTABIT.* In quo portando alteri opitulatur, ac subuenit; vt & ipse suum leuiùs ferat. Cuius quidem rei, cum videatur obscurior, exemplum aliquod, ab hoc loco non alienum, ponẽdum est. Quanquam autẽ ex tertio, quod mox sequetur, praecepto, apertum, ac manifestum proponi potuisset exemplum: hoc tamen ne praetereamus. Mei muneris atq; operis est, cùm fratrem videro aliqua in re delinquentem, de eo redintegrãdo, reparãdoq; solicitum esse, & anxium. In quo me illi praebeo adiutorem, onusq; illius aliqua ex parte fero. Eius contra officij, atq; operae est, leniter monentem non aspernari ad se redire; & pro sua renouatione, & instauratione laborare. Quod dum facit, ita suum fert onus, vt & meo quoq; magnam afferat leuationem. Qua ratione fit, vt alij aliorum onera portemus; & proprium tantùm vnusquisque portet; ac nemo, nisi in semetipso glorietur, & non in altero.

Alter alterius onera quõ portet, ac suũ vnusquisque ferat.

COMMVNICET.

HABET tertium hoc praeceptum magnam cum antecedente coniunctionem. Praecipitur enim, vt qui de Euangelio ab aliquo instituitur, docetur, instruitur, & ipse vicissim participem illum faciat suorum omnium bonorum. *COMMVNICET AVTEM IS, QVI CATHECHIZATVR VERBO, EI QVI SE CATHECHIZAT, IN OMNIBVS BONIS.* Vbi vides tam doctorem Euangelij, quàm discipulum, suum quenq; proprium exercere munus; suum portare onus: & tamen alterum ab altero iuuari; siue alterum alterius leuare onus, atq; indigentiam.

Cathechismi remuneratio.

NOLITE.



TOTAM hanc partem, in qua posteaquam suae doctrinae de Christiana libertate, illam adhibuit cautionem, vt viderent ne libertatis nomen carni auxilium ferret aduersus spiritum, de quorum inter se pugnantium conflictione praeclarè multa admonuit: sic concludit, vt extrema vtriusq; osten-

Carnis, & spũs fines.

ostendat: quò videlicet caro, quò spiritus quenq; deducat.
NOLITE ERRARE. In hac de Christiana libertate, doctrina, in qua omnis perniciosus est error, omnem errorem depellite. *DEVS NON IRRIDETVR.* Sub nomine libertatis spiritus, carnis illecebris, & cupiditatum lenocinijs obsequendo, eludere Deum non potestis. *QVOD ENIM SEMINAVERIT HOMO, HOC ET METET.* Sub hac translatione; vt sementem feceris, ita metes; illa latet sententia, quam Dauid plenissimè explicauit, Christus confirmauit, Apostolus ipse alio loco apertissimè retulit. *Reddet Deus vnicuiq; secundum opera sua:* Vt seminare referatur ad opera; metere autem ad operum, siue laborum fructum, seu mercedem. Seminandi verò, ac metendi, duas inter se disiunctas, maximèq; diuersas rationes explicat; vt quisque quam sequatur, attendat. *QVONIAM QVI SEMINAT IN CARNE SVA.* Seminare in carne, est carnis cupiditates per opera, quae suprà enumerauit, perficere. *DE CARNE METET CORRVPTIONEM.* De carnis operibus, aerumnā scilicet, miseriam, ac perniciem consequetur, ac mala omnia; in quae incurrunt quicunque ad regni Dei haereditatem non perueniunt. *QVI AVTEM SEMINAT IN SPIRITV.* Non suo, sed Dei. Seminare autem in spiritu Dei, illud est, quod suprà dixit; spiritu ambulare: siue ad vnicum illum spiritus fructum, charitatem videlicet, opera omnia semper, tanquam sagittas, aut hastas, collineare. *DE SPIRITV METET VITAM AETERNAM.* De fructu spiritus, haereditatem capiet, regni Dei, quae est vita sempiterna, ab omni interitu secura.

Psal.61. *Matt.16.* *Rom.2.*

Seminare in carne.

Seminare in spiritu.

BONVM AVTEM.

VOD per translationem dixit, apertè nunc explicat. *BONVM AVTEM FACIENTES.* Id enim est, seminare in spiritu. *NON DEFICIAMVS.* Nullis laboribus, aut periculis animum à benè agendi cura, & studio laxemus. *TEMPORE ENIM SVO METEMVS.* Fructum iam explicatum scilicet, vitam aeternam modò seminemus. *NON DEFICIENTES.* Haerentes semper, & perseuerantes in fructu spiritus, hoc est

charitate: ac rectè agendi studium defatigati non relinquentes. *ERGO DVM TEMPVS HABEMVS, OPEREMVR BONVM AD OMNES.* Totam hanc hortationem sic concludit. Donec hanc viuimus autem, in qua serendi opportunum est tempus, bonorum operum semina, larga manu spargamus; beneuolentiam, & charitatem erga omnes homines prae nobis ferentes. *MAXIME AVTEM AD DOMESTICOS FIDEI.* Praecipuè verò benefici erga illos esse debemus, cum quibus fraterna illa, ac sanctè colenda fidei in Christum, nobis est necessitudo: quos non vt hospites, atq; alienos; sed perinde, vt domesticos, intimos, & in vna atq; eadem domo natos, pariq; disciplina educatos, diligere, & caros habere debemus.

Domestici fidei.

VIDETE.

AD Epistolae conclusionem accedit: in qua cum illorum, qui contra disputauerant, atque omnia apud Galatas perturbauerant, fraudulenta consilia detegit; tum de seipso, hoc est constanti suo proposito, atque instituto, pauca quaedam inserit. *VIDETE QVALIBVS LITERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANV.* Ponderari vult hanc Epistolam: quàm copiosè scilicet, constanter, apertè, sine fuco, & fallacijs, sententiam explicauerit suam: ponderari praeterea, quòd sua manu scripserit: vt nemo sibi obijcere posset, quòd aliter, atque in ea continetur, vel sentiret, vel alibi praedicaret. Quibus omnibus consideratis, plus ponderis, atq; momenti, suam hanc Epistolam habituram putauit. *QVICVNQVE VOLVNT PLACERE IN CARNE, HI COGVNT VOS CIRCVNCIDI.* Qui contrà, atq; ego, in hac controuersia sentiunt, oppugnatores mei, ac vestri perturbatores, ad legis sacramenta vos adigentes, illud potissimum spectant, vt nationem suam adulentur. Erant enim Iudaei, quibus mira quadam erga carnē, siue genus suum affectione, magnopere placebat, vt praedicaretur exteris nationibus, nullam ad salutem patere viam, nisi legem vnis Iudaeis traditam profiterentur. Placere ergo in carne, erat arctè tenere, accurateq; defendere eas praerogatiuas, quae illorum carni siue nationi peculiares erant.

Epistolae conclusio.

Galatarū perturbatores dolosi.

Pauli constantia.

Pauli sententia, sua manu scripta.

Placere in carne.

TAN-

TANTVM VT CRVCIS CHRISTI PERSECVTIONEM NON PATIANTVR. In captando autem Iudaeorum fauore, & gratia, illud tantùm sibi propositum habent, ne ab ipsis vexentur, atq; exagitentur, ex Crucis Christi praedicatione: quae tum quidem syncera est, cùm in ea vna docetur, positam, & defixam esse debere omnem humanae salutis fiduciam. Quam quidem praedicationem, tanquam ipsorum legi aduersantem, inimicè insectabātur Iudaei. Quàm diuerso ergo itinere, à falsis apostolis Paulus incederet, iam videmus. Neq; enim quemadmodum & illi, vel suae genti placere quaerebat; vel vexationem, atque exagitationem synceris Crucis Christi praedicatoribus paratam, defugiebat. Ne verò diceret aliquis diuinae legis zelo, vt scilicet ad eam, tanquam ad perfectissimam normam, hominum vita dirigatur, moresque formentur, praedicari ab illis circuncisionem: ne fucus hic praetexeretur, inquit. *NEQVE ENIM QVI CIRCVNCIDVNTVR.* Siue Iudaei sint, siue alterius cuiusuis nationis, à Iudaeis ipsis persuasi. *LEGEM IPSI CVSTODIVNT.* Vt suae praedicationi legis nomen praetendere possint, ac dicere; vrgeri à se circuncisionem, vt legi Dei obtemperetur. Quod autem hoc loco asserit, nihil sanè opus erat probare: cùm suprà dixerit, ac legis ipsius testimonio probauerit, quòd quicunque ex legis operibus sunt, sub maledicto sunt. Ex quo statim id efficitur, quod sequitur. *SED VOLVNT VOS CIRCVNCIDI, VT IN CARNE VESTRA GLORIENTVR.* Ad eas, quas exposui, rationes, quamobrem ad circuncisionem isti vos impellant: vt scilicet suae genti placeant, & periculum atque discrimen synceris Euangelij praedicatoribus propositum effugiant; accedit & tertia haec. Tam cupidè instant, vt circuncidamini, quò gloriari possint, ipsis auctoribus, ac suasoribus impressum esse, & extare in carne vestra, qui Iudaei non estis, signum professionis, & cultus legis Iudaeorum.

Crucis Christi syncera praedicatio quae.

Pauli via à falsis apostolis diuersa.

Circuncisi legem non custodiūt.

Cap. 3.

Circūcisione apostoli falsi cur praedicabant.

MIHI AVTEM.

SVVM nunc consilium, atq; institutum constantiae plenum, & firmitatis, illorũ dolis, ac fraudibus, tanquam contrarium contrario, opponit. *MIHI AVTEM ABSIT GLORIARI, NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.* Illam ego cogitationem horreo, ac reformido, vt non modò in carne vestra, verùm, & in quacunque alia re (siue ea mihi, siue genti meae peculiaris sit) glorier, praeterquam in vna; pura scilicet, & incorrupta praedicatione Crucis Christi: quam omni nationi, vt vnicam propono, & tutissimam adipiscendae salutis viam. *PER QVEM MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS EST.* Christi in cuius vna Cruce glorior, gratia non meae modò genti gratificari nihili facio; sed & vniuersum terrarum orbem, tanquam mortuum existimo: nihil ab eo ad salutem, auxilij; nihil gratiae, aut fauoris expectans. De quo in Epistola ad Philippenses, inquit. *Propter Christum, omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora, vt ipsum lucrifaciam.* *ET EGO MVNDO.* Mundus quoq; me pro mortuo, ac planè nihilo habet; quasi sibi nulla in re prodesse, aut fructum afferre possim. Vnde constat, quo loco is, qui in vna Christi Cruce omnem humanae salutis rationem collocauit, mũdum numeret, atq; à mundo numeretur. Nullo sanè. Proinde in ea quae ad Corinthios prior est Epistola scripsit. *Tanquam purgamenta mundi facti sumus, omnium peripsema vsq; adhuc.* Affert autem diuini huius instituti praeclaram admodum rationem, quare in vna Christi Cruce gloriandum sit: cuius gratia reputare quisq; debeat, & mundum sibi, & se mundo per summam opem, atq; fiduciam in Christi Cruce, mortuum esse. *IN CHRISTO ENIM IESV, NEQVE CIRCVNCISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRAEPVTIVM.* Mundum secat in duas partes: in quarum vna Iudaeos; reliquas omnes nationes in altera collocat, & inquit. Haec est mei instituti ratio, ad cuius vos exemplum cõformare cupio. Nam ad salutem per Christi Crucem comparandã, nihil conferunt magna illa, & diuina bona: ad quae, tanquam ad salutis fundamenta firmissima, adnituntur Iudaei: lex videlicet, legisq; ceremoniae: neq; item illa, quibus aliae nationes

Pauli gloriatio.

Mundus Paulo per Christum crucifixũ.

Paulus per Christum mundo crucifixus.

Cap. 4.

Mundi in duas partes sectio.

Iudaeorũ fiducia.

Gentium fiducia.

tiones magnopere confidunt; humana sapientia nempe, ac prudentia. *SED NOVA CREATVRA.* Quae esse non potest, nisi vetus intereat. Interit autem, dum adiumenta, ac subsidia omnia, quae ad salutem à natura quisq; sibi habere videtur, repudiat, ac Cruci affigit, atq; in vna Christi morte omnia ponit. Renouatur autem, dum in sacrosancto baptismi sacramento, per fidem, omnem exuit peccati vetustatem; ac Spiritum sanctum accipit: quo, quasi à mortuis vnà cum Christo excitata, in nouitate vitae ambulat. Proinde paulò superius dixit. *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides; quae per dilectionem operatur.*

Creaturae veteris interitus.

Creaturae renouatio.

ET QVICVNQVE.

OPTAT omnibus, huic doctrinae consentientibus, in qua communis omnium Christianorum regula exprimitur, & pacem, & misericordiã Dei. Quae etiam bona precatur Israeli: vt ostendat non suae gentis odio; sed veritatis in lucem proferendae gratia, haec omnia scripsisse. *ET QVICVNQVE HANC REGVLAM SECVTI FVERINT, PAX SVPER ILLOS, ET MISERICORDIA, ET SVPER ISRAEL DEI.* Pax Dei in omnibus calamitatibus, ac miserijs magna hominem consolatione sustentat. Misericordia verò, calamitosis potissimùm, atque afflictis subuenit, opitulaturque. *DE CAETERO NEMO MIHI MOLESTVS SIT.* De his quaestionibus meam explorando sententiam, quam apertè, & copiosè explicaui. *EGO ENIM STIGMATA DOMINI IESV IN CORPORE MEO PORTO.* Signa, siue notae Domini Iesu in corpore Pauli impressa, & insignita, res erant aduersae, quas pro illius nomine tolerabat: fugae periculosae; plagae mortifetae; percussiones insanabiles; periculosa discrimina; cruciatus vehementes. Quorum magnam partem in altera ad Corinthios Epistola, persequitur. Haec (inquit) omnia, quae occultari non possunt, animi signa sunt; non legi, & circuncisioni; sed vni Domino Iesu Christo confidentis. De quibus etiam signis sic alio loco scripsit. *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro*

Pax Dei.

Misericordia Dei.

Stigmata Iesu in corpore Pauli.

2. Cor. 11.

2. Cor. 4.

nostro circunferentes; vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum; vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM SPIRITV VESTRO, FRATRES.

Precatio breuis.

Ad spiritum pertinet humanum, quae ad Dei cultum, pietatem, religionem, salutem, attinent, quaerere. Propterea breui precatione concludit Epistolam: ac spiritui Galatarum Christi gratiam petit: sine qua, pro pietate impietatem; pro religione superstitionem; pro salute perniciem inueniret. Vehementis verò animi sui aduersus Galatas affectus, nota est ea particula, qua precationem, atque Epistolam concludit; seq; obtinendae suae petitionis desiderio magnopere laborare ostendit.

AMEN.

D E

DE LOCIS EPISTOLAE AD GALATAS, QVIBVS AD SVA CONFIRMANDA DOGMATA ABVTVNTVR HAERETICI,

Quæstiones Sexaginta septem.

QVAESTIO PRIMA.

De Peccatorum expiatione per opera, quas satisfactiones appellamus.

LOCVS PRIMVS.

Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, qui dedit semetipsũ pro peccatis nostris.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

RIMVS hic est diuinae huius Epistolae locus, quem illi, qui de haeresi nos damnant, Theologi sophistae obscurant, ac penè obruunt, impia illa suorum operum, siue afflictationum doctrina, quas appellant satisfactiones pro peccatis. Sed eas adhuc docere, aut stabilire, vel vno verbo ex sacris literis, excerpto, non potuerunt; vel vno Patrum efficaci testimonio: quorum nomine sua omnia somnia venditant; & quotquot suo ipsi arbitratu finxerint religionis decreta. E quibus vnum hoc est de satisfactione pro peccatis. Nam si possunt peccata nostra aboleri per opera nostra, quid quaeso opus erat Iesum Christum, Dei Filium, semetipsum dare pro peccatis nostris? Perinde ergo est humanã aliquam satisfactionem pro peccatis

tis statuere: cuius nomen vel ea ratione odiosum nobis esse debet, quia valde periculosum: cùm perniciosam inducat opinionem, posse hominem pro suis peccatis, Deo facere satis. Perinde inquam est, hoc statuere, atq; hunc Pauli locum reijcere, respuereq;, ac planè negare; Filium Dei semetipsum pro peccatis nostris dedisse: quod est, ipsum conculcare, & sanguinem testamenti pollutum ducere; qui abluere peccata nostra non potuerit sine adiumento fecis, ac sordium operum nostrorum.

Heb. 10.

REFVTATIO.

NISI Deus pater aeterno illo suo, immensoq; amore erga nos, proprio Filio non pepercisset, ac pro nobis omnibus illum tradidisset; illum inquam Filium, quem propter scelus nostrum percussit; & in quo nostras omnes posuit iniquitates: nulla vnquam nobis iusta contigisset peccatorum venia. Nisi agnus ille innocentissimus, Iesus Christus, Dei filius, peccata nostra (vt Io. Baptista praedicauit) sustulisset, ac semetipsum pro peccatis nostris dedisset, oblationem, & hostiam Deo in odorem suauissimum: nullam omnino haberemus pro peccatis nostris satisfactionem. Hoc semper fuit, eritq; firmum, & perpetuum Catholicae Ecclesiae fundamentum: praeter quod, cùm de peccatorum venia agitur, nemo aliud ponere potest. Verùm ne quis fundamentum pro toto aedificio acciperet (id, quod saepenumero callidè admodum moliti sunt, hodieq; moliuntur haeretici) ad id, quod à Patribus ex vero, & intimo sacrarum literarum sensu superaedificatum est, diligenter animum attẽdere oportet. Sunt in omni graui, & mortifero peccato tria praecipuè spectanda: culpa primùm ipsa: sempiternum deinde supplicium, quod illi iure deberi nemo sanus vnquã negauerit: poena deniq; ad tempus luenda, his qui post baptismum in peccata recidunt; ac poenitentiae sacramentum, tanquam vnam de naufragio tabulam arripiunt. Duo illa priora, vnica tantùm Christi satisfactione, per fidem, & sacramentum aliquod communicata nobiscum, atq; impertita, condonantur: at tertium illud non nisi illius eiusdem Christi satisfactionis diuina vi, atq; virtute illis remittitur, & condonatur; qui cum Deo in gratiam redière; fideq; sunt, & charitate cum Christo coniuncti. In quo insuper statu, non modò patienti, sed etiam libenti

Rom. 8. *Isa. 53.* *Ioan. 1.* *Gal. 1.* *Eph. 5.* *In peccato mortali tria consideranda.*

libenti animo irrogatam sibi mulctã illis operibus persoluunt: quae cum idonea iudicantur, & sunt, ad tollendam quae superest, poenae obligationẽ; tum verò ad naturae nostrae peccandi consuetudine deprauatae comprimendos impetus, refrenandumq; perpetuam illam ad peccandum procliuitatem, vim habent maximam. Non potuissent igitur vllo pacto per opera quaecunque nostra deleri nostra peccata, nisi pro ipsis antea Christus Iesus semetipsum dedisset: neq; nos ea (quod ad eam quoq; partem attinet, quae explicata est) abstergeremus, nisi Christus seipsum antea pro nobis tradidisset. Nam omnis nostra satisfactio nullius certè, vi sua, atq; natura, pōderis est: sed vim omnem sumit ex ea parte, quatenus vnica Christi satisfactione nititur: cuius ratione benignè à Patre accipitur, atq; eius non tam iustitiae, quàm erga Christum, & eos, qui Christo fidunt, amori, & beneuolentiae satis esse dicitur. Quid eorum, quae hac Patrum doctrina continentur, vel inficiari, vel oppugnare possūt haeretici? An quod de culpae, poenaeq; sempiternae remissione dicimus? Nihil certè esset impudentius, & ab istorum haeresi, qui nobis hodie negotium facessunt, alienius. An de poena ad tempus pendenda? Hoc ipsum. Cur? Quia non oportuisset, inquiunt, Filium Dei semetipsum pro peccatis nostris deuouere, si satis nos opera nostra pro illis facere possumus. Sed vnde nobis obsecro culpae primùm, poenaeq; tum acerbissimae, tum sempiternae liberatio contigisset? Vnde illa deinde poenae obligatio, quam ad tempus luendam manere dicimus, obliterari posset? quando per opera id nostra nunquam fieret, nisi nos priùs in gratiã cum Deo, Christi merito, ac satisfactione rediissemus. Quia quidem satisfactione, & merito, tanquam solido fundamento, nostra nituntur omnia, satisq; esse clemēter ducuntur, siue merita sint, siue satisfactiones. Ad illud igitur confugiant necesse est, omnium haeresum fundamentum: Nihil ea de re sacris literis cautum inueniri. Quo perfugio libenter vtuntur: quia eas ad suum arbitriũ interpretari, vel deprauare potiùs, & ad alienos sensus detorquere, pro nihilo ducunt. Addunt etiam de Patribus. Nam quod dicunt, nomen istud satisfactionis periculosum esse, & lubricum, ex quo opinio oriatur posse hominem Deo soluere, quod debet, pro suis peccatis; id quidem vanissimum est, & nihil habet periculi. Docemus enim hominẽ per se separatim à Christo, nihil omnino posse facere;

Omnis nostra satisfactio à Christo.

nedum satisfacere: at si in Christo maneat, vt palmes in vite, multum fructum ferre; Dei mandata persequi; de peccatis satisfacere, mereri. *Omnia* (inquit Paulus) *in eo possum, qui me confortat.* Proinde cum vetuisset, ne gloriaretur omnis caro in cõspectu Dei; qua ratione sanctis hominibus fas esset gloriari, docuit, dicens. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hoc est, quicquid in vita praedicabile, aut gloriandum agit, id totum diuinae acceptum referat beneficẽtiae. Nihil est igitur in ea re periculi, cuius gloria omnis refertur in Deum. Sed ad sacras literas, & nobiles illas negationes, quibus nihil habent isti in ore frequentius ad extinguenda, ac funditùs delenda quaecunq; ipsi non probant Sanctae Catholicae Ecclesiae antiquissima dogmata. Hoc non legitur (inquiunt) illud non est scriptum, saepissimè vsurpant. Demus illis primum, nihil in sacris literis esse ea de re, de qua nunc disputamus, explanatè, aperteq; traditum. An propterea mirum esse debet, aut absurdum videri, id, quod à Patribus traditum, memoria semper custoditum est: placuisse sanctis Apostolis, vt quemadmodum omni scelere, culpaq; omni, diuina clementia liberatis; magna tamen in nobis manet ad peccandum procliuitas, atq; ad frequentem lapsionem propensio ex culpa ipsa contracta: ita & poenae alicuius obligationem necessariò manere? quo & diuini beneficij magnitudinem, illius immẽsa benignitate à sempiterna poena soluti diligentiùs recordemur; & eã, quae restat ad recidendum, propensionem seueriore disciplina refrenemus. Huc lacrymae pertinent illae, precesq; Dauidis, maximi Iudaeorum Regis: qui cùm edito quoq; oraculo didicisset, Deum scelera sibi sua ignouisse; magnam adhuc Dei misericordiam, multiplicesq; eius miserationes implorat: ampliusq; petit ab iniquitatis suae sordibus ablui, & à peccato mundari. Quod certè non faceret vir ex sanctis spiritus disciplina eruditus, nisi cognosceret condonato peccato aliquid relinqui expiandum. Sed hac vti defensione; nihil necesse habemus, quando doctrinae huius in sacris literis aperta, & illustria extant testimonia. Primum, Salomonis illud. *Eleemosynis, & fide purgantur peccata.* Deinde illud. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Dicant quaeso, quid his locis sonet vox ista peccati. Ex omnibus sanè, quae sibi ipsis cogitatione fingere poterunt, nihil erit, quod in hãc vocem his locis quadrare possit, praeter peccati poenam

Marginal notes: *Ioan. 15.* *Phil. 4.* *1. Cor. 1.* *Psal. 50.* *Prou. 15.* *Eccl. 3.*

ad tempus (vt diximus) pendēdam. Sed pergamus ad reliqua. Soror Moysis Maria, peccat in Moysen: lepra à Deo percutitur. Preces adhibet Moyses, inquiens. *Deus obsecro, sana eam.* Respondet Dominus. *Si pater eius spuisset in faciem illius, nõne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur.* Quo responso, an non intelligimus, cum peccati remissione poenam aliquam ad tempus esse sustinendam? Deniq; cur est, quòd saepenumero Prophetae diuino spiritu afflati, à Deo summis precibus cõtendebant, vt inimicis suis peccata non dimitteret: quorum illud potius esse videbatur, vt diuinum numen sceleribus violatum placarent; orarentq; pro se persequentibus, & calumniantibus? Alienum quippe est, & ab omni verae pietatis sensu remotum, existimare, optasse illos aeternam suorum inimicorum damnationem, & Dei aduersus eos iracundiam implacabilem: cuius natura ad indulgendum clementissima seipsam exuere non possit. Proinde Paulus obsecrat, vt fierent obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. *Quod* (inquit) *bonum est, & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Optabant igitur id, quod Deum maximè velle praesentiebant, vt peccata (quod ad aeterni cruciatus obligationem attinet) condonarentur: de quibus tamen poena ad tempus aliqua sumeretur: quae tãquam salutaris quaedam medicina, necem propulsaret; salutem ascisceret; grauiorem plagam depelleret; leuiorem inferret; hostile vulnus in amicam castigationem commutaret. Siquis verò has Prophetarum preces nosse cupiat, praeter alias multas in hanc sententiam descriptas in Prophetis, & Psalmis; illam animaduertat, quae apud sanctum virum Hieremiam legitur. *Tu Domine* (inquit) *scis omne consilium eorum aduersum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo: in tempore furoris tui abutere eis.* Quomodo verò essent ista accipienda, & quod vindictae genus expeteret, paulò ante expresserat. *Da* (inquiens) *filios eorum in famem, & deduc eos in manu gladij: fiant vxores eorum absq; liberis, & viduae; & viri earum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in praelio. Audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos latronem repente: quia foderunt foueam, vt cape-*

Num. 12.

1. Tim. 2.

Hier. 18.

caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis. Quibus omnibus malis, quae illorum sceleri tormenta sempiterna debebantur, compensari cupiebat. Atque vt ad istius quaestionis exitum perueniamus, illa omittentes, quae partim ex Ioã Baptistae praedicatione, partim ex Pauli Apostoli doctrina de poenitentiae fructibus, & operibus commemoratur, de quibus alio loco disseruimus; Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI diuino testimonio, causae nostrae fidem, & auctoritatem adiungamus. Is enim cùm hominem pessimè à Daemone vexatum, σεληνιαζόμενον, hunc Graeci; Arreptitium nostrorum multi appellant, curasset (id quod eius Discipuli efficere non potuerant) seorsum à Discipulis ea de re rogatus, inter caetera respondit: *Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium*. Horrendum illud quidem corporis cruciamentum, hanc, quam defendimus, poenam significabat: quam Christus Iesus cùm sibi libuerit, solo verbo, imperioq; suo adimit. Nos verò eandem, nisi ad fidem erga Christum, opera sancta, qualia oratio sunt, & ieiunium, adiunxerimus, nunquam extinguemus. Neque propterea egere Christus dicitur nostris operibus; qui cùm voluerit, solò sermone instaurat vniuersa: sed hanc recuperandae sanitatis, quam explicauimus, rationem, & viam tutissimam instituit, curandisquè animorum nostrorum morbis aptissimam. De Patribus autem ita temerè effutiunt, vt nunquam Patrum hac de re sententias legisse videantur. Itaque ad Patrum libros, eos allegamus. Cùm igitur ex sacris literis liquidò constet, manere semper aliquid in nobis procurandum, expiandumq;; sacerdotum munus in Ecclesia Catholica est, populum suae fidei commissum iudicare, ne iudicetur à Domino. In quo Paulo etiam auscultamus dicenti: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur*. In quo iudicio nequis decipiatur, non seipsum, sed alium sibi iudicem sumit: eum inquam, cui data est à Domino ligandi, soluendiq; potestas.

Matt. 3.
Act. 20.
Matt. 17.
Vide q. 9.
1. Cor. 11.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

De operum auctoribus, & magistris.

LOCVS SECVNDVS.

Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt inuertere Euangelium Christi.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

DEPINGIT hoc loco Paulus suis coloribus doctores operum, & iustitiae legis suasores: dum eos perturbatores vocat Ecclesiarum, conscientiarumque, atque Euangelij euersores. Tales diu Christi populum horribili seruitute oppressum Tyranni tenuère: illi scilicet, qui se vnos hodie catholicos doctores profitentur, ac contra nos, immo contra reuiuiscens Euangelium, quod suis penè mendacijs deleuerant, arma ferunt. Bone Deus, in quos fluctus miseras conijciunt, & miserandas hominum conscientias: quas semper haerentes, semper nutantes, in eo esse iubent: An Deo suis operibus placeant, acceptique sint. Quorum praedicatio tantum abest ab Euangelij praedicatione, vt Euangelium ipsum, quod Paulus Euangelium pacis appellat, quia pacatae sit, tranquillaeq; conscientiae ratio, & causa, ex humanis cordibus funditus exterminet. Dicant nobis isti, vbinam in eorum Euangelio pax illa eluceat, de qua Christus Euangelij sui Praedicatoribus mandauit. *In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite. Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos reuertetur.* Dicant, vbi pax illa emineat, quam Paulus in suis salutationibus optat omnibus Ecclesijs, ad quas de Euangelij negotio scribit? quam etiam, Dei pacem appellat, quae exuperat omnem sensum, custoditq; corda nostra, & intelligentias nostras.

Eph. 6. *Luc. 10.* *Philip. 4.*

RE-

REFVTATIO.

VICQVID hominibus istis in mentē venit, Paulo attribuunt: vt qui contra disputant, non tam ipsis, quàm Paulo, ac simplici, & apertae veritati resistere, & repugnare videantur. Nos autem non tam vt contra illos dicamus, quos causa, religio, pietas, veritas ipsa, bonorum, ac doctorum virorum consensus, Ecclesia deniq; iam damnauit; quàm vt Paulum, sub cuius ementita persona seipsos fallacissimè venditant, ab eorum calliditate, & calumnijs vindicemus, hunc scribendi laborem suscepimus Quamobrem excutiendum hoc loco est, illi, contra quos tota hac Epistola Paulus inuehitur, qui, & quales essent: vt quantopere inter eos, & catholicos Ecclesiae doctores interesset (quod ad eam, quae de operibus est, doctrinam attinet) nemo non intelligat. Hac igitur Epistola Paulus, verus Iesu Christi Apostolus, falsos describit apostolos: qui non solùm opera Moysis, lege praecepta, docebant, & praedicabant; verùm etiam eorum merito, ac vi haud aliter in gratiam Christi; siue iustitiam fidei hominem adduci oportere affirmabant. At catholici doctores nulla lege, nullis operibus, nullis meritis ad haec peruenire nos docent, quae diuina tantùm benignitate, & gratuitò nobis contingunt. Tradunt autem, & inculcant eorum operum disciplinam, quae hanc ipsam Christi gratiam & fidei iustitiam consequuntur; quibus in hac vita ipsa iustitia conseruatur, augeturque; post mortem verò perficitur, cùm ad summam felicitatem peruentum fuerit. Illi ergo, quae lex mandat, opera, causas antecedentes fidei faciebant. Nostri quae sine fide fiunt, omnia, nullo loco numerant, comparantq; magnis viribus, & cursui celerrimo praeter viam.

In Psal. 31 *Vbi fides non erat* (Augustinus inquit) *bonum opus non erat*. Aedificabant illi absq; fundamento. Nostri praeclare iacto fundamento, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; hoc

1. Cor. 3. est, fide erga Christum Iesum, superaedificare docent aurum, argentum, lapides pretiosos, igne diuini iudicij, à ligno, foeno, stipula secernenda. De illis Augustinus inquit.

In exp. inchoata Ep. ad Rom. *Coeperunt nonnulli, qui ex Iudaeis crediderant, tumultuari aduersus gentes, & maximè aduersus Apostolum Paulum, quòd incircuncisos, & à legis veteris vinculis liberos admittebant ad Euangelij gratiam: praedicans eis, vt in Christum crederent, nullo impo-*

sito

sito carnalis circumcisionis iugo. De quibus item alio loco. *Volebant* (inquit) *illi gloriam Christi euacuare, quasi frustra venerit Christus, si iam circuncisio carnis, atq; huiusmodi opera legis tantum valebant, vt per illa homines salui fierent.* Nostram verò doctrinam ex Pauli Apostoli mente, & sententia describit, cùm ait. *Apostolus assiduè legi praeponit fidem: quoniam quod lex iubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, vt facere valeamus.* Haec si vobis doctrina, euersio videtur Euangelij; an Paulus, qui nunquam de fide scripsit, quin de operibus quoque, tanquam cum vera, & salubri fide connexis, & aptis scriberet, Euangelium vestro iudicio non euertit? An Petrus Christianae Reip. columen, hac vna gradatione Euangelium non extinxit, penitusq; deleuit? *Ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam; in abstinentia autem patientiam; in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem. Haec enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.* Mirum verò est, quòd Ecclesiarum perturbationem doctrinae de operibus nostrae, tanta impudentia, atque audacia affignetis: quando nulla vnquam post natos homines, in vlla Ecclesia maior fuerit perturbatio, maiorq; confusio, quàm haec quae in omnibus Ecclesijs ex nouis rebus, quibus vos studuistis, excitata est. Et tamen pacem Christi, conscientijs vos affere, magnificè iactare, atq; ostentare audetis: quas nostra doctrina acriter torqueri, & magna solicitudine, ac miseria premi asseueratis. In quo quae sit vestra calliditas, quantam ad omne scelus fenestram patefaciatis, haud facilè sine diuina illustratione intelligi potest: facitis enim, vt, ne leuiter quidem repugnante conscientia, scelera omnia, & flagitia suscipiantur. Qua quidem capitali oratione nulla vnquam fuit ad vulgarē, popularemq; sensum accommodatior: quando carni nihil magis arridet, quàm suis cupiditatibus obsequendi libertas, si vmbram habere possit honestatis: & vitium, si aliquam gerat similitudinem, speciemq; virtutis. Vos autem omnium scelerum licentiam, non virtutis, non honestatis, sed (quod grauissimum est) pietatis, ac religionis nomine praetexitis. Sed quoniam nostram de Christiana seu conscientiarum pace sententiam exquiritis, ex perpetuo catholicae Ecclesiae consensu,

In Ep. ad Galat.

De gratia, & lib. arb. cap. 14.

2. Pet. 1.

De corr. et gratia cap. 15. sensu, sic habetote. Pax ista reditus est in gratiam cum Deo per fidem in Christum: vel (vt Augustinus loquitur) reconciliatio gratiae Dei: quae (vt non solùm fatemur, sed etiam profitemur) gratuita est; & neq; meritis, neq; operibus, neq; opibus, neq; viribus, neq; sapientiae vllius hominis debetur. Per hanc tria consequimur, quae animorum constituunt tranquillitatem, & veram, ac solidam conscientiae pacem. Primum est peccatorum venia. Alterum, vt appetitus sint rationi subiecti, itemq; ratio diuini spiritus ductum sequatur. Qua quidem in re quaecunq; oritur repugnantia, eadem adiuuante gratia, reprimitur, coerceturque. Tertium est, vt diuinae legis mandatis iustè, & piè viuentes obtemperemus. Hanc pacem, vt qui re vera assequuntur, non vna tantùm fide nitantur necesse est; sed sanctis quoque, & Christianis operibus. Alioqui tametsi dixerint; Pax, pax; nullam tamen intus veram sentient, syncaeràmq; pacem. Nam siqui hac pace fruuntur, pacifici illi sunt, qui (vt Dominus noster Iesus Christus dixit) filij Dei vocabuntur, Dei spiritu agantur necesse est. Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Si Christo amici, Christi mandata seruent, oportet: cùm Christus ipse dixerit. *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis*. Et. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui me diligit*. Si filij pacis sunt, hoc est ad pacem suscipiendam, quam Euangelij praedicatores ita à Christo instituti primum omnium annunciant, & precantur, praeparati à Deo, & accommodati; requiescit super illos pax Christi: quae esse non potest sine studio vehementi, & ardore quodam amoris erga diuinae legis mandata. Proinde non suo, sed diuino spiritu loquebatur Dauid de hac pace cum Deo, dicebatque: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Vos vos igitur euersores estis Euangelij pacis, qui secus atq; in Euãgelio scriptũ est, ad vnam fidem, hominum salutem referendam esse decernitis, ad quam Euangelium ex fide cum operibus copulata, & operibus fidei radicibus innixis, ingrediendum esse docet.

Iere. 8. *Matth. 5.* *Rom. 8.* *Io. 15. & 14.* *Psal. 118.*

Ep. 89. *Ad hoc credunt* (Augustinus inquit) *qui rectè credunt, vt inuocent, in quem crediderunt; & valeant facere, quod in praeceptis legitimis acceperunt; quoniam id, quod lex imperat, & fides impetrat*. Vos scelerati, ac nefarij conscientiarum proditores: quarum omnem vim, sub nomine pacis, & pacis quidem Christi, extinguitis; vt iam amplius nihil timeant; nullis agitentur,

tur conſcientiae ſtimulis, qui doctrina veſtra imbuti, ſecuro animo ſcelus omne committunt. Quorum peſtiferum errorem, diuina mente praeuidens, futurarum quoq; haereſum oppugnator acerrimus Auguſtinus, excutiendum à cordibus religioſis docuit: ne mala (vt ait) ſecuritate ſalutem ſuã perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint; bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Vos crudeles Eccleſiarum vexatores: qui tantam in veſtris Eccleſijs vaſtitatem feciſtis, vt nulla in eis amplius patrum veſtrorum ſumma religione, & pietate hominum, ſanctiſſima decreta, atq; inſtituta ad diuinum cultum appareant: qui filios de patrum, atq; auorum antiqua religione, & fide, non dubitare; ſed malè planè ſentire, & loqui veſtris fraudibus, & inſidijs coegiſtis. Qui omnia deſtruxiſtis, nihil aedificantes: omnia extirpaſtis, nihil ſerentes: omnia diſſipaſtis, nihil congregantes. In quo facilè apparet, Dei vos legatione non fungi; & falſos eſſe apoſtolos. Veri enim mittuntur non ſolùm, vt euellant, & diſperdant, & deſtruant, & diſsipent; ſed vt aedificent quoque, & plantent. Et certè niſi audaciſſimis veſtris conatibus obuiam itum eſſet, ne diuinae quidem prouidentiae, & gubernationis fides vlla ſupereſſet. *Iere. 1.*

QVAESTIO TERTIA.

De liberatione à peccatis per Chriſti mortem, & poenitentiae opera.

LOCVS TERTIVS.

Licet nos, aut Angelus de coelo euangelizauerit vobis praeter id, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

QVIS enumerare poſſit, quae tot annis à ſophiſtis, & operum auctoribus, laudatoribusq; coaceruata ſunt, non ſolùm praeter, ſed & contra Euangelium Pauli?

illa videlicet omnia, quibus peccatorum absolutionem humanis quibuscunque attribuunt operibus: quae, vna duntaxat Christi morte, non alia medicina delentur. Et haec quidem praedicatio vera est, & propria Euangelij praedicatio: praeter quam reliqua omnia, quae de peccatorum remissione memorantur, quacunq; fuerint potestate constituta, & in Ecclesiam introducta, huius vnius loci auctoritate damnamus, detestamur, execramurque, tanquam contra Euangelij veritatem, puritatemque, maxima quidem cum animarum salutis pernicie, cupidè ad suos vsus à quibusdam excogitata, & inuenta.

REFVTATIO.

DE materia Euangelij, hoc est, de rebus, quae Euangelij praedicationi subijciuntur, alius non multò post in his Quaestionibus occurret disputãdi locus. *Quaest. 5.* Huic verò loco, & argumento proprium est quaerere, quid sit praedicare, seu docere aliquid praeter Euangeliũ. Nam quod aiunt, multa in Ecclesia à nostris hominibus praedicari, non solùm praeter, sed & contra Euangelium; est id quidem vanissimum, quo nos frequenter vexant, maledictũ, de quo nunquam nominatim docere potuerunt. Sed sit istud illorum linguae maximè proprium, quam nullus hominum absq; singulari quadã ope diuina domare potest, cùm sit malum inquietum, & plena veneno mortifero. *Iac. 3.* Vnico quidem verbo Ioannes Chrysostomus, magnus ille Constantinopolitanus Episcopus expedit, quid sit praeter Euãgelium aliquid praedicare. Est (inquit) minimam quanq; seu tenuissimã earum, quae Euangelio contineantur, particulam labefactare. Scitè admodum; cùm Paulus aduersus illos loquebatur, qui peruertere studebant, & deprauare Euangelium. De quibus praedixerat. *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt inuertere Euangelium Christi*, Doceant modò isti, quid illud sit, quòd à nobis deprauetur in Euangelio. Omnia clamant, quibus peccatorum absolutionem humanis attribuitis operibus, quae vna Christi morte delentur. Malè ergo vestro iudicio cum Christo Iesu docemus, orandum esse, vt dimittantur nobis debita nostra? Malè cum Christo pollicemur; *Matt. 6.* *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester*

Praeter Euangeliũ praedicare quid? Quae autẽ esset haec deprauatio in argumẽto explicatur Epistolae ad Gal. & sup. q. 2. ac in q. 46.

vester coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester coelestis dimittet vobis peccata vestra? Malè cum Petro Apostolorum principe, ijs quorum corda poenae metu concussit Deus, hoc damus consilium; *Poenitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum?* cùm orare; iniurias remittere; poenitentiam agere; opera sint hominum fidelium. Perinde ergo ista contra nos clamitatis, quasi non semper docuerimus; mortis Christi merito, fide, & sacramento, nobiscũ communicato, cum omnes deleri culpas; tum sempiternam illam apud Inferos poenam, perpetuosq; cruciatus nostris peccatis debitos planè remitti: eam verò poenam, quam ad tempus luendam esse ex sacris literis ostendimus, illis tantum modo condonari, qui poenitentiae opera cum fide coniungunt: cum fide inquam, qua nos morte Christi, & sanguinis eius pretio redemptos, & cum Deo iam reconciliatos esse credimus. Illud autem quàm astutè fingitis, & callidè, vt mẽtes ineruditas, à nobis, vel potiùs ab Ecclesia catholica auertatis: tribuere scilicet nos aliquid nostris operibus à diuina gratia, ad quam vno omnino Christi beneficio, & merito peruenimus, seiunctis, & segregatis; cum ignotum vobis non esset, id quod ex nostris scholis didicistis: omnia, quae nostris nos operibus tribuimus, ad Dei gratiam, & Christi virtutem à nobis referri: qua quemadmodum diuinae consortes efficimur naturae; ita & eam, quae in mundo est, fugimus concupiscentiae corruptionem, & multa possumus, quae nostra natura nunquam potuissemus. Sed egregiè profectò, vt reliqua omnia, locum hunc circunspexit Augustinus: diuinans (vt credo) futurum id, quod saepe antea accidisse legimus, & nũc nostris oculis videmus: interdici videlicet catholicae Ecclesiae ab haereticis, huius loci auctoritate, ne quid ad ea, quae scripta sunt, addere potestate sibi à Deo tradita, posset: proinde ait. *Non dixit Apostolus. Si quis vobis euangelizauerit plusquam accepistis: sed, praeterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi praeiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quae illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit.* Quare si id, quod de poenitẽtiae operibus docemus, nudo tantùm confirmaremus Ecclesiae decreto, nulla sanctarum scripturarum auctoritate fulto; improbandum certè non esset. Deum enim,

Act. 2.

2. Pet. 1.

In Io. Tr. 98.

à quo ligandi, & soluendi potestatem illa accepit, condonandis peccatis imitaretur. Qui si Hebreorum codicum fidem sequamur, inter caetera, quae habet peculiaria, illud enumerat, quod indulgendo non indulget: quia quem aeterno non afficit cruciatu, ad tempus castigat, & inultum omnino esse non patitur.

QVAESTIO QVARTA.

De sanctarum scripturarum, & Ecclesiae auctoritate.

LOCVS IDEM.

Licèt nos, aut Angelus de coelo euangelizauerit vobis praeter id, quod euangelizauimus vobis, anathema sit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

CLARA voce, vt nemo tam surdus sit, qui (modò velit) exaudire nô possit, perhibet, ac diuulgat hoc loco Paulus, neque Papam sanctarum scripturarum arbitrum esse, neq; Ecclesiam ipsam; cùm & seipsum, & Angelos, superas scilicet, inferasq; mentes, sanctis submittat, subijciatq; scripturis: vt doceat supremam esse in coelo, & in terra, scripturae, hoc est, diuini verbi, auctoritatem. Grauiter hoc nostri aduersarij accipiunt, omnia ad vnum Romanum Pontificem deferentes: cuius potêtiam supra omnes homines, supra omnes Angelos, supra verbum Dei esse volunt: quo quid poterit cogitari insolentius? Neque enim in tam graui, & intoleranda arrogantia animaduertunt, Dominum nostrum Iesum Christum pro vestiganda veritate, & salutis via dignoscenda, non misisse nos ad hominis coiusquam arbitrium; non ad multorum, qui sapientes se esse profitèrentur, concilium; sed ad sanctarum scripturarum lumen clarissimum. *Scrutamini (inquit) scripturas; quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; & illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Si Beraeensibus, qui à Paulo

Ioan. 5.

Act. 17.

tanto,

tanto, atq; tali Apostolo, & vase, diuino iudicio, electo, vt nomen Domini ad Reges, gentes, & filios Israel deferret, Euangelium cum omni auiditate acceperant; licuit scripturas quotidie scrutari, & quaerere, an quae Paulus praedicauerat, ita se haberet; cur nobis fas non erit, ad scripturarum normam omnia omnium hominum de fide, & moribus decreta diligentissimè perpēdere, earumq; supremum, & summum sequi iudicium? Cur integrum non erit, Augustinum imitari; cuius sententiam à nobis vsurpatam, quia surda transeunt aure, iterum, atque iterum inculcare oportet. *Ego*, inquit, *solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam: ac si aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem; vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est; vel me minimè intellexisse, ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaq; praepolleāt, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos; vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* *Epist.19.*

REFVTATIO.

NVLLA certè neq; in coelo, neq; in terra vis est, atq; potestas supra verbum Dei, quod sanctis continetur scriptis, & monumentis. Neq; enim vnquam Angelorum cuipiam, aut hominum ius fuit, aut erit aliquid decernendi contra verbum Dei: quod perinde esset, atq; potestatem habere labefactandi illud, ac dissoluendi. De quo Petrus dixit. *Omnis caro, vt foenum; & omnis gloria eius, tanquam flos foeni: exaruit foenum, & flos eius decidit; verbum autem Domini manet in aeternum.* Sed fuit profectò semper, futuraq; perpetuò est (quod ad verbum Dei, & sanctos, ac religiosos libros attinet) duplex in Ecclesia potestas, vtraq; vel maximè necessaria: quam quicunq; non agnouerunt, venerati; sunt, turbulenti omni tempore, perniciosiq; fuère homines; seditionis, & discordiae concitatores. Altera est de libris sanctis, qui syncerum, ac nulla ratione inficiandum Dei verbum complectuntur; quos canonicos appellamus, statuendi; qua vtitur, ne quid ad Dei verbum addi possit; id, quod *1.Pet.1.*

Ma-

Aug.con. epist.fun. cap.4.

Manichaeus efficere voluit: qui, libri eius, quem Epistolam fundamenti nuncupauit, initio sic scripsit: *Manichaeus Apostolus Iesu Christi, prouidentia Dei patris*. Qui se Apostolum nominat, totum id, quod loquitur, diuina illustratione accepisse videri vult; ac non sua, sed Dei verba nunciare, ne quid item à Dei verbis adimi queat: quod tum crebriùs, tum audaciùs facère ijdem Manichaei; negare audentes, quicquid cõtra illorum siue fidem, siue mores, ex sanctis libris à Catholicis induceretur, falsos esse codices, & corruptos dictitantes. At quantò deterius peccant isti, qui nunc Maccabaeorum librum; nunc Iacobi Epistolam; nunc Petri, aut Ioannis alteram; nunc eam, quae ad Hebraeos est; nunc Ioannis Apostoli Apocalypsim (ex quibus libris aperta contra eos oracula proferuntur) tanquam fictos, & commentitios contemnunt? Facit igitur prima ista Ecclesiae potestas, vt quod Deus ipse mandauit, ad verbum eius nihil addatur, nihilq; ex eo auferatur. De qua veritatis propugnator ille, ac penè patronus Augustinus cum Deo primùm sic loquitur. *Nõ sinebas me vllis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide, qua credebam & esse te, & esse incommutabilem substantiam tuam; & esse de hominibus curam, & iudicium tuum; & in Christo Filio tuo, Domino nostro; atq; in scripturis sanctis, quas Ecclesiae tuae Catholicae cõmendaret auctoritas, viam te posuisse salutis humanae ad eam vitam, quae post hanc mortem futura est.* Faustum deinde Manichaeum hac ipsa de re redarguens, atq; refellens: *Vides* (inquit) *in hac re, quid Catholicae Ecclesiae valeat auctoritas: quae ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur*. Altera est, ea quoq; maximè necessaria in Ecclesia potestas, de veris, & germanis interpretationibus, & explanationibus verbi Dei, iudicandi: illis praesertim, quibus vel fidei, vel morum, recepta iam, & longo vsu confirmata sanctorum Patrum decreta labefactari, & infringi, aliaq; vel inaudita, & recentia nouari; vel explosa iandiu, & improbata, renouari videntur. Quae nisi esset, quomodo controuersiae dirimerentur; quae in verbi Dei ad proprium vniuscuiusq; sensum accommodata explicatione, fundantur, atq; extruuntur omnes? quomodo qui scripturas docendo deprauant, & ouium Christi pascua inficiunt, à bonis magistris, & veris pastoribus internoscerentur? An verò qui pascendis gre-

Aug.con. Fau.lib.11 cap.2.

Deut.4.12 Prou.30. Conf.lib.6 cap.7.

Con.Fau. lib.11.

gregibus praepositi sunt, de illorum scelere, qui pastionem contaminant, iudicium facere non poterunt? Nihil ergo dubitationis habet, hanc à Christo traditam fuisse Ecclesiae suae potestatem; qua ipse primùm vsus fuerit. Cum enim de violato Sabbati cultu, & obseruantia ex diuini verbi auctoritate accusaretur; quid aliud ostendit, nisi non bonos esse diuini verbi interpretes, suos accusatores, qui putarent contra diuinum mãdatum facere eum, qui Sabbato laborantibus succurreret, aegrisq; mederetur? Inquit enim. *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & si ceciderit haec Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue? Itaq; licet Sabbatis benefacere.* Hac eadem de re alio loco sic inquit. *Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus: & in Sabbatis circunciditis hominem: si circuncisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysis; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Deniq; in illa diuina legis explicatione, quae apud Matthaeũ legitur, illud potissimùm ostendit, diuinae legis interpretes, qui tum Scribae, & Pharisaei appellabantur, à vera cognitione, & intelligentia legis aberrare. Mox autem vt in coelum Christus se recepit, hanc in Ecclesia remansisse potestatem, Petrus ostendit in Concilio Hierosolymitano, aduersus eos, qui ex verbo Dei persuadere studebãt, necesse esse ad salutem comparandam, circuncidi, & seruare legem Moysis. Quam interpretationem, vt pote prauam, & à veritate remotam, improbauit Petrus: statuens ne Patribus quidem ex iugo legis intolerabili, & circuncisione contigisse salutem; sed ex fide, & gratia Domini nostri Iesu Christi. Cum autem perpetuò postea in Ecclesia fuerint homines indocti, & instabiles, qui ad suam ipsorum perditionem (vt Petrus ait) sanctas scripturas deprauarent; perpetuò quoq; hanc Ecclesia Catholica iurisdictionem exercuit. Quod cum sanctorum cõciliorum declarant hystoriae; tum maximorũ Pontificum responsa ad orientis totius, atq; occidentis Synodicas consultationes. De quibus praeterea (quae ab Augustino prompta habemus, & parata testimonia) testatur Hieronymus, se in ea re Damaso Pont. max. operam nauasse. Sed singula iam examinemus diligenter, quae ad hanc deuitandam Ecclesiae potestatem in argumento colliguntur. Christus inquit. *Scrutamini scripturas.*

Matth. 12. Io. 7. Matth. 5. Act. 15. 2. Pet. 3. Epist. 90. Ad Gerontiam. Io. 5.

ras. Hoc nihil ad nos: cum Iudaeis est sermo, qui in eum non credebant: quos praeclarè admonet, vt & eius opera considerarent. Dixerat enim: *Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me:* & scripturas, in quibus illi omnem adipiscendae vitae aeternae spem collocauerant, perscrutarentur; vt agnoscerent se eum esse, quem Pater in scripturis primùm promisisset, deinde misisset, vt credẽtibus vitam daret, & salutem. Aut si mauultis, hoc nõ ad Iudaeos tantùm, sed ad nos quoq; referre: an putatis permisisse Christum omnibus, vt scripturas perscrutantes, suo quisq; sensu eas interpretaretur? Qui igitur hoc vobis hodie liceat, quod Arrio, Sabellio, Macedonio, Manichaeis, Pelagianis olim non licuerit? Qui Lutero, quod non Zuuinglio? Bucero, quod non Anabaptistis? An existimatis Christi in ea sententia permissu, fas esse vobis, Patrum omniũ, qui ab Ecclesiae exordio fuerunt, qui sunt, quiq; futuri sunt, interpretationes damnare; ac vobis vnis, quod impudenter facitis, diuinarum scripturarum notitiam vendicare? Quis verò posteros ab hac vestra impudenti licẽtia prohibebit? Eodem prefectò iure, exemplo vestro vestra omnia condemnabunt: quando vos in patres vestros tam audaces, & tam iniqui fuistis: scilicet istud, istud inquam voluit Christus; vt quam Ecclesiae eriperetis de verbi Dei interpretationibus iudicandi potestatem, eam vobis ipsi arriperetis? Scrutamini igitur, scrutamini scripturas. Quis vnquam hoc prohibuit? Sed vestrarum commentationum, opinionumq; aestimationẽ, & iudicium, Ecclesiae Catholicae, more maiorum, esse finite. Neque enim vobis lege aliqua, aut more interdicitur, vt Beraeenses, vel Thessalonicenses potiùs aemulari non possitis: *Act. 17.* qui audita Pauli praedicatione, in qua multa ex scripturis testimonia citauerat, scripturas ipsas scrutabantur. Verùm neq; seipsos scripturae arbitros constituebant, neq; Ecclesiae potestatem derogabant, vt eam sibi arrogarent: neque quicquam alijs detrahebant, vt illud sibi tribuerent. Quid autem illud est ex Augustino sumptum, quod ipsi toties attulerint, protulerint, inculcarint; nos verò surdis (vt aiunt) auribus audiuerimus? Illud scilicet, quod nemo vnquam negauit, nullum in sanctis libris erratum, nullum mendacium esse posse: alios verò quantumuis licet sanctitate, & doctrina excelluerint auctores, in errorem rapi potuisse. Sed cùm tantopere vobis haec Augustini sententia probetur; quid est, quod eiusdem

dem sanctissimi Patris mansuetudinem, moderationem, integros, religiososq; mores, ac sensus nō tenetis: qui suos libros non primo, quem sacrosancta scriptura sola occupat, sed secundo loco numerat, in quibus labi, errare, decipi nonnunquam potuerit. Proinde: *Non pigebit* (inquit) *me sicubi haesito, quaerere: nec pudebit, sicubi erro, discere. Quisquis ergo haec legit, vbi pariter certus est, pergat mecum: vbi pariter haesitat, quaerat mecum: vbi errorem suum agnoscit, redeat ad me: vbi meum, reuocet me*. Qui summam sanctae Ecclesiae tribuit auctoritatem, non modò cum inquit. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoueret auctoritas*. Quem vos locum, vt alia ferè omnia, ad vestrum arbitrium, libidinemq; eluditis. Sed cum ad Honoratum sic scripsit. *Dubitabimus nos Christi Ecclesiae condere gremio: quae vsq; ad cōfessionem generis humani ab Apostolica sede per successionē Episcoporum, haereticis frustra circumlatrantibus; & partim plebis ipsius iudicio; partim Conciliorum grauitate; partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summae profectò impietatis est, vel praecipitis arrogantiae*. Qui deniq; in rebus ambiguis, & inuolutis Ecclesiam consulendam docuit; sic inquiens. *Quamuis rei alicuius certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum; earundem tamen scripturaram etiam in hac re à nobis tenetur veritas; cum hoc facimus, quod vniuersae iam placuit Ecclesiae, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas: vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit alicuius obscuritate quaestionis; eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate, sancta scriptura demonstrat*. Vos autem, qui vt viri boni esse videremini, Augustini nomen, & sententiam vsurpastis; neq; cum Augustino ab vllo mortalium doceri; neque, vt caeteros mortales, errare vos posse vultis: vestraq; scripta, commentationes, opiniones, non verbo; sed reipsa, cum scripturis sanctis exaequatis: quando de ipsis ne ab Ecclesia quidem Dei viui, quae (vt Paulus ait) columna est, & firmamentum veritatis, iudicium fieri permittitis. Sed erat profectò in re praesertim vestra Tertulliano scriptori antiquissimo obtemperandum: qui ait. *Fides nostra obsequium Apostolo debet, prohibenti quaestiones inire; nouis vocibus aures accommodare; haereticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem*. Adeo interdixit disputationem, cor-

1. de Tri. cap. 2.

Con. ep. fun. c. 5.

De vera re. cap. 17.

Lib. 2. con. Cresc. c. 33.

1. Tim. 3.

De prae. haer.

reptionem designans causam haeretici conueniendi: & hoc vnam scilicet; quia non est Christianus: ne more Christiani semel, & iterum, & sub duobus, aut tribus testibus castigandus videretur: cum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandū. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarū, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat versionem, aut cerebri; ista haeresis nō recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad disputationem instituri sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras praestat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Sed ne nostra taciturnitate oppressa veritas videretur; nō correptione modò, sed disputatione quoq; vobiscum agendum esse, è re Christiana fore existimauimus.

QVAESTIO QVINTA.

De Pauli Euangelio, & gratia Domini nostri Iesu Christi.

LOCVS QVINTVS.

Si quis euangelizauerit uobis praeter id, quod accepistis, anathema sit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PAVLVS seuero omnes, & stricto anathemate diris deuouet, qui praedicant, non sola fide in Christum iustificari hominem. Hoc etenim fuit Euangelium, quod Deus ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine Dauid, secundum carnem: quod virtus Dei est in salutem omni credenti: in quo iustitia Dei reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est. *Iustus autem ex fide viuit.* Hoc illud est Euangelium, quod ab homine Paulus neq; accepit, neq; didicit; sed per reuelationem Iesu Christi. Qui ergo nos oppugnant, qui pro Pauli propugnamus Euangelio; Christo, quem Paulus audiuit, apertè, palamq; repugnant, obsi-

Rom. 1.

Ab. 2.

Gal. 1.

obsistuntq;. Quae igitur tanta est hominum caecitas, vt de Filio Dei, alijs, plusquam ipsi Dei Filio credant? illis scilicet, qui ad Euangelium Pauli, quem Christus edocuerat, de suo aliquid afferre, atq; addere non verentur: qui Prophetarum promissiones, irritas faciunt; pro salute credentium, salutem inducunt operantium: pro iustitia ex fide, iustitiam ex operibus: pro iusto ex fide, iustum ex factis, nobis inducunt.

REFVTATIO.

SATIS, superq; erit hoc loco declarare, quodnam fuerit à Paulo enunciatum Euangelium. Nam de iustificatione quod aiunt, sola fide iustificari hominē; saepius suum habebit in his quaestionibus differendi locum. Hoc enim est, praeclarum illud axioma, quo mirificè laetantur isti, à quo omnia sua mysteria ducunt, ad quod item omnia referunt, quod nusquam non inculcant. Euangelium Pauli illud fuit, quod suis omnibus Epistolis illustrat, ac celebrat: gratiam Christi, ad quam gratis, & sine operibus legis perducimur, ad salutem, & vitam sempiternam nanciscēdam, abundè sufficere. Ad gratiam verò Christi non vna tantùm fides pertinet, quemadmodum recenti ista, & noua Euāgelij praedicatione contrahitur, in angustūq; deducitur; sed & omnia illius erga genus humanū beneficia. Inter quae, cùm sint innumerabilia, vt alia alijs locis commemoranda relinquamus, illud, quod est huic disputationi proprium, vel maximè excellit: quòd legem Dei, quae atramento scripta in tabulis lapideis fuerat, spiritu Dei viui in tabulis cordis humani, quas carnales appellat Apostolus, impressit: hoc est, eos, quibus per fidem peccata remisit, atq; condonauit, à terrore, atq; formidine, per eximium, & singulare donum charitatis, ad amorem, & delectationem legis seruandae perduxit. Quo quidem tam excellēti dono penitus accepto, planeq; recepto ex Christi beneficio, ac Dei Patris benignitate, Spiritusancto iam illis astante, legis mandatis benè, libenter, iucundeque parent, & obtemperant; legemq; ipsam & implent, & obseruant. *Quid sunt leges Dei* (Augustinus inquit) *ab ipso Deo scriptae in cordibus nostris, nisi ipsa praesentia Spiritussancti, qui est digitus Dei, quo praesente diffunditur charitas in cordibus nostris, quae plenitudo legis est, & praecepti finis?* Promiserat diuinum

2. *Cor.* 3.

De Spiritu, & litera cap. 21.

Rom. 13.

1. *Tim.* 1.

uinum hoc, & coeleste beneficiũ inter caetera, quae ad Euangelium spectant, per Prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo clemens, & misericors Pater: in quibus haec sparsa

Deut. 30. legimus oracula. *Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde*

Ezec. 36. *tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. Dabo vobis cor nouũ:*

Ier. 31. *spiritum nouum ponam in medio vestri. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in*

Isa. 2. *Deum, & ipsi erunt mihi in populũ. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex; & verbum Domini de Ierusalem.* Haec autem omnia, quae in Pro-

Matt. 10. phetis operta, in Paulo aperta sunt. Nam, quae illi in tenebris; hic dixit in lumine: quae illi vmbris occulta, & quasi inuoluta significarunt; manifestis hic verbis declarauit: quae in aure illi audierant; hic praedicauit super tecta. Nam de cir-

Rom. 2. cuncisione cordis, quòd ea ad nos, & Euangelium attineat, planè, & perspicuè ostendit, cum inquit: *Non qui in manifesto Iudaeus est, neq; quae in manifesta in carne est circuncisio; sed qui in abscondito Iudaeus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Dicit autem

De spiritu, & litera. cap. 8. circuncisio cordis (vt explanauit Augustinus) puram ab omni illicita concupiscentia voluntatem. Quod non fit litera docente, & minante; sed spiritu adiuuante, atq; sanante. Ideo laus talium non ex hominibus, sed ex Deo est: qui scilicet (vt

Deut. 30. Moses dixit) Deum ex toto corde, & tota anima diligunt.

Cor autem nouum annè illud est, quod Christi beneficio ha-

Rom. 4. bemus? qui (vt Paulus ait) *traditus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram:* hoc est (vt Pe-

1. Pet. 2. trus explanauit) *vt peccatis mortui, iustitiae viuamus:* vel (vt

Rom. 6. Paulus ipse optimus sui interpres) *vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus.* De nouo autem spiritu quae illustrior esse poterat

Rom. 7. praedicatio, quàm illa? Cùm essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literae. Nouum autem hunc spiritum,

Ezec. 36. Dei spiritum esse, de quo Deus ipse promiserat, *Et spiritum*

Rom. 8. *meum ponam in medio vestri,* sic expressit. *Quicunq; spiritu Dei*

aguntur,

aguntur, ij sunt filij Dei. Sed lex scripta in corde, lex est fidei: quae (vt Augustinus exposuit, qui non aperta modò, sed & propter acumen, ac multo magis propter diuinum lumen occultissima perspicere potuit) Charitas est, quae plenitudo est legis: quia, anima non poenae metu, sed iustitiae amore, legem seruat. Vias deniq; suas, discipulos Christus in monte docuit: quibus instructissimos, ad Euangelij praedicationem à se dimisit; mandauitq; vt de eis pariter, atq; de fide gentes instituerent, erudirentq;. *Euntes docete* (inquit) *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare quaecunq; mandaui vobis.* Videtis (vt opinor) si oculos habetis, quibus haec videri possunt in Euangelio Pauli, immo Christi haec omnia contineri, non vnum illud vestrum axioma: sola fide iustificari hominem. Etenim nisi cum fide circuncisionem cordis, cor nouum, spiritum nouum, legem in corde scriptam, ambulationem in via mandatorum Dei, & (vno vt verbo complectamur omnia) CHARITATEM coniunxerimus; non erit fides ab Apostolo praedicata: quae scilicet per charitatem operatur. De qua dixit Augustinus, *Non aufert peccata, nisi gratia fidei, quae per dilectionem operatur.* Proinde neq; iustitiae, neq; salutis efficiens. Nam charitas (vt Augustini eiusdem verbis vtar) verissima est, plenissimaq;, & perfectissima iustitia ex fide in fidem. Ex fide, quia eius origo, & fundamentum fides est: non enim datur, nisi credenti. Itaque Euangelium Dei virtus est in salutem omni credenti. In fidem; hunc enim habet ista iustitia, in hac vita terminum: vltra fidem non progreditur. Iustus enim ex fide viuet. Per fidem enim ambulamus. At vbi ad beatam illam, & sempiternam vitam peruentum erit, iam non amplius cum fide, sed cum plena & clara Dei, ac bonorum omnium cumulata notione, Charitas ipsa copulabitur. Hanc ergo iustitiam quicunque non agnoscunt, Dei gratiam abijciunt; diuinas promissiones attenuant; iustitiam ex fide imminuunt; iustum ex fide perfectè non definiunt. Nos verò, qui haec praedicamus, merum Pauli praedicamus Euangelium; de illius sententia, quinam sint re vera credentes, quae ex fide iustitia, qui ex fide iusti, dilucidè, ac perspicuè explicantes.

Vbi supra. c.17.& 19.
Rom. 13.
Matth. 5.
Matt. vlt.
Gal. 5.
In Ep. ad Gal.
De natur. & gratia cap.42.
Ab. 2.
1.Cor.5.

QVAESTIO SESTA.

De rationibus, quae contra Haereticos à perpetuo Patrũ,& Ecclesiae consensu ducuntur.

LOCVS SEXTVS.

Modò hominibus suadeo, an Deo ?

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PPARET hoc loco, quàm infirma contra nos sint, & nugatoria, quae ex auctoritate Patrum, & perpetuò (vt aiunt) Ecclesiae consensu deriuantur, argumenta. Paria certè, & similia sunt calumnijs, quibus falsi, & veteratorij apostoli, Galatarum circumscriptores, aduersus Paulum vtebantur: quae omnes Petri, & caeterorum Apostolorum auctoritate fulciebantur. Pauli igitur exemplo ad illa omnia sic respondemus. Siue Cyprianus, Ambrosius, Augustinus; siue Petrus, Paulus, Ioãnes; siue Angelus è coelo, aliter ac nos docuerit, doceatuè; certum tamen nobis est, & exploratum, quòd diuina suademus, nõ humana: quae tam animo videmus, quàm ea, quae oculis cernimus.

REFVTATIO.

EHEMENTIVS certè hoc loco agendum esset, quàm mea ferat in omni disciplinarum genere tenuitas, ac summa verborũ inopia: qui ab eloquendi facultate, & copia vsq; adeo sum inops, vt cogitata mentis exprimere vix possim. Sed quae tanta esse posset dicendi, aut scribendi vis, tantaq; copia, quae ad orationis huius insolentiam, & arrogantiam comprimẽdam satis esset: qua nulla vnquam audita est in Ecclesia magis indigna, magisq; intoleranda? Paulo primùm pares se faciunt; qui positus à Deo fuit praedicator, Apostolus, & Doctor gentium in fide & veritate: Patribus deinde omnibus se praeseferunt, quorũ alij sanguinis effusione testimonium dedère veritatis; summa

1.Tim.2.

alij

alij vitae, & morum innocentia praediti, à Deo vocati, Ecclesias administrarunt; & pro veritate, & animarum salute aduersus haereticos semper acerrimè propugnarunt. Hos omnes, isti, qui nulla vocatione, nullo grauiore testimonio, nullo insigni iudicio in verbi ministerium irrepsère, contemnere, atq; infra se ducere pertinaciter audent. Quorum audacia non verbis, & disputationibus, sed vinculis refrenanda erat, & carceribus. Sed quod nostrum est, agamus. Primum in hoc argumento vitiosum illud est, quòd hoc loco non id agit Paulus, quod illi attribuunt: verùm ostendit in Euangelij praedicatione, Dei à se gratiam quaeri, & non hominum beneuolentiam. Neq; enim, vt fingunt, sic loquitur. Diuina suadeo; non humana. Sed (vt illis ijsdem vtamur verbis, quae ipse scripsit) ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν; inquit. Quod quidem explanans, subiungit. ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; Sed esto, ea sit Pauli hoc loco oratio, & sententia, quam illi attribuunt: quando nulli dubium esse potest id, quod ipse multis locis apertè explicat: diuina illorum praedicasse, non humana. Alterum erit in argumento vitium, quòd Pauli orationem deprauata quadam imitatione vsurpant. Illius enim verba tantùm exprimunt: cùm res, atque causa tota, alia sit. Falsi nanq; apostoli, Petri, & aliorum Apostolorum auctoritatem, fictè, & fallaciter Paulo opponebant: qui nihil ab illis diuersum, nihil disiunctum vel sentiebat, vel docebat: cum quibus Euangelium suum cùm contulisset, contrà quidem illi nihil dixerant, quin porrecta dextera, ea lege coniuncti, consociatiq; sunt, vt illud idem Euangelium in Iudaea illi, Paulus verò apud alias nationes praedicaret. Nos verò omnia Patrum testimonia, quibus ad istorum aut noua, aut potius rediuiua dogmata refellenda, nostraq;, idest antiqua, & catholica comprobanda vtimur; non fictè, fallaciterué detorta; sed verè, fideliterq; citata ex eorum monumentis, & scriptis, proferimus in medium. Et id quidem ipsi confiteantur, necesse est. Nam seditionis initio, magnis clamoribus à Papa ad Concilium, à posteriorũ Theologorum sententijs, ad Patres cùm appellassent; postea verò animaduertissent, quantopere ab omnibus illorum cogitationibus, purissima Patrum doctrina, & Conciliorum sanctissima decreta abhorrerent; statim & Conciliorum, & Patrum verissimum, sapientissimumq; iudicium fugere, atq; horrere coeperunt: illos ipsos iudices, quos sibi delegerant, deridentes, Gal. 2.

&

& contemnentes. Pugnat contra Pelagianos Augustinus, sanctarum scripturarum testimonijs: quas cùm videret ab illis labefactari, & in alienos sensus flecti, & detorqueri; auctoritate agit sanctorum totius Orientis, & Occidentis Episcoporũ. Quorum iudicio quantum tribuendum sit, in hac quoq; quam nunc agimus, causa, eius nos oratio docebit. *Omnes* (inquit) *iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira, vacuos esse decet. Pauci tales poterunt inueniri: sed patres, quos commemoraui, tales fuisse credendum est. Verùm etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cùm hic viuerent, suo iudicio definierunt, ad hanc tamen causam tales erant. Quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt: vel inimicitias exercuerunt: neq; nobis, neq; vobis irati sunt: neq; nos, neq; vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiscũ apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra: nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus.* Quae omnia non magis pro Augustino sunt contra Pelagianos, quàm pro nobis; immo pro Catholica Ecclesia; contra istos, qui & scripturas sanctas peruersa interpretatione deprauant; & Patrum, ac sanctorum Cõciliorum auctoritatem repudiant, vt soli recta, & vera sapere videantur. In quo vt omnium sunt hominum stultissimi; ita arrogantissimi.

Lib. 2. con. Iul.

QVAESTIO SEPTIMA.

De lege charitatis, quomodo ad Euangelium pertineat.

LOCVS SEPTIMVS.

Cum placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meae, & vocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus.

AR-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VANGELIVM est patefactio Filij Dei; per quem Deus promissionum omnium suarũ summam faustè, feliciterq; compleuit. Qua de re alio loco legimus. *Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum, detrimenta.* Phil. 3.
Quid illud est, quod ait, propter Christum? Audi quomodo explicet. *Propter eminentem* (inquit) *scientiã Iesu Christi Domini mei.* Si ex eo quaeras, quae ista sit adeo excellens, & singularis scientia: fides, respondet, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionis illius. Non rectè ergo ex Euangelio, siue ex hac Christi per fidem cognitione, legem fecère charitatis: Euangelium in legem; fidem in charitatem; Christũ in Moysen; noua in vetera conuertentes.

REFVTATIO.

ST quidem certè Euangelium notio Filij Dei, hoc est (vt antea explicauimus) omnium gratiarum, atq; beneficiorum, quibus à Deo per Iesum Christũ Filium eius donati sumus. Proinde Paulus in Euãgelij praedicatione egregius. *Nos* (inquit) *non spiritum huius mundi accepimus; sed spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus, quae à Deo donata sunt nobis, quae & loquimur, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.* Petrus quoq; hanc eandem cognitionem, quam Euangelium esse dedimus, illis optat, & precatur, ad quos secundam scripsit Epistolam, inquiens. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri: quomodo omnia nobis diuinae virtutis suae, quae ad vitam, & pietatem, donata sunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute; per quae, maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hoc efficiamini diuinae consortes naturae, fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.* Est autem inter haec dona ab Euangelij praedicatoribus illud egregiè commendandum; quòd non modò peccata, quae contra legem commisimus, nobis condonauerit; sed & diuinum planè donum charitatis, copiosè, liberaliterq; largitus fuerit, quo legem deinceps implere possemus.

Qu. 5. 1.Cor. 2. 2.Pet. 1.

Consequens autem est, vt qui haec annunciat, de praeceptis quoq; Christi (quae vna charitatis lege continentur omnia, & ad Christianae vitae institutionem faciunt) explicet: vt nō modò sciamus, quae donata sunt nobis, sed quae agenda, quaeq; deuitanda: quibus diuinorū munerum in omnes vitae partes rectum vsum addiscimus. Non ergo ex Euangelio legem facimus charitatis, vt dolosè nos isti calumniantur: sed Euangelium integrum, cognitionem Christi integram, nulla ex parte imminutā tradimus: quae videlicet dona, quae mandata, quae promissa à Deo per Christum acceperimus, explanantes. Quod in primis accuratissima diligentia fecère quatuor illi sancti viri, qui à Spiritusancto edocti, Euāgelia scripsère: patres, ac maiores nostri secuti sunt: nos per eadem quasi vestigia ingredientes, imitamur. An verò illa ad Euan-

Io.13. gelium nihil omnino pertinent? *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* An ad Christi cognitionem, Pauli

Eph.4. admonitio illa, & testificatio nihil facit? *Dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui; tenebris obscuratum habentes intellectum; alienati à vita Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis. Sicut est veritas in Iesu deponere vos secūdum pristinam conuersationem, veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Et quae in ea Epistola sequūtur; ferè omnia eo potissimùm spectant, vt ostendant non veram Christi notitiam adeptum esse eum; qui charitatis leges, quibus Christianorum hominum mores conformantur, ignorat. Malè credo istorū sententia, de Euangelio Ioannes Apostolus merebatur, cum haec scriberet. *Charissimi diligamus nos*

1.Io. 4. *inuicem: quia charitas ex Deo est: & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Sed qui charitatem ab Euangelio

Super Io. Tr. 83. seiungendam putat, Augustinum audiat: qui, *Intueamur* (inquit) *quod ait Apostolus. Plenitudo legis, charitas. Vbi ergo charitas est, quid est, quod possit deesse? vbi autem non est, quid est, quod possit prodesse? Daemon credit, nec diligit. Nemo diligit,*

qui

qui non credit Frustra quidem: sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit. Nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaq; vbi dilectio est; ibi necessariò fides, & spes; & vbi dilectio proximi, ibi necessariò etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deū, quomodo diligit proximum tanquam seipsum, quandoquidem non diligit & seipsum?

QVAESTIO OCTAVA.

De traditionibus, quas humanas haeretici appellant, easq; tanquam uitia à Deo tolerari affirmant.

LOCVS OCTAVVS.

Post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, & contuli cum illis Euangelium, quod praedico in gentibus.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

TOT annis, quot hoc loco legimus, ac multò etiam pluribus, Iudaeorum imbecillitatem tolerauit Deus; vt scilicet pro lege, quam diuinitus acceperant, & pro veteri consuetudine, in quam se penitus immerserant, tanto studio, & contentione dimicarent; donec Euangelij doctrina, à lege, tanquam ab occidente litera, spiritus viuificans sensim, ac pedetentim, purè segregaretur. Quid ergo mirum, si animorum quoq; nostrorum infirmitatem in tuendis, ac mordicus tenēdis humanis traditionibus, quae nihil ad salutem faciunt, & Euangelium obscurant; tandiu tulerit, tamq; patienter substinuerit? Patiens enim est, & multum misericors.

2.Cor. 3.

Exo. 34.

REFVTATIO.

IVDÆORVM obstinatam de lege sententiam, cùm Euangelio esset, & fidei perniciosissima, mox Deus ab Ecclesia sustulit: partim diuina visione Pe-

Act. 10. 11. & 15. tro obiecta de Cornelio Centurione: partim aperta Petri ipsius, ac Pauli praedicatione: concilio deniq; Hierosolymitano: in quo (vt inquit Hieronymus) Petrus princeps fuit hu-
Epist. 21. ius decreti; Legem post Euangelium non esse seruandã. Quòd si non omnes ab ea statim sententia discessère; sed pertinaci pro ea contentione diu, multumq; disputarunt; id quidem minimè mirum videri debet; quando non omnes quoq; obe-
Rom. 10. dierunt Euangelio. Doctrina verò catholica, quam vos humanarum traditionum nomine infamare, & extinguere studetis, cùm à prima inceperit Ecclesiae institutione, & ad nostra vsq; tempora nouis semper sanctorum Patrum, & Conciliorum decretis roborata perseuerauerit; quomodo tanquam vitiosa à Deo tolerata cogitari potest, ac non tanquam sancta, & salutaris diuina auctoritate confirmata potiùs, & approbata? Quid enim sunt (si temporis spectemus diuturnitatem) anni quatuordecim ad mille; & quingentos? Possumus quidem, possumus de Ecclesiae Catholicae doctrina, decretis, & traditionibus, cum Riccardo viro sanctissimo audacter, libe-
De Tri. lib. 1. c. 2. req; Deo dicere. *Domine si error est in nobis, à teipso decepti sumus. Nam ista tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quòd non nisi per te fieri possent. Et certè à summae sanctitatis viris nobis tradita sunt, cum summa, & autentica testatione probata, teipso cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Possumus quoq; aduersus istos Tertulliani contra Marcionem verba vsurpare. *Aiunt* (inquit) *Marcionem non tam innouasse regulam separatione legis, & Euangelij, quàm retro adulteratam recurasse. O Christe patientissime Domine, qui tot annis interuersionem praedicationis tuae sustinuisti; donec scilicet tibi Marcion subueniret.* Sed iam video tanto conatu, tantoq; studio, quid agatis. De diuina Prouidentia quaestionem lõgo interuallo intermissam reuocatis. Quae enim ea esse potest, si quod struere vos, ac moliri minimè obscurum est, id vobis ex sententia successerit? vt persuadeatis in Christiana religione, in qua vna salutis est adipiscendae vera, & certa ratio, ac via, tot à vobis in vnum congestos errores, tot saeculis, in tam longa Doctorum, & sanctorum Patrum serie, ac successione, in tanta populorum, ac nationum fide, & constantia Deum tolerasse, in diesq; augeri, cumulari, & crescere cùm videret, substinuisse. Quid dico, substinuisse? immo modis omnibus confirmasse, ratosq;, & gratos habere

bere monstrasse. Quae obsecro prouidentia fuisset, si triginta, aut ad summum quinquaginta annis, puram (vt vos vultis) sanamq; doctrinam conseruasset euangelicam: quam repente corruptam, ac deprauatam postea per tot aetates, ac saecula, per mille nimirum, & quingētos annos perpetuos ad vestra vsq; tempora deuenire passus esset? Deum fortasse poenitebat collati in humanū genus beneficij? Vt igitur vno verbo vestram totam scholam explicemus, vestra omnia mysteria patefaciamus; hoc sine dubio studetis; hoc vestra mens, aut potius amentia cogitat, atq; molitur: vt populo, cuius minima auctoritas, maxima vis est, probetis; praeter vos vnos, post Apostolos neminem ne scintillam quidem vidisse veritatis. Sed de vestra singulari in hac re temeritate, atq; dementia longiùs disputare, esset profectò dementissimum: cùm hoc vno, quo vtimur de diuina Prouidentia, argumento, vestra iaceant omnia. Haec igitur tandiu tolerasse, non diuinae misericordiae, & patientiae, sed odij implacabilis, atq; iracundiae acerbissimae profectò fuisset. Quare Gregorius Nazianzenus, acutus sanè, & diligens, ac Spiritusancto plenus Theologus nos doceat, quamobrem & circuncisionē, & alias quasdam legis ceremonias aliquantulum, dum initia, & quasi semina ponerentur Euāgelij, tolerarit Deus. Inquit enim. *Duae vitae humanae mutationes omni aeuo extiterunt, vel cum primis illustres: quae & duo testamenta, & nimirum ob rei magnitudinem; terrae motus appellantur. Harum altera animos hominum ab simulachris ad legem: altera à lege ad Euangelium traduxit.* Porrò in vtroq; testamento idem accidit. Quid hoc, inquis? Hoc nimirum, quod non semel, & vniuersim, nec primo statim conatus impetu mutatio est facta. Et id qua gratia? Nam hoc scire refert: vt ne vi traheremur, sed suasu duceremur. Quicquid enim coactum est, diuturnum non est; id, quod exēplo suo indicant, vel flumina, si vi reprimantur; vel plantae, si praeter ingenium inflectantur. Voluntarium autem quod est, tum diuturnius est, tum etiam tutius. Et illud quidem est cōpellentis; hoc verò nostrum; tum hoc aequitatis diuinae; illud autem tyrannicae potestatis. Non enim conuenire putabat inuitis benè esse faciendum, sed volentibus esse commodandum. Quamobrem pædagogi, mediciq; more, ex patria religione dum aliud abrogat; aliud verò concedit: nonnihil pristini ritus, quod voluptati sit, ipsis permittit: non aliter

Or. de Spiritu sācto.

atq;

atq; medici aegrotãtibus facere solent, hnc spectantes, vt medicina alioquin acerba, dulcore aliquo ad artis praescriptum temperata, aequioribus animis recipiatur. Neq; enim in procliui est, religionem consuetudine, ac tempore longo corroboratam immutare. Ac verò vt, quae dixi apertiùs intelligãtur, prima mutatio sublatis simulachris, victimarum sacrificia concessit. At secunda, cùm victimas sustulisset, circuncisionem non prohibuit. Deinde vbi abrogationem iam semel receperant, progressu temporis illud quoque, quod cõcessum obtinuerant, cessère voluntarij: illi quidem victimas; hi autem circuncisionem. Hac arte ex gentibus quidem facti sunt Iudaei; ex Iudaeis verò Christiani, nimirum paulatim, & mutatione facta per partes, pia quadam vafricie ad Euangelium perducuntur. Huius rei fidem faciat tibi Paulus: qui cùm circuncisionem, purificationemq; admisisset; tamen eò processit, vt sic diceret. *Ego verò fratres* (inquit) *si circuncisionem praedico, quid amplius persecutionem patior?* Illud enim consulto pro tempore cõcessit: hoc verò ad perfectos pertinet. Ecce habes, qua ratione tolerarit Deus inter initia praedicationis Euangelij, circuncisionem, aliasq; id genus legitimas quasdam ceremonias: vt nemo non intelligat, totam haereticorum rationem commentitiam esse, ac nihil simile afferri posse de nostris, hoc est sanctae Catholicae Ecclesiae, sanctis ritibus, & institutis: cùm nulla nunc insignis appareat mutatio: neq; praeterea vlla expectanda sit, praeter eam, de qua ille idem Gregorius. Sed & de tertio motu per Euangelium docemur: quo videlicet ab his sensibilibus eò, vbi nihil mouetur, concutiturué, traducemur.

QVAESTIO NONA.

De comparatione circuncisionis cum ieiunio, eleemosyna, & alijs bonis, & sanctis operibus.

LOCVS NONVS.

Neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circuncidi.

ARGV-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

IRCVNCISIO non fuit reiecta, tanquam res mala, siue damnata, qua ad tempus vti poterant Iudaei: illi inquam, qui Euangelium susceperant, professiq; fuerant; Christi Seruatoris sacris initiati. Hoc autem Apostolorum permissu factum est: vel ob reuerentiam aduersus Patres: est enim (vt Christus inquit) circuncisio nō ex Moyse tantùm, sed ex Patribus, vel ob charitatem erga infirmos fratres: quorum non erat adhuc robusta satis, & stabilis fides: atq; offendi ideo, labare, & vacillare facilè poterant. Reiecta igitur fuit, tanquam ad iustitiam capessendam non necessariam. Quid ergo est, cur maledicti, & nefandi sceleris loco nobis obijciant, qui ieiunia, & alias pias exercitationes non reijcimus, tanquam res damnatas, & omnino inutiles, sed tanquam non necessarias ad impetrandam veniam peccatorum? *Ioan. 7.*

REFVTATIO.

VOD de circuncisione dicitur, quae tametsi sensim ac leniter, in perpetuum tamen abroganda erat; ad ieiunia, eleemosynas, preces, aliaq; id genus opera, quae Christus, & Apostoli docuerunt, transferri nisi stultè admodum, & ineptè non potest. Illa nanq; Patribus character tantùm fuit iustitiae fidei: haec ab ipsa manant, & fluunt iustitia fidei, quae charitas est. Illa in Christo Iesu, hoc est ad salutem adipiscendam, nullius erat ponderis: haec, in quibus posita est obseruantia mandatorum Dei, ad salutem, & vitam aeternam ingressum parant. Illa nullam habebat in coelis repositam mercedem: haec copiosam habitura sunt remunerationem: reddet enim Deus vnicuiq; iuxta opera sua. Illa ad laborem pertinebat, & onus, ac iugum legis intolerabile: haec ad iugum suaue, & leue charitatis. De quibus quatenus ad impretrandam peccatorum veniam, & faciant, & necessaria sint; quanquam satis mihi videor superiùs dixisse; attamen vt toti huic quaestioni abundè satisfactum sit, praeter ea, quae Cyprianus docuit in sermone de elemosyna; ex Basilio quaedam, Augustino, & Chrysostomo in hunc locum congessimus. His vtitur verbis magnus Basilius, cùm de poeniten- *Rom. 4.* *Gal. 6.* *Quaest. 1.*

tia

Ser. de poenit. tia loquitur. *Non est subuersa Niniue: poenitentiam enim egit.* Et Paulo post. *Propheta, qui ad ferendum condemnationis sententiam missus fuerat, audiuit à Deo. Quoniam precatus est* *3 Reg. 21.* *Acbab, minas veritus, quae illi minatus sum, in diebus ipsius non* *Ser. 3. in diuites. in Graeco pag. 32.* *euenient.* Et cùm in diuites auaros. *Nonne vides Niniuitas poenitentes, ac flentes, ob quae ipsi admiserũt, ad Ionae ex Ceti ventre exeuntis, exclamationes, monitionesuè non solũ infantes in medium attulisse, sed ipsos ante omnia in peccatis, & delitijs constitutos parentes, vitã exuentes pristinam, ieiunijs, & abstinentia sese afflictasse: loco deinde auctarij, & infantes addidisse ac pati simul, fiereq; coegisse; vt luctus omnem aetatem occuparet, & sensu praeditam, & sensu carentem: hanc coactam, illam voluntariam. Ex quo misericors Deus, ipsos fastus, luxumq; ponentes, & humilia sentientes animaduertens; & minas remisit, & poenas, quas daturi erant, auertit; & loco calamitatis, laetitiam, hylaritatemq; publicam tribuit.* At in sermone de ieiunio; *Poenitentia citra ieiunium vana est. Terra nanq; execrabilis sentes, ac tribulos tibi parit. Ad lugendum non in delitijs agitandũ constitutus es. Per* *Quaest. 5. Reg. contr.* *ieiunium Deo satisfacias.* Cùm deniq; quaerit, quomodo poenitendum sit de vnoquoq; peccato; sic respondet. *Induendus* *Psal. 118.* *est affectus eius, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: & facienda, quae sunt in sexto Psalmo, & multis alijs* *2 Cor. 7.* *dicta: & quae ab Apostolo ijs, qui secundum Deum, alterius gratiae, qui deliquerat, contristati erant, testificata. Nam Ecce(* inquit, *quòd secundum Deum contristati estis, quantam vobis peperit solicitudinem; immo satisfactionem; immo indignationem; immo desiderium; immo vindictam: In omnibus commendastis vos ipsos, quòd puri sitis in eo negotio. Deinde quod pristino delicto contrarium est, abundè est praestandum, quemadmodum* *Luc. 19.* *Zachaeus fecit.* Et hoc in vna re, & vno verbo explicatum latissimè patere, & ad omnia peccatorum genera esse transferẽdum, sic ostendit Ioannes, cognomento Chrysostomus. *Facite* *In Matt. Hom. 5.* *fructus dignos poenitentia. Quomodo fructificare poterimus? Si vtiq; peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuisti; incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus; à legitimo quoq; vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam saepius, paucorũ dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti; refer benedictionis verba, conuitijs: & percutientem te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, spicula de corpore euellere: sed*

etiam

etiam remedia oportet adhibere vulneribus. Delitijs antea, & temulentia diffluebas; ieiunio, & aquae potu vtrunq; compensa, vt famem superes imminentem. Vidisti impudicis alienum decorem oculis, foeminã; iam omnino non videas, maiore tactus cautione post vulnera. Augustinum nunc, quo vno defensore causam hanc obtinere possumus, quàm enucleatè de ea loquatur, audiamus. *Cogitur* (inquit) *homo tolerare etiam remissis peccatis: quamuis vt in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena, quàm culpa: ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & poena: ac per hoc vel ad demonstrationem debitae miseriae; vel ad emendationem labilis vitae; vel ad exercitationem necessariae patientiae, temporaliter hominem detinet poena, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Si de poena primi peccati, quod originale appellamus, haec fuit Augustini sententia; vt post baptismum maneat, in quo pretiosissimo Christi sanguine toti abluti sumus, & purgati; quis tam amens sit, vt vereatur eos, qui tam magnae Dei gratiae ingrati in peccata reciderint, & spiritum sanctum, quo signati sunt in die redemptionis contristauerint, quanquam per poenitentiae sacramentũ in gratiam restituantur, grauioris alicuius poenae reos esse faciendos? Qua de re Augustinus quoq; dum communia recẽset, Sanctae Catholicae Ecclesiae dogmata, planè, & dilucidè his verbis commemorauit. *Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor priùs publica poenitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum, communioni sociari; si vult non ad iudicium, & condemnationem sui, Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus: sed mutato priùs saeculari habitu, & confesso religionis studio per vitae correctionem, & iugi, immo perpetuo luctu, miserante Deo; ita duntaxat, vt contraria pro his, quae poenitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus, supplex, & submissus vsq; ad mortem percipiat.* Ad hanc quoq; sanciendam, decernendamq; poenam non est praetereundum, quod Augustinus sermonem Domini, illum inquam qui apud Lucam legitur: *Seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis; vapulabit paucis.* Sic interpretatur: vt neutrum ad sempiternam poenam: sed alterum ad leuiorem; ad seueriorem alterum referat castigationem. Inquit enim. *David*

In Io. Tr. vltimo.

De Eccl. dog. c. 53.

Exp. inch. Ep. ad Ro.

Patriarcha, diuina electione probatus, atq; laudatus, cum alienae coniugis amore perculsus, etiam maritum eius decipiendum, necandumq; curauit; de quo tamen scelere, cùm esset primò sua, deinde Prophetae voce damnatus, poenitendi humilitate, & peccati confessione liberatus est. Sed planè vapulauit multa: & exemplo suo docuit intelligi non ad sempiternam poenam; sed ad seueriorem disciplinam pertinere, quod dictum est à Domino: Qui nouit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa. Ad hoc etiam maximè facit, quod summus hic catholicae veritatis Doctor asseruit: Pro peccatis cuiusq; fieri in baptismo mortis Christi sanctum, & solemne sacrificium. Eum verò, qui post hanc expiationem peccauerit, hoc eodem manente fundamento, in poenitentia sacrificium esse faciendum cordis contriti, & humiliati: quod (vt vates non tam doctus, quam expertus inquit) *Deus non despiciet.* Ps. 50.

QVAESTIO DECIMA.

De peccato, quod contra Pontificum leges committitur.

LOCVS IDEM.

Neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gẽtilis, compulsus est circuncidi.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

CIRCVNCISVM, incircũcisumuè esse, neq; peccatum est, neq; iustitia: neq; rectè factum; neq; perperam. Timotheo enim neq; peccatum fuit, neq; iustitia circuncidi; Titoq; non circũcidi. Edere, & bibere cùm sint humanae vitae necessaria; neq; in bonis, neq; in prauis rectè numorantur. Similiq; modo in Pontificum legibus aut seruandis, aut non seruandis, neq; culpa inest vlla, neq; promeritum: etsi sit ascripta (vt ferè solet) damnationis aeternae comminatio. Nam si in pontificijs legibus aut salus, aut damnatio; aut vita, aut mors posita sit, Christo Seruatore quid egemus?

RE-

REFVTATIO.

NEQVE inter rectè, neq; inter improbè facta, circuncisio, eo quidem tempore, enumerabatur, quo Paulus Timotheum circuncidit; Titum verò incircuncisum reliquit. Eratq; prorsus circuncisio talis, qualem vos eam, vt Iudaeorum quoq; incircuncisis auribus aliquid dare videamini, nunc esse vultis. Cuius rei non modò iustam, sed etiam necessariam causam attulit Augustinus. *Timotheum* (inquit) *Paulus circumcidit, propterea, ne Iudaeis, & maximè cognationi eius maternae, sic viderentur, qui ex gentibus in Christum crediderant, detestari circuncisionem, sicut idololatria detestanda est; cum illam Deus fieri praeceperit, hāc Satanas persuasserit: & Titum propterea non circunciderit, ne occasionem daret eis, qui sine illa circuncisione dicebant, credentes saluos esse non posse; & ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum sentire iactarent. Quod ipse satis significat, vbi ait: Sed neq; Titus, qui mecum erat, cùm esset Graecus, compulsus est circuncidi. Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierant perscrutari libertatem nostram, vt nos in seruitutem redigerent: quibus nec ad horā cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Hic apparet, quid eos captare intellexerit: vt non faceret, quod in Timotheo fecerat; & quod ea libertate facere poterat: qua ostenderat, illa sacramenta nec tanquam necessaria debere appeti; nec tanquam sacrilega debere damnari. Sed posteaquam sanctissimis Catholicae Ecclesiae decretis & circuncisio, & omnia veteris legis sacramenta antiquata sunt; diuinaeq; gratiae, & Euangelij virtus plenè declarata, & peruulgata est; quicunq; circuncisione vti aut in se, aut in alium ausus est, fuerituè; is se non solùm in nefarium scelus; sed etiam in haeresim iamdiu detestatam incidisse, scire debet. Libera igitur & Hieronymus, & Augustinus voce pronunciant ceremonias Iudaeorum, & perniciosas esse, & mortiferas Christianis: & quicunq; eas obseruauerit siue ex Iudaeis, siue ex gentibus, eum in barathrum diaboli deuolutum. Edere autē, & bibere cum circuncisione, quid commune habent? Vt inquiunt, in edendo, bibendoue neque vitium est, neq; virtus: ita & in circuncisione neq; peccatum est vllum, neq; officium. Ita ne censetis? Antequam Christus venisset, & homines, qui sub lege erāt, liberasset; si quisquam

Epist. 19. *Epist. 19.*

Iudaeorum circuncisionem omisisset, nihil peccasset? Nunc si circuncidantur Christiani, nihil peccent? Quid quæso est, diuina omnia, & humana confundere, si hoc non est? Et potus quidem, & pastus, cùm ad vitae conseruationem sint necessarij, naturaq; expetantur, neque ad virtutem, aut vitium referendi sunt; neq; vlla possunt lege prohiberi. Circuncisio verò cùm diuina lege fuerit & instituta, & abrogata; instituta quidem praetermitti, priusquam abrogaretur; abrogata verò suscipi sine detestabili scelere, non potuit. Sed quaenam est ista circuncisionis, & edendi, bibendiq; cum legibus Pontificum similitudo? quae comparatio? quomodo ista coniungitis? quomodo conglutinatis? Intelligi profectò ne à vobis quidem isthaec arbitramur: tam absurda, tam vana, tam falsa sunt. An fortè timetis, ne edere, aut bibere Pontifices suis legibus prohibeant? An verò ignoratis nihil pontificijs legibus interdici, nisi quod vel per sese, & sua sponte peccatum sit, vel facilem ad peccandum viam efficiat: nihil praecipi, nisi quod vel cum virtute coniunctum, aut planè virtus sit; vel ad virtutis altitudinem, atque fastigium molliorem praestet ascensum? Inest igitur in legibus Pontificum & peccatum, si negligantur; & iustitia, si seruentur. Primùm quòd cùm iustae sint, ad aeternae illius stabilis, & immutabilis legis sunt expressae naturam: hoc est, ad diuinae mentis, coelum, atq; terras tuentis, ac regentis, imperandi, prohibendiq; sapientiam: cuius illud est oraculum. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Qua ratione fit, vt quae sua natura neq; praua, neq; recta sint, lege constituta, recta, aut praua efficiantur. Deinde ratione diuini mandati, quo his, qui Ecclesiae praepositi sunt, & qui pro nostris animabus rationẽ Deo reddituri peruigilant, obtemperare iubemur. Denique quòd illa praescribunt, quae ad communem Christianorum omnium vtilitatem, honestatem, salutem, necessaria sunt. In quibus ex ea parte salutem positam esse dicimus, quatenus aut ad Christum nos illae Seruatorem dirigũt; aut de fide, & charitate aliquid praecipiunt. Atq; id quidem cùm constet; perspicuum esse debet, & legibus Pontificum, & Christo nos Seruatore simul egere. Ad eum enim, per quem seruati, & liberati sumus, aut planè ducunt; aut tanquam viatoribus deerrantibus viam commonstrant. Cum igitur Ecclesiae mandatis obtemperamus, id praecisè facimus (vt ex Augustino docuimus)

Haeretici non herentia glutinant, vt herentia dissoluant.

Interdictũ, ac praeceptũ pontificium.

Prou. 8.

Qu. 4. lib. cont. Cresc.

cuimus) quod in sanctis voluminibus Deus ipse nos facere iussit: vt Ecclesiam in omnibus audiremus; Ecclesiae maximã, atq; grauissimam auctoritatem tribueremus; aduersus decreta Ecclesiae nihil omnino faceremus, ne cogitaremus quidem: audire enim Ecclesiam, haec omnia continet, atq; requirit. Quoniam verò de humanis, & pontificijs legibus alter futurus est in his quaestionibus, & magis proprius disputandi locus, nunc pro re satis dictum esse existimamus: illud tamen nullo pacto praetermittentes, cuius fortasse neq; ingenia, neq; mentes vestrae capaces erunt: nihil enim honestum; nihil graue; nihil verum; nihil seuerum recipit vestra leuitas, & vitae turpitudo. Hoc autem est: nulla Pontificum lege aut edi, aut bibi prohiberi; sed comessationes, & ebrietates: nulla lege coniugia interdici; sed sacrilega cubilia, & impudicitias: nulla deniq; lege modestam, & sine pertinacia disputandi rationem reprehendi; sed contentiones, & aemulationes. Hæc autem ea ratione prohibentur, vt induamus Dominum Iesum Christum: vt in omnibus dictis, factis Christianos nos esse meminerimus: vt carnis curam ne faciamus ad explendas cupiditates. Quare qui Pontificum leges aspernantur, atq; contemnunt, ij se gulae, immensae, & furiosae vinolentiae deditos esse ostendunt.

QVAESTIO VNDECIMA.

De differentia operum legis, & charitatis.

LOCVS VNDECIMVS.

Vt veritas Euangelij permaneat apud vos.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VAENAM sit ea Euangelij veritas, in qua Galatas, & omnes, qui Christi Religionem susciperent, consistere, & perseuerare Paulus tantopere cupiebat? Haec nimirum: non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Quod apertè indicat: nostram omnem iustitiam ex vna constare fide, exclusis omnibus legis operibus. *Gal. 2.*

operibus. Quid verò tam huic veritati & inimicum, & aduersum, quàm hoc? iustitiam nostram ex fide quidem esse, sed non sine legis operibus. At hoc ipsum tamen docent, quicunq; docent, iustitiam esse ex fide non informi (vt noui Theologi loquuntur) sed formata, & perfecta charitate. Nam (vt Dominus noster Iesus Christus dixit) primum & maximum mandatum in lege illud est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Secundum autem simile huic. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetae.* Pertinet igitur charitas ad legem. Quamobrem neq; solitaria, neq; cum fide coniuncta iustitiam affert.

Matt. 21.

REFVTATIO.

SI de rebus omnibus, quae ad Euangelij veritatē pertinent, agendum sit; satis (vt arbitror) suprà est à nobis explicatum; quamuis generatim, atque vniuersè, quaenam ea sint, quae Euangelij voci subijciantur. Si verò quid ea vox, Euangelij veritas, hoc loco sonet, perquiramus; hoc est, quid Paulus per eam intellexerit; dicendum, nihil certè intellexisse aliud, nisi circuncisionem (quod primum erat, & praecipuum legis sacramentum) ad iustitiam, & salutem per Iesum Christum adipiscendam, non esse necessariā. Ita enim inquit. *Neq; Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circuncidi: sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostrā, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent: quibus neque ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Titum ergo, inquit, ad circuncisionem non adegimus, cùm non esset Iudaeus; vt penes vos, qui Iudaei non estis, firmum, & immobile hoc euangelicum dogma haberetur: non esse vobis opus circuncisione. Quod si contrà hac ratione pugnauerint; Si circuncisio necessaria non est, nullū est opus lege praeceptum necessarium: testatur enim Paulus omni circuncidenti se, quòd debitor sit vniuersae legis faciendae: à cuius vinculis, qui non circunciditur, solutus ac liber est: Distinguenda statim, ac separanda sunt opera, quae legis, ab his, quae charitatis esse dicuntur. Illa nanq; metu; **haec amore fiunt. Ad illa mulctae, & poenae formido, nolentem**

Quaest. 5.

Gal. 2.

Gal. 5.

tem aliquando, & inuitum compellit. Ad haec Spiritus sanctus non nisi volentem ducit. Illis hominem non iustificari, Paulus constanter affirmat: haec tanti facit, vt absq; charitate hominem, quantumuis virtutum, aut operum habeat, nihil esse affirmet. Illa ad iustitiā, & salutem nihil proficiunt: haec (vt saepe in ijs quaestionibus docebimus) iustitiam amplificant; & merita sunt, quibus filij Dei maximis honoribus decorantur, & ad regnum vocantur, eis paratum à mundi constitutione. At charitas ad legem pertinet. Cum de charitate loquimur, duo sanè sunt, quae hac voce intelligi possunt: praecepta scilicet, quae de charitate traduntur (& ea non ad legē solùm, sed ad Euangelium quoq; pertinere satis suprà docuimus) deinde diuinum illud donum, quod à Spiritusancto tanquam fructus enascens, largè, & effusè fidelibus distribuitur, ac donatur, qua ratione ad fidem pertinet. Est enim charitas sic accepta, diuina illa spiritus pollicitatio, quae (Paulo teste) per fidem accipitur; quaeq; diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Haec duo, quae vna charitatis voce significantur, sic distinxit Augustinus: *Cum dicitur, Diligamus inuicem; lex est. Cum dicitur, Quia dilectio ex Deo est; gratia est. Sapientia quippe Dei, legem & misericordiam in lingua portat. Vnde scriptum est in Psalmo. Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit. Vnde & Apostolus benedicens Thessalonicen. Vos (inquit) Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem, & in omnes. Hanc benedictionem dedit, vt nos inuicem diligeremus, qui legem dederat, vt inuicem diligamus.* Sed ne in illo Pauli testimonio, quo nihil est istis in ore frequentius, conniuere videamur; accuratè, exquisiteq; est hoc loco à nobis expendendum, multò magis, quàm in Commentarijs nostris in hanc Epistolam fecerimus. Excitant enim nos, & acuunt ad veritatis tutelam, Haereticorum disputationes: ac tanquam stimulis adhibitis, prudentiores, attentioresq; faciunt ad sanctarum scripturarum circunspectionem. Negat Paulus, parari posse iustitiam ex operibus legis, his verbis. *Non iustificatur homo ex operibus legis.* Quid verius dici, cogitari uè potest, quàm nudum hominem, & ab omni diuino auxilio destitutum, neq; esse, neq; dici posse iustū, ex eo, quòd quaecunq; lex praescripserit, plenè, cumulateq; praestiterit? Vnus contra hoc Pelagius disputare ausus est: cuius impia sententia, Palaestinis, Africanisq; Concilijs, & Roma-

1. Cor. 13. *Matt. 25.* *Qu. 7.* *Gal. 3.* *Ro. 5.* *De gratia. & lib. arb.* *118.* *1. Io. 4.* *Prou. 3.* *Psal. 83.* *1. Thess. 3.* *Gal. 2.*

Romanorum Pontificum decretis iampridem explosa, damnataq; est. Sed ad id, quod sequitur, animum attendamus. *Nisi per fidem Iesu Christi*. *Nisi*, Paulus inquit; non autem *sed*. Excipiendi, non aduersandi nota vtitur: ne cum haereticis intelligeres, vna fide in Iesum Christum cum secretione omnium operum, quae lege praecipiuntur, effici hominem iustum. Non enim hoc sentit Apostolus, sed illud: non adipisci quenquam iustitiam ex operibus legis, nisi priùs per fidem in Iesum Christum adipiscatur: cuius auxilio, ac munere, legis omnia mandata praestat, & iustificatur ex operibus legis. Fides enim hominem supra hominem extollit: quippe quae, & diuinae eum naturae cõsortem; & filium Dei efficiat: charitatem ei impetret, in qua posita est plenitudo legis; propterea quòd per eam homo omnia legis mandata, ac munera cum libera quadam animi oblectatione exequitur. Itaq; quod sua sponte homo, & per se non potest; fidei praesidio, atq; adiumento potest: vt hic nos locus admoneat, Pauli sententiam illam; ex operibus legis parari iustitiam nõ posse; cum hac semper exceptione esse accipiendam; vt de operibus loquatur, quae sunt à fide seiuncta, & segregata. In quem etiam sensum, & quae sequuntur, interpretanda sunt. Et nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & nõ ex operibus legis: circunscripta scilicet fide. Propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro: hoc est, homo Dei spiritu, fide, & charitate vacuus. Quare verissimae huic atq; sanctissimae sententiae; *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi*, haec quidem & impia, & falsa sententia: Iustificatur homo ex operibus legis, sine fide Iesu Christi; verè, atq; maximè aduersatur: non autem illa, quae in argumento non minus stultè, quàm improbè confingitur.

1. Pet. 1.
Rom. 11.

QVAESTIO DVODECIMA.

De personarũ acceptione in causa religionis.

LOCVS DVODECIMVS.

Deus personam hominis non accipit.

AR-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

XTRA causam religionis, personae habeatur, & dignitatis ratio. Sit sibi pater, & filius, sit magister, & discipulus, sit herus, & seruus: sint Reges, sint populi Regibus subiecti: alioquin magna sequeretur in rebus humanis ordinis perturbatio; summa totius vitae confusio; nulla aduersus maiores, & honoris gradu superiores reuerentia. In Politicis vult Deus personae rationem haberi; non in causa religionis: in externo, & iudiciali foro, non in conscientia: in iudicio de moribus; non de fide. Maneat igitur, ac perpetuò fixum sit: cum de religione; de salute animarum; de conscientiae tranquillitate; de fide agitur, nullam accipiendam esse personae vim, gradum, ordinem, auctoritatem.

REFVTATIO.

VA obsecro differendi arte, quo iudicio, qua ratione, qua argumentandi via, ex hoc oraculo. *Deus personam hominis non accipit*; efficitis personam, & dignitatem hominis in Ecclesia, idest in hac Christianae religionis communione, & societate, nullo loco esse accipiendam, numerandam, aestimandam? Verumnè vobis forsasse videtur; vt quemadmodum Deus ex humilibus, obscuris, rudibus, & in doctis piscatoribus, quos voluit, maximos Euangelij praedicatores fecit; & ex acerrimo Christi oppugnatore, & aduersario summum propugnatorem, ac defensorē (hoc etenim est quod hoc loco concludit Apostolus) ita & homo in hoc vitae cursu (quod ad religionem attinet) quem velit sibi ducem eligere, & constituere, possit; nullo ad personae pondus & auctoritatem respectu habito? Id si ita habet, malè profectò Paulus tot, & tanta sibi à Deo collata munera tam saepe commemorabat: vt ex personae suae vi, & dignitate, doctrinae, & Religioni, quam praedicabat, fidem, & auctoritatem conciliaret. Apostolum se nominabat, vocatum à Deo; & ad Euangelij magnum, atq; arduum opus segregatum esse dicebat. Affirmabat se Iesum Christum vidisse. Laudabat Galatas, quòd ab illis, tanquam Angelus Dei, & tanquam Iesus Christus, fuisset exceptus. Quid porrò Paulus agebat, vel per singulas

Rom. 1. *1. Cor. 9.* *Gal. 4.* *Act. 14.*

Tit. 1. gulas Ecclesias presbyteros instituens; vel Tito, vt institueret, mandans (erant enim Presbyteri Episcopi; idest, omnium quae ad religionem, & Dei cultum pertinent, inspectores, curatores, magistri) si Dei Ecclesia in religionis negotio, personarũ differentiam non admittit; si nihil habet persona ponderis, nihil momenti? Quorsum illud obsecro? quorsum? Presbyteris, qui benè praesunt, honorem duplicem habendum: illis praesertim, qui in verbo, & doctrina laborarẽt. Hoc enim verè, ac propriè est, Episcopum esse: earum rerum, quae ad religionem spectant, magistrum esse, & administratorem. Quare Paulus ad Hebraeos scribens: *Obedite* (inquit) *praepositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & nõ gementes*. Sed & illa. *Qui recipit vos, me recipit: qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit:* ad personarum differentiam, & ad summam diuinae legationis dignitatem referenda sunt. Quis enim non in his videat, ab ipso Iesu Christo Domino nostro personas Apostolorum secerni, deligi, in honore haberi, in excelso, & illustri dignitatis gradu collocari? vt grauissimè omnino peccare, supremoq; supplicio plecti debere censendum sit, omnes, qui Sacerdotibus, Praesbyteris, Episcopis, summisq; Pontificibus, Apostolorum, & Petri successoribus, non obediunt; non summos honores habent; non debitum planè studium, cultum, obseruantiam, & reuerentiã impertiunt. Eʼν τοῖς πολιτικοῖς igitur (vt dicitis) personae locus erit, & dignitatis. Quid ita? Ne ciuitatis ordo perturbetur: nè ciuilis vitae ratio confundatur, obedientia relinquatur, & abijciatur. O' politicos magis, quàm pios homines, qui perturbationem, & confusionem è ciuitate quidem, & è Rep. tollunt; in Ecclesiam verò, & in Christianae religionis communionem inuehunt, excitant, important. An non si quisq; sibi de religione statuendi auctoritatem, & personam sumat; si quisq; sibi potestatem diuinitùs institutam arroget; omnis ab ea re, quam omnium maximam, & planè diuinam omnes homines semper putauerunt, à religione scilicet, omnis tolletur ordo, omnis aduersus illos reuerentia, quos vigilare, tanquam rationem pro animabus reddituros, Apostolus dixit? Quod ad ciuiles magistratus spectare nullo certè modò potest. Nisi enim in Ecclesia sint honoris gradus; nisi personae sint in his, quae ad religionem pertinent, aliae alijs superiores;

1. Tim. 5.

Heb. 13.

Matth. 10.
Luc. 10.

res;

tes, nisi potestates sint, summae, mediae, infimae; magna illic exoriatur confusio necesse est, magna conscientiarum perturbatio: qualem omnino vos hoc tempore peperistis, qui Patrum, & Ecclesiae Catholicae doctrina omni, & auctoritate spreta, & repudiata, vobis vnis Religionis illustrandae, diuini verbi explicandi, cōscientiae pacandae facultatem vendicastis. Vt expressum in vobis penè oculis videmus, diuinum illud Apostoli vaticinium: *Exurgent ex vobis ipsis viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se*. Persuadere autem ea, quae voluistis hominibus vestris sua sponte licentiae, & voluptati deditis, haud admodum difficile fuit: duos praesertim aditus ad omnia scelera discipulis vestris aperientes, ex libro (opinor) Iudicum sumptos, & arreptos. Alterum, vt vnusquisq; quod sibi videtur rectum, illud faciat. Alterum, vt non sit rex in Israel. Nihil igitur mirum videri debet, si plurimi vobiscum facere videantur: qui cùm Asoti essent, aut esse cuperent, sese primùm oīum in disciplinam nobis tradidère.

Act. 20.

Iud. 21. & 22.

QVAESTIO TERTIADECIMA.

De eodem.

LOCVS IDEM.

Deus personam hominis non accipit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

MENDACES, & falsi apostoli Paulo obijciebant, cum aliorum Apostolorum, tum maximè Petri auctoritatem, atq; dignitatem: à quibus illum de Euangelij veritate dissentire criminabantur. At Paulus hanc criminationem multis modis depellebat: inter quos ille breuissimus, ac verissimus est, qui hac vna certa, stabiliq; sententia continetur. *Deus personam hominis non accipit*. Cui quidem sententiae ex priscis oraculis Dei decerptae, neq; respondere, neq; aduersus eam omnino hiscere audebant aduersarij: qui personarum existimatione, extingui, & opprimi posse veritatem arbitrabātur. Nos igitur à Paulo commoniti, cùm aut Pontificum, aut Cae-

 sarum

sarum auctoritate, & splendidis illis caeterarum potestatum, & ordinum nominibus, ac titulis obruimur, & quasi praestringimur; ad huius sententiae veram, & breuem cōfugiamus defensionem. *Deus personam hominis non accipit.* Ad cujus sonum obmutescant aduersarij, necesse est, nisi tam impudentes sint, vt etiam diuinae voci, & veritati repugnare, atq; resistere non vereantur.

R E F V T A T I O.

NEQVE certè vos huius sententiae vsurpatio quicquam iuuat; neq; mirifica ista latebra, in quam vos conijcitis, occultat. Paulus enim (vt ipsemet in hac eadem Epistola apertè explicat) à Petro, caeterisq; Apostolis de Euangelio, Euangelicaq; doctrina, & veritate ne leuiter quidem diffidebat: quinimmo cum illis in omnibus mirificè congruebat. Statim enim post citatam hanc, de qua agimus, sententiam: *Mihi* (inquit) *qui videbātur esse aliquid, nihil contulerunt, sed è contra cum vidissent, quòd creditum est mihi Euangelium praeputij, sicut & Petro circuncisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes; cùm cognouissent gratiam, quae data est mihi: Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi, & Barnabae societatis: vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem: tantùm vt pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Ex quibus videre vel caeci possunt, vt de Euangelio cum caeteris Apostolis Paulus magnopere consentiret. Prorsus enim in hanc sententiam loquitur Paulus. Neq; à Petro, neq; ab alijs Apostolis, qui in euangelica doctrina summi esse videbantur, ego quidem quicquam accepi, aut didici: quin immo contra cùm sublimes illae, & excelsae Euangelij columnae, Iacobus, Cephas, Ioannes, quorum maxima erat existimatio, & auctoritas, cognouissent, non sibi solùm; sed & mihi, qui omnium hominum despicatissimus, & contemptissimus haberer, à Deo fuisse demonstratam, atq; detectam Euangelij veritatem, atq; doctrinam, dextras & mihi, & Barnabae dederunt: societatē Euangelij concordissimè in diuersis orbis partibus praedicandi, nobiscum ineuntes. Neq; tamen admirationem habere debet vllam, si & mihi homini olim à Iesu Christo auersissimo, & illis Christo amicissimis, idem Euangelium est traditum,

Gal. 2.

atq; commissum. *Deus enim personam hominis non accipit.* Sed à Paulo in eam sententiam, quam audistis, locuto, nostra iam ad vos reuertatur oratio, qui ab Ecclesiae perpetuo, & incorrupto iudicio, atq; consensu, implacabili odio, dissidioq; discordatis. Quaenam est ista vestra impudentia, vt diuinum hoc oraculum vsurpare audeatis? Aliamne fortasse dicetis Ecclesiae vniuersae à primis vsque temporibus, atq; deinceps, alia vobis à Deo opt. max. nuper data fidei praecepta, aliamq; doctrinam è coelo vobis esse delapsam, & patefactam? Qui dicere hoc potestis, cum praeceptum illud non ignoretis; ab Ecclesia nullo plane modo esse discedendum: qui discesserit, eum perinde atq; ethnicum, & publicanum esse habendum? Sed ne hoc quidem dicere potestis: aliam Ecclesiae olim, aliã vobis nuper infusam esse doctrinam: cum in vestris omnibus decretis toti sitis alieni: Hussitae scilicet, Pragitae, Vicleffitae; qui Patrum nostrorum memoria, legitimis Episcoporum Concilijs reiecti, explosiq; fuerunt. Iamq; desitum erat contra illos disputari, cum vos repente extitistis, & illorum haereses ab inferis excitastis. Neq; verò vos (vt dicitis) Pontificum, aut Caesarum summa potestas, & auctoritas opprimit; sed Dei aduersus Ecclesiam suam aeterna, & summa prouidẽtia: qui & Pontifices, & Caesares summo semper in honore, summoq; in totius orbis terrarum imperio esse voluit: vt haberet Ecclesia, tanquam duos gladios, qui sanctam eius doctrinam aduersus haereticos, & rerum nouarũ cupidos, amanter, pieq; tuerentur. Quare & Africae, & Asiae Episcopi, Romanorum Pontificum doctrinam, pietatem, summam potestatem, Caesarumq; & aliorum magistratuum fidem contra schismata, & haereses, cùm nullus esset suadendi locus, saepissimè implorabant. Saepiùs enim, quàm boni voluissent, exortae sunt haereses: quae nisi ab his, qui summo cum imperio, & potestate illis temporibus erant, & damnatae, & castigatae, & extinctae fuissent: de fide, & religione, & omni Rep. Christiana iam diu actum fuisset. Sed illud Innocentij clarissimi Pontificis, & sempiterna memoria digni, semper viguit, & Principum animos ad poenas de haereticis sumendas vehementer stimulauit. Si diu (inquit) fuerint haeretici in impunitate versati, necesse est multos in suae prauitatem mentis inducant, decipiantq; innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam non sequuntur. Putabunt enim

Deut. 10.

Matt. 18.

Aug. Epist. 48. 50. 90. 91. 92.

eos rectè sentire, quos adhuc viderint in Ecclesia perdurare. Quod vtinam aetate nostra obsolescere non vidissemus.

QVAESTIO QVARTADECIMA.

De Petri summa potestate.

LOCVS QVARTVSDECIMVS.

Creditum est mihi Euangelium praeputij, sicut Petro circuncisionis.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

QVIS audeat dicere, non ex hoc loco liquere Apostolos omnes fuisse inter se pares, & aequales? omnes enim à Christo Iesu aequaliter vocati fuerant: omnes Euangelium idem acceperunt, mandatum idem: omnes θεοδίδακτοι. Petrus autem quonam modo maior caeteris vnquam fuit? qua lege à Christo lata, quo mandato, quo iussu, quo deniq; priuilegio factus est Apostolorũ princeps? In quo quidem constituendo principatu, quibus non vtuntur fallacijs nostri aduersarij? quae non comminiscuntur opinionum commenta? quibus abstinent praestigijs? ita vt etiam pretiosissima Christi verba fallaciter adulterent: illa scilicet. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, & quae sequuntur. Insigni profectò in Deum contumelia per petram potestatem Petri intelligi volentes: super quam aedificare se Ecclesiam aiunt, dum eam Romani Pont. potestati, atq; imperio subijciunt. Alba nè putant nos, & atra non posse discernere; quos sciunt non ignorare eorum vitia, scelera, impietates, qui hunc locum, & dominatum tenuerunt, quem à Petri potestate deriuant? At in Ecclesiam super hanc petram à Christo aedificatam, Christus ipse dixit, nihil posse portas inferorum. *Et portae* (inquit) *inferi non praeualebunt aduersus eam.* Illud verò. *Pasce oues meas*: qua temeritate deprauant? omnes enim totius orbis terrarum oues tribus ijs verbis Petro commissas fuisse volunt: & verbum, *pascere*, hac interpretatione,

Matt. 16.

Io. vlt.

tatione, quasi veneno spargunt, & inficiunt: vt pro eo quod est, praesidere, & principem principum esse intelligi velint: cùm *pascere*, non dominatum, sed seruitutem sonet. De amore verò, quem Christus ante hoc verbū exigit à Petro, mirum est apud illos omnino silentium: nec vident in sua monarchia nec amorem esse, nec vllam pascendi curam; sed impotētiam, libidinem, auaritiam. Non enim oues tondere; sed deglubere: nō moderatè imperare; sed tyrannico dominatu populos premere eorum Pontifices solent. Quid facerent; quàm magnificè se iactarent, si vel ementiendo quidem ostendere possent, Apostolorum quenquam à Petro legationem aliquam accepisse: quemadmodum re vera nos ex sacris literis ostēdimus, cum ab Apostolis, qui erant Ierosolymis, in Samariam legatum fuisse? id, quod in eum, qui principem in terris vice Dei teneret locum, cadere nullo modo poterat; sententia à Domino nostro Iesu Christo lata: non esse Apostolum maiorem eo, qui misit illum. Quid? si probare possent, Petrum compulisse alios, criminis alicuius causam dicere; vt ipse coactus est se de religione purgare, & rationem reddere, cur ad viros praeputium habentes intrasset, & cum illis manducasset? Sed ad haec vt lubet, respondeant: huius certè ratiunculae exitum inuenire nunquam poterit tota illa Romani Pontificis manus, veluti plagis irretita, & nouo timore perturbata. Si principatus iste fuisset à Deo, & iure (vt dicitur) diuino institutus: fuisset aliquando profectò omnibus suis numeris, & partibus absolutus, atque perfectus: cùm iota vnum, aut vnus apex ex verbis Dei praeteriri non possit, quin omnia perficiantur. At verò neq; Petrus vnquam, neq; qui sese Petri fecēre successores, omnibus Ecclesijs imperarunt; Graeciae, Indiae, Persidis, Africae, Aegypti. Quod etiam illi ipsi, qui summam hanc sibi vendicant potestatem, magno cum animi dolore, & moerore fatentur, tot studijs, & artibus in eam rem frustra consumptis.

Act. 8. *Io. 13.* *Act. 21.*

REFVTATIO.

BReuiorem me, quàm par erat, & res ipsa requireret, in hac refutatione fortasse facient, multorum insignium virorum pro Catholica Ecclesia suscepti labores: qui de Petri principatu accuratè scripsēre: omnes omnium haereticorum calumnias certissimis argumētis,

tis, diuinis testimonijs, ac sanctorum Patrum vnâ mẽte, vnaq; voce refutantes. In quibus maximè enituère, Thomas de Vio, Cardinalis Caietanus, ingenio, doctrina, pietate clarissimus: ac Reginaldus Polus, Cardinalis & ipse Britannus. Cuius non testimonium modò, aut oratio, sed vnus certè nutus fidem facere potest: ea est viri summa integritas, eruditio, religio. Scripsit is pro Ecclesiasticae vnitatis defensione libros quatuor ad Henricum octauum Britannorum regem, ab haereticis in multos, & turbulentos errores miserè pertractum. In quibus hoc ipsum, de quo nunc agimus, latè, luculenteq; tractauit: cùm ille quasi furijs agitatus, & pontificiam sibi potestatem arrogasset, augustamq; Vicarij Iesu Christi maiestatem multis modis sceleratè, & impiè violasset. Hos libros si quis attento animo legerit, omnem de ista controuersia scrupulum deponet. Sed nos ad haec tantùm, quae paulò ante resitauimus à nouis istis hominibus renouata, veterum haereticorum sophismata veriùs, quàm argumenta dicamus.

Vio Card. Caietanus. Reginaldus Card. Polus.

Petri principatus non ab illa selectione proficiscitur, qua vt Christi discipulus, & Apostolus esset, vocatus est: eam enim communem illi cum caeteris Apostolis fuisse nõ repugnamus: quanquam (vt paulò post dicemus) tunc quoq; aliquid accidenit, quod futuram eius excellentiam, atq; praestãtiam praemonstraret. Neq; etiam ab illa legatione ortum habuit, qua omnes simul diuinitùs edocti, ad idem Euangelium vbicunq; terrarum, & gentium praedicandum missi fuère: in quo nullum habuit Petrus locum eminentiorem. Alia porrò capita sunt, & ea quidem maximè manifesta, testata, & illustria: quae prae caeteris Petrum in amplissimo dignitatis gradu, & in totius Ecclesiae custodia, tanquam in omnium terrarum arce, & specula, Dei, & Domini nostri Iesu Christi iudicio collocarũt.

Petri principatus vnde.

Matt. 4. Io. 1. Matt. 10. Mar. vlt.

Principatus Petri capita praecipua.

1 Ea sunt, quòd non super Apostolos omnes, sed super vnum Petrum admirabili quidem, prolixoq; apparatu Ecclesiam suam aedificaturum se Christus ipse recepit: quam euertere nullae inferorum machinae, nullae fraudes, nullae fallaciae possent.
2 Quòd nõ omnibus Apostolis, sed vni Petro daturum se claues
3 regni coelestis receperit. Quòd quam omnibus committere constituerat ligandi, soluendiq; potestatem, eam seorsum, ac separatim Petro primùm pollicitus sit: tanquam ad eum ea potestas, praecipua quadam, ac singulari ratione esset peruentura.
4 Quòd deniq; vni Petro de suis pascendis ouibus mãdarit.

De quibus omnibus singulatim est differendum: vt omnes, ad quorum manus hi nostri labores peruenerint (si modò legentur) intelligant, quàm vana, quàm leuia, quàm stulta sint argumenta, quae tanquam ab inferis aduersus Petrum, & eius Ecclesiam excitarunt haeretici. Malè (aiunt) petræ verbo, super quam se aedificaturum Ecclesiam suam Christus pollicetur, Petri potestatem intelligitis. Praeterea aedificare, nihil aliud quàm Ecclesiae libertatem in Petri dominatu collocare, & iugum quasi quoddam seruile illi imponere, esse vultis. Quae duo tela in nos ab hostili manu contorta, quàm infirma, & obtusa sint, paulopost ostendemus. Commentitia enim omnia, impudenterq; conficta, & fabricata, eorum argumenta sunt. Sed illud in primis admonendum est: potestatis aduersarios potissimum facere mentionem; vt hoc nomine, quod ipsi grauissimum, & odiosissimum esse putant, nostra omnia cum dicta, tum etiam facta, in summam inuidiam adducant. Quod ipsum apud homines syncerè, & rectè de rebus existimantes, eos doli, malitiaeq; conuincit, atq; condemnat. Verùm iam ad argumenta veniamus, quae veritate rei in medium producta, & tanquam in acie collocata, ipsa statim eneruata, & languida sua sponte concident. Ac primum omnium illud à nobis iactum, & positum sit fundamentum, in his Christi verbis. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Nos, idest Catholicos omnes, & Ecclesiam ipsam, per petram, Petrum ipsum intelligere; super quem, hoc est super cuius fidem, curam, diligentiam, solicitudinem, charitatem; adde etiam à Christo datam potestatem, non nos aedificamus; sed Christus ipse sua manu Ecclesiam suam exaedificat: dum pretiosos, & viuos, & electos lapides in vnum fidei, spei, & charitatis aedificium colligit, atq; coniungit: vt non vni Corinthiorum Ecclesiae, sed vniuersae, ac toto terrarum orbe diffusae, quam Catholicam appellamus, dictum putemus. *Dei agricultura estis: Dei aedificatio estis*. Hoc autem aedificium, atq; opus suum Christus architectus, & artifex, Petri gubernatione, & cura, tanquã firmissimae, & immobilis petrae fundamento, sustentari, & ab omni impendentis ruinae periculo sartum tectum seruari, atq; defendi voluit. Quòd si super Petrum aedificata est Ecclesia Christi; si eius curae, & administrationi commissa (quod inficiari nemo sanae mentis potest) sustinere autem Ecclesiam super se aedificatam, & curare sibi commissam sine summa

Petra.

Aedificare.

Potestatis nomẽ odiosum.

Ecclesia quomodo super petrã aedificata.

Ecclesia à Christo super Petrũ aedificata.

1. Cor. 3.

potestate, & sine eo imperio, quod Christi Vicarium decet, Petrus nullo pacto poterat: necessario certè sequitur, vt summa Petro sit à Christo data potestas, summumq; rerum omnium in Ecclesia super eum aedificata & arbitrium, & imperium. Alioquin oeconomia Christi irrita; promissio vana; verba inania fuissent: quod non solùm dicere, sed ne cogitare quidem viro Christiano fas est. In quo quidem haeretici rumpantur licèt; qui scelerum suorum conscientia oppressi, vt huius summae potestatis à Deo datae nomen audiunt, metu poenae, impietati debitae, exhorrescunt; pallent; cruciantur. Nihil enim est tam inimicum eorum genio, atque licenti quàm iustitia, quàm potestas, quàm magistratus: vt non mirum si summam hanc in Ecclesia potestatem odio habeant, & insectentur. At negant hanc esse Christi Ecclesiam, vtpote aduersus quam inferi portae aliquid possint. Quasi verò Africana nobis monstra sint imitanda. Donatum, & eius familiam dico: qui vt inani pietatis specie sua dogmata tueretur, affirmabat; ideo se ab omni aliorum Christianorum coetu discessisse, quòd vbi peccatum esset, ibi Ecclesia Catholica esse non posset. Non enim hac oratione, *Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam*, praedicit Christus, nulla in Ecclesia sua, dum peregrinatur in terris, futura esse peccata; quae quidem Ecclesia ex Christi ipsius institutione, & disciplina quotidie precatur. *Dimitte nobis debita nostra.* & (vt Augustinus haeresum omnium, praesertim Africanarum egregius expugnator docet) priusquam ad coelum vndique expleta, & perfecta peruenerit; nunquam est sine macula, & ruga aliqua futura; zizaniaq; frugibus admista semper est habitura. Verùm haec dicit Christus; ne Petrus audiēs; *Super te aedificabo Ecclesiam meam:* se tanto oneri regendae, & conseruandae Christi Ecclesiae ferendo imparem putaret; atq; ob id deterritus, animum despōderet: vt idem sit dixisse, *Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam*, ac si dixisset: Peccata, & haereses, & schismata, quae peccatis sunt multò deteriora, & mala omnia, quae patefactis inferorum portis in Ecclesiam hanc impetū facient, & irrumpent, eam non expugnabunt. Habet enim Ecclesia contra peccata, & scelera, Sacramentorum medicinam; poenitentibus quidem salutarem; obstinatis verò perniciosam. Contra haereses, gladium verbi, & Synodos in nomine Christi congregatas, in quarū medio est Christus. Contra schismata,

Potestas à Christo collata Petro.

Potestatis nomē haereticis odiosum.

Portae inferi an aduersus Ecclesiā praeualeant.

An Ecclesia sine macula, & ruga.

Epist. 50. & 56.

De verb. Apost. ser. 31.

Ecclesia à portis inferi non expugnanda.

& de-

& defectiones, potestatem vindicandi omnem inobedietiam· 2. Cor. 10.
Habet item summi architecti, & lapidis angularis patrocinium. Habet Spiritus sancti lumen, doctrinam, tutelam, defensionem. In hac autem interpretatione nobiscum faciunt antiqui Patres, quorũ omnis vita in sanctissimis laboribus est consumpta: Tertullianus, Cyprianus, Hylarius, Hieronymus, Augustinus, Leo, Gregorius, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius, Cyrillus. Testimonia quorum hoc loco recitare, nihil sanè opus est. Ea enim beatissimus Pater Ioannes Roffensis Cardinalis religiosè collegit: qui morte pro hac fide, & veritate, ardenti studio oppetita, sanguineq; profuso nostram aetatem glorioso, & memorabili posteris martyrio illustrauit. Sed quid opus est testibus in re tam aperta, & manifesta; quando Christus haec ipsa omnia se facturum non per Prophetas, aut Angelos suos; non per interpretes, aut nuncios; non per literas, aut aliud vllum significandae voluntatis suae genus: sed sua ipse voce, lingua, oratione praedixit? Audite igitur, audite verba Domini nostri Iesu Christi, vos, qui ab Ecclesia Catholica, & à Patrum vestrorum disciplina tam turpiter, & impiè desciuistis: neq; tam diu in vestram ipsi perniciem & surdi, & caeci esse velitis. Cùm igitur Petrus Andreae fratris ductu, ad Iesum, quem nunquam antea viderat, primùm venisset; intuitus eum Iesus: *Tu es Simon* (inquit) *filius Iona: tu vocaberis Cephas.* Cephas autem (auctore Ioanne) est Graecè *πέτρος*. Quae Graeca dictio, latinè petrã, & saxum omnibus significat. Qua quidem voce, & appellatione, cum eodem Simone alium longo post interuallo sermonem habens, hanc ipsam metaphoram petrae secutus, vsus est. *Tu es Petrus*, inquit. Ideoq; rectè intulit. *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*: vt hac breui oratione tria potissimùm sint, quae Christi mentem, atq; sententiam palam, & apertè demonstrent. Primum est, cognomentum ipsum, & nouum nomen Petri, Simoni inditum, quod petram sonat. Alterum est, quòd quam petram intelligit, quasi digito ostendens: *Super hanc* (inquit) *petram*, cum qua loquor; idest super teipsum ò Simon, quem petrae cognomento cohonestaui ad soliditatem, & firmitudinem tuam ostendendam. Tertium est, verbum, *aedificabo*: quod & metaphoram explet, & Christi consilium, atq; animum omnibus aperit, planeq; sub aspectum ponit. Iam verò quod sequitur, his, quae diximus, non solùm est consentaneum, atq; confor-

Ar. 25. *Io. 1.* *Cephas quid.* *Simoni nouum inditum nomẽ Petra.* *Aedificatio*

Tit.1. gulas Ecclesias presbyteros instituens; vel Tito, vt instituerет, mandans (erant enim Presbyteri Episcopi; idest, omnium quae ad religionem, & Dei cultum pertinent, inspectores, curatores, magistri) si Dei Ecclesia in religionis negotio, personarũ differentiam non admittit; si nihil habet persona ponderis, nihil momenti? Quorsum illud obsecro? quorsum? Presbyteris, qui benè praesunt, honorem duplicem habendum: illis praesertim, qui in verbo, & doctrina laborarẽt. Hoc enim verè, ac propriè est, Episcopum esse: earum rerum, quae ad religionem spectant, magistrum esse, & administratorem. Quare Paulus ad Hebraeos scribens: *Obedite* (inquit) *praepositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & nõ gementes*. Sed & illa, *Qui recipit vos, me recipit: qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit:* ad personarum differentiam, & ad summam diuinae legationis dignitatem referenda sunt. Quis enim non in his videat, ab ipso Iesu Christo Domino nostro personas Apostolorum secerni, deligi, in honore haberi, in excelso, & illustri dignitatis gradu collocari? vt grauissimè omnino peccare, supremoq; supplicio plecti debere censendum sit, omnes, qui Sacerdotibus, Praesbyteris, Episcopis, summisq; Pontificibus, Apostolorum, & Petri successoribus, non obediunt; non summos honores habent; non debitum planè studium, cultum, obseruantiam, & reuerentiã impertiunt. Ἐν τοῖς πολιτικοῖς igitur (vt dicitis) personae locus erit, & dignitatis. Quid ita? Ne ciuitatis ordo perturbetur: ne ciuilis vitae ratio confundatur, obedientia relinquatur, & abijciatur. O politicos magis, quàm pios homines, qui perturbationem, & confusionem è ciuitate quidem, & è Rep. tollunt; in Ecclesiam verò, & in Christianae religionis communionem inuehunt, excitant, important. An non si quisq; sibi de religione statuendi auctoritatem, & personam sumat; si quisq; sibi potestatem diuinitùs institutam arroget; omnis ab ea re, quam omnium maximam, & planè diuinam omnes homines semper putauerunt, à religione scilicet, omnis tolletur ordo, omnis aduersus illos reuerentia, quos vigilare, tanquam rationem pro animabus reddituros, Apostolus dixit? Quod ad ciuiles magistratus spectare nullo certè modò potest. Nisi enim in Ecclesia sint honoris gradus; nisi personae sint in his, quae ad religionem pertinent, aliae alijs superiores;

Margin notes: 1.Tim.5. (beside "Presbyteris, qui benè praesunt"); Heb.13. (beside "tis vestris"); Matth.10. Luc.10. (beside "me audit")

res, nisi potestates sint, summae, mediae, infimae, magna illic exoriatur confusio necesse est, magna conscientiarum perturbatio: qualem omnino vos hoc tempore peperistis, qui Patrum, & Ecclesiae Catholicae doctrina omni, & auctoritate spreta, & repudiata, vobis vnis Religionis illustrandae, diuini verbi explicandi, cōscientiae pacandae facultatem vendicastis. Vt expressum in vobis penè oculis videmus, diuinum illud Apostoli vaticinium. *Exurgent ex vobis ipsis viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Persuadere autem ea, quae voluistis hominibus vestris sua sponte licentiae, & voluptati deditis, haud admodum difficile fuit: duos praesertim aditus ad omnia scelera discipulis vestris aperientes, ex libro (opinor) Iudicum sumptos, & arreptos. Alterum, vt vnusquisq; quod sibi videtur rectum, illud faciat. Alterum, vt non sit rex in Israel. Nihil igitur mirum videri debet, si plurimi vobiscum facere videantur: qui cùm Asoti essent, aut esse cuperent, sese primùm oīum in disciplinam nobis tradidère.

Act. 20.

Iud. 21. & 22.

QVAESTIO TERTIADECIMA.

De eodem.

LOCVS IDEM.

Deus personam hominis non accipit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

MENDACES, & falsi apostoli Paulo obijciebant, cum aliorum Apostolorum, tum maximè Petri auctoritatem, atq; dignitatem: à quibus illum de Euangelij veritate dissentire criminabantur. At Paulus hanc criminationem multis modis depellebat: inter quos ille breuissimus, ac verissimus est, qui hac vna certa, stabiliq; sententia continetur. *Deus personam hominis non accipit.* Cui quidem sententiae ex priscis oraculis Dei decerptae, neq; respondere, neq; aduersus eam omnino hiscere audebant aduersarij: qui personarum existimatione, extingui, & opprimi posse veritatem arbitrabātur. Nos igitur à Paulo commoniti, cùm aut Pontificum, aut Caesarum

ſarum auctoritate, & ſplendidis illis caeterarum poteſtatum, & ordinum nominibus, ac titulis obruimur, & quaſi praeſtringimur; ad huius ſententiae veram, & breuem cõfugiamus defenſionem. *Deus perſonam hominis non accipit*. Ad cujus ſonum obmuteſcant aduerſarij, neceſſe eſt, niſi tam impudentes ſint, vt etiam diuinae voci, & veritati repugnare, atq; reſiſtere non vereantur.

R E F V T A T I O.

NEQVE, certè vos huius ſententiae vſurpatio quicquam iuuat; neq; mirifica iſta latebra, in quam vos conijcitis, occultat. Paulus enim (vt ipſemet in hac eadem Epiſtola apertè explicat) à Petro, caeteriſq; Apoſtolis de Euangelio, Euangelicaq; doctrina, & veritate ne leuiter quidem diſſidebat: quinimmo cum illis in omnibus mirificè congruebat. Statim enim poſt citatam hanc, de qua agimus, ſententiam: *Mihi (inquit) qui videbãtur eſſe aliquid, nihil contulerunt, ſed è contra cum vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Euangelium praeputij, ſicut & Petro circuncisionis, qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncisionis, operatus eſt & mihi inter gentes; cùm cognouiſſent gratiam, quae data eſt mihi: Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnae eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabae ſocietatis: vt nos in gentes, ipſi autem in circunciſionem: tantùm vt pauperum memores eſſemus, quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.* Ex quibus videre vel caeci poſſunt, vt de Euangelio cum caeteris Apoſtolis Paulus magnopere conſentiret. Prorſus enim in hanc ſententiam loquitur Paulus. Neq; à Petro, neq; ab alijs Apoſtolis, qui in euangelica doctrina ſummi eſſe videbantur, ego quidem quicquam accepi, aut didici: quin immo contra cùm ſublimes illae, & excelſae Euangelij columnae, Iacobus, Cephas, Ioannes, quorum maxima erat exiſtimatio, & auctoritas, cognouiſſent, non ſibi ſolùm; ſed & mihi, qui omnium hominum deſpicatiſſimus, & contemptiſſimus haberer, à Deo fuiſſe demonſtratam, atq; detectam Euangelij veritatem, atq; doctrinam; dextras & mihi, & Barnabae dederunt: ſocietatẽ Euangelij concordiſſimè in diuerſis orbis partibus praedicandi, nobiſcum ineuntes. Neq; tamen admirationem habere debet vllam, ſi & mihi homini olim à Ieſu Chriſto auerſiſſimo, & illis Chriſto amiciſſimis, idem Euangelium eſt traditum,

Gal. 2.

atq;

atq; commissum. *Deus enim personam hominis non accipit.* Sed à Paulo iam eam sententiam, quam audistis, locuto, nostra iam ad vos reuertatur oratio, qui ab Ecclesiae perpetuo, & incorrupto iudicio, atq; consensu, implacabili odio, dissidioq; discordatis. Quaenam est ista vestra impudentia, vt diuinum hoc oraculum vsurpare audeatis? Aliamne fortasse dicetis Ecclesiae vniuersae à primis vsque temporibus, atq; deinceps, alia vobis à Deo opt. max. nuper data fidei praecepta, aliamq; doctrinam è coelo vobis esse delapsam, & patefactam? Qui dicere hoc potestis, cum praeceptum illud non ignoretis, ab Ecclesia nullo plane modo esse discedendum: qui discesserit, eum perinde atq; ethnicum, & publicanum esse habendum? Sed ne hoc quidem dicere potestis: aliam Ecclesiae olim, aliã vobis nuper infusam esse doctrinam: cùm in vestris omnibus decretis toti sitis alieni: Hussitae scilicet, Pragitae, Vicleffitae; qui Patrum nostrorum memoria, legitimis Episcoporum Concilijs reiecti, explosiq; fuerunt. Iamq; desitum erat contra illos disputari, cum vos repente extitistis, & illorum haereses ab inferis excitastis. Neq; verò vos (vt dicitis) Pontificum, aut Caesarum summa potestas, & auctoritas opprimit; sed Dei aduersus Ecclesiam suam aeterna, & summa prouidẽtia; qui & Pontifices, & Caesares summo semper in honore, summoq; in totius orbis terrarum imperio esse voluit: vt haberet Ecclesia, tanquam duos gladios, qui sanctam eius doctrinam aduersus haereticos, & rerum nouarũ cupidos, amanter, pieq; tuerentur. Quare & Africae, & Asiae Episcopi, Romanorum Pontificum doctrinam, pietatem, summam potestatem, Caesarumq; & aliorum magistratuum fidem contra schismata, & haereses, cùm nullus esset suadendi locus, saepissimè implorabant. Saepiùs enim, quàm boni voluissent, exortae sunt haereses: quae nisi ab his, qui summo cum imperio, & potestate illis temporibus erant, & damnatae, & castigatae, & extinctae fuissent: de fide, & religione, & omni Rep. Christiana iam diu actum fuisset. Sed illud Innocentij clarissimi Pontificis, & sempiterna memoria digni, semper viguit, & Principum animos ad poenas de haereticis sumendas vehementer stimulauit. Si diu (inquit) fuerint haeretici in impunitate versati, necesse est multos in suae prauitatem mentis inducant, decipiantq; innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam non sequuntur. Putabunt enim eos

Deut. 10.

Matt. 18.

Aug. Epist. 48. 50. 90. 91. 92.

eos rectè sentire, quos adhuc viderint in Ecclesia perdurare. Quod vtinam aetate nostra obsolescere non vidissemus.

QVAESTIO QVARTADECIMA.

De Petri summa potestate.

LOCVS QVARTVS DECIMVS.

Creditum est mihi Euangelium praeputij, sicut Petro circuncisionis.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VIS audeat dicere, non ex hoc loco liquere Apostolos omnes fuisse inter se pares, & aequales? omnes enim à Christo Iesu aequaliter vocati fuerant: omnes Euangelium idem acceperunt, mandatum idem: omnes ἰσοδύναμοι. Petrus autem quonam modo maior caeteris vnquam fuit? qua lege à Christo lata, quo mandato, quo iussu, quo deniq; priuilegio factus est Apostolorũ princeps? In quo quidem constituendo principatu, quibus non vtuntur fallacijs nostri aduersarij? quae non comminiscuntur opinionum commenta? quibus abstinent praestigijs? ita vt etiam pretiosissima Christi verba fallaciter adulterent: illa scilicet. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, & quae sequuntur. (Matt. 16.) Insigni profectò in Deum contumelia per petram potestatem Petri intelligi volentes: super quam aedificare se Ecclesiam aiunt, dum eam Romani Pont. potestati, atq; imperio subijciunt. Alba nè putant nos, & atra non posse discernere; quos sciunt non ignorare eorum vitia, scelera, impietates, qui hunc locum, & dominatum tenuerunt, quem à Petri potestate deriuant? At in Ecclesiam super hanc petram à Christo aedificatam, Christus ipse dixit, nihil posse portas inferorum. (Io. vlt.) *Et portae* (inquit) *inferi non praeualebunt aduersus eam.* Illud verò. *Pasce oues meas*: qua temeritate deprauant? omnes enim totius orbis terrarum oues tribus ijs verbis Petro commissas fuisse volunt: & verbum, *pascere*, hac interpre-

tatione,

tatione; quasi veneno spargunt, & inficiunt: vt pro eo quod est, praesidere, & principem principum esse intelligi velint: cùm *pascere*, non dominatum, sed seruitutem sonet. De amore verò, quem Christus ante hoc verbũ exigit à Petro, mirum est apud illos omnino silentium: nec vident in sua monarchia nec amorem esse, nec vllam pascendi curam; sed impotētiam, libidinem, auaritiam. Non enim oues tondere; sed deglubere: nõ moderatè imperare; sed tyrannico dominatu populos premere eorum Pontifices solent. Quid facerent; quàm magnificè se iactarent, si vel ementiendo quidem ostendere possent, Apostolorum quenquam à Petro legationem aliquam accepisse: quemadmodum re verà nos ex sacris literis ostēdimus, cùm ab Apostolis, qui erant Ierosolymis, in Samariam legatum fuisse? id, quod in eum, qui principem in terris vice Dei teneret locum, cadere nullo modo poterat; sententia à Domino nostro Iesu Christo lata: non esse Apostolum maiorem eo, qui misit illum. Quid? si probare possent, Petrum compulisse alios, criminis alicuius causam dicere; vt ipse coactus est se de religione purgare, & rationem reddere, cur ad viros praeputium habentes intrasset, & cum illis manducasset? Sed ad haec vt lubet, respondeant: huius certè ratiunculae exitum inuenire nunquam poterit tota illa Romani Pontificis manus, veluti plagis irretita, & nouo timore perturbata. Si principatus iste fuisset à Deo, & iure (vt dicitur) diuino institutus: fuisset aliquando profectò omnibus suis numeris, & partibus absolutus, atque perfectus: cùm iota vnum, aut vnus apex ex verbis Dei praeteriri non possit, quin omnia perficiantur. At verò neq; Petrus vnquam, neq; qui sese Petri fecère successores, omnibus Ecclesijs imperarunt; Graeciae, Indiae, Persidis, Africae, Aegypti. Quod etiam illi ipsi, qui summam hanc sibi vendicant potestatem, magno cum animi dolore, & moerore fatentur, tot studijs, & artibus in eam rem frustra consumptis.

Act. 8.

Io. 13.

Act. 21.

REFVTATIO.

Breuiorem me, quàm par erat, & res ipsa requireret, in hac refutatione fortasse facient, multorum insignium virorum pro Catholica Ecclesia suscepti labores: qui de Petri principatu accuratè scripsère: omnes omnium haereticorum calumnias certissimis argumē-

tis,

tis, diuinis testimonijs, ac sanctorum Patrum vnâ mēte, vnaq; voce refutantes. In quibus maximè enituère, Thomas de Vio, Cardinalis Caietanus, ingenio, doctrina, pietate clarissimus: ac Reginaldus Polus, Cardinalis & ipse Britannus. Cuius non testimonium modò, aut oratio, sed vnus certè nutus fidem facere potest: ea est viri summa integritas, eruditio, religio. Scripsit is pro Ecclesiasticae vnitatis defensione libros quatuor ad Henricum octauum Britannorum regem, ab haereticis in multos, & turbulentos errores miserè pertractum. In quibus hoc ipsum, de quo nunc agimus, latè, luculenterq; tractauit: cùm ille quasi furijs agitatus, & pontificiam sibi potestatem arrogasset, augustamq; Vicarij Iesu Christi maiestatem multis modis sceleratè, & impiè violasset. Hos libros si quis attento animo legerit, omnem de ista controuersia scrupulum deponet. Sed nos ad haec tantùm, quae paulò ante recitauimus à nouis istis hominibus renouata, veterum haereticorum sophismata, veriùs, quàm argumenta dicamus.

Vio Card. Caietanus. Reginaldus Card. Polus.

Petri principatus vnde.

Petri principatus non ab illa selectione proficiscitur, qua vt Christi discipulus, & Apostolus esset, vocatus est: eam enim communem illi cum caeteris Apostolis fuisse nō repugnamus: quanquam (vt paulò post dicemus) tunc quoq; aliquid acciderit, quod futuram eius excellentiam, atq; praestātiam praemonstraret. Neq; etiam ab illa legatione ortum habuit, qua omnes simul diuinitùs edocti, ad idem Euangelium vbicunq; terrarum, & gentium praedicandum missi fuère: in quo nullum habuit Petrus locum eminentiorem. Alia porrò capita sunt, & ea quidem maximè manifesta, testata, & illustria: quae prae caeteris Petrum in amplissimo dignitatis gradu, & in totius Ecclesiae custodia, tanquam in omnium terrarum arce, & specula, Dei, & Domini nostri Iesu Christi iudicio collocarūt.

Matt. 4. Io. 1. Matt. 10. Mar. vlt.

Principatus Petri capita praecipua.

1 Ea sunt, quòd non super Apostolos omnes, sed super vnum Petrum admirabili quidem, prolixoq; apparatu Ecclesiam suam aedificaturum se Christus ipse recepit: quam euertere nullae inferorum machinae, nullae fraudes, nullae fallaciae possent.
2 Quòd nō omnibus Apostolis, sed vni Petro daturum se claues
3 regni coelestis receperit. Quòd quam omnibus committere constituerat ligandi, soluendiq; potestatem, eam seorsum, ac separatim Petro primùm pollicitus sit: tanquam ad eum ea potestas, praecipua quadam, ac singulari ratione esset peruentura.
4 Quòd deniq; vni Petro de suis pascendis ouibus mādarit.

De quibus omnibus singulatim est disserendum: vt omnes, ad quorum manus hi nostri labores peruenerint (si modò legentur) intelligant, quàm vana, quàm leuia, quàm stulta sint argumenta, quae tanquam ab inferis aduersus Petrum, & eius Ecclesiam excitarunt haeretici. Malè (aiunt) petræ verbo, super quam se aedificaturum Ecclesiam suam Christus pollicetur, Petri potestatem intelligitis. Praeterea aedificare, nihil aliud quàm Ecclesiae libertatem in Petri dominatu collocare, & iugum quasi quoddam seruile illi imponere, esse vultis. Quae duo tela in nos ab hostili manu contorta, quàm infirma, & obtusa sint, paulopòst ostendemus. Commentitia enim omnia, impudenterq; conficta, & fabricata, eorum argumenta sunt. Sed illud in primis admonendum est: potestatis aduersarios potissimum facere mentionem; vt hoc nomine, quod ipsi grauissimum, & odiosissimum esse putant, nostra omnia cum dicta, tum etiam facta, in summam inuidiam adducant. Quod ipsum apud homines syncerè, & rectè de rebus existimantes, eos doli, malitiaeq; conuincit, atq; condemnat. Verùm iam ad argumenta veniamus, quae veritate rei in medium producta, & tanquam in acie collocata, ipsa statim eneruata, & languida sua sponte concident. Ac primum omnium illud à nobis iactum, & positum sit fundamentum, in his Christi verbis. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Nos, idest Catholicos omnes, & Ecclesiam ipsam, per petram, Petrum ipsum intelligere; super quem, hoc est super cuius fidem, curam, diligentiam, solicitudinem, charitatem; adde etiam à Christo datam potestatem, non nos aedificamus; sed Christus ipse sua manu Ecclesiam suam exaedificat: dum pretiosos, & viuos, & electos lapides in vnum fidei, spei, & charitatis aedificium colligit, atq; coniungit: vt non vni Corinthiorum Ecclesiae, sed vniuersae, ac toto terrarum orbe diffusae, quam Catholicam appellamus, dictum putemus. *Dei agricultura estis: Dei aedificatio estis.* Hoc autem aedificium, atq; opus suum Christus architectus, & artifex, Petri gubernatione, & cura, tanquã firmissimae, & immobilis petrae fundamento, sustentari, & ab omni impendentis ruinae periculo sartum tectum seruari, atq; defendi voluit. Quòd si super Petrum aedificata est Ecclesia Christi; si eius curae, & administrationi commissa (quod inficiari nemo sanae mentis potest) sustinere autem Ecclesiam super se aedificatam, & curare sibi commissam sine summa

Petra.

Aedificare.

Potestatis nomẽ odiosum.

Ecclesia quomodo super petrã aedificata.

Ecclesia à Christo super Petrũ aedificata.

1.Cor.3.

Ddd pote-

potestate, & sine eo imperio, quod Christi Vicarium decet, Petrus nullo pacto poterat: necessario certè sequitur, vt summa Petro sit à Christo data potestas, summumq; rerum omnium in Ecclesia super eum aedificata & arbitrium, & imperium. Alioquin oeconomia Christi irrita; promissio vana: verba inania fuissent: quod non solùm dicere, sed ne cogitare quidem viro Christiano fas est. In quo quidem haeretici rumpantur licèt; qui scelerum suorum conscientia oppressi, vt huius summae potestatis à Deo datae nomen audiunt, metu poenae, impietati debitae, exhorrescunt; pallent; cruciantur. Nihil enim est tam inimicum eorum genio, atque licentiae, quàm iustitia, quàm potestas, quàm magistratus: vt non sit mirum si summam hanc in Ecclesia potestatem odio habeant, & insectentur. At negant hanc esse Christi Ecclesiam, vtpote aduersus quam inferi portae aliquid possint. Quasi verò Africana nobis monstra sint imitanda. Donatum, & eius familiam dico: qui vt inani pietatis specie sua dogmata tueretur, affirmabat, ideo se ab omni aliorum Christianorum coetu discessisse, quòd vbi peccatum esset, ibi Ecclesia Catholica esse non posset. Non enim hac oratione, *Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam*, praedicit Christus, nulla in Ecclesia sua, dum peregrinatur in terris, futura esse peccata; quae quidem Ecclesia ex Christi ipsius institutione, & disciplina quotidie precatur. *Dimitte nobis debita nostra.* & (vt Augustinus haeresum omnium, praesertim Africanarum egregius expugnator docet) priusquam ad coelum vndique expleta, & perfecta peruenerit; nunquam est sine macula, & ruga aliqua futura; zizaniaq; frugibus admista semper est habitura. Verùm haec dicit Christus, ne Petrus audiés; *Super te aedificabo Ecclesiam meam:* se tanto oneri regendae, & conseruandae Christi Ecclesiae ferendo imparem putaret; atq; ob id deterritus, animum despôderet: vt idem sit dixisse, *Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam*, ac si dixisset: Peccata, & haereses, & schismata, quae peccatis sunt multò deteriora, & mala omnia, quae patefactis inferorum portis in Ecclesiam hanc impetũ facient, & irrumpent, eam non expugnabunt. Habet enim Ecclesia contra peccata, & scelera, Sacramentorum medicinam; poenitentibus quidem salutarem; obstinatis verò perniciosam. Contra haereses, gladium verbi, & Synodos in nomine Christi congregatas, in quarũ medio est Christus. Contra schismata, & de-

Potestas à Christo collata Petro.

Potestatis nomẽ haereticis odiosum.

Portae inferi an aduersus Ecclesiã praeualeant.

An Ecclesia sine macula, & ruga.

Epist. 50. & 56. De verb. Apost. ser. 31.

Ecclesia à portis inferi non expugnanda.

& defectiones, potestatem vindicandi omnem inobedietiam. *2. Cor. 10.*
Habet item summi architecti, & lapidis angularis patrocinium. Habet Spiritussancti lumen, doctrinam, tutelam, defensionem. In hac autem interpretatione nobiscum faciunt antiqui Patres, quorũ omnis vita in sanctissimis laboribus est consumpta: Tertullianus, Cyprianus, Hylarius, Hieronymus, Augustinus, Leo, Gregorius, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius, Cyrillus. Testimonia quorum hoc loco recitare, nihil sanè opus est. Ea enim beatissimus Pater Ioannes Roffensis Cardinalis religiosè collegit: qui morte pro hac fide, & veritate, ardenti studio oppetita, sanguineq; profuso nostram aetatem glorioso, & memorabili posteris martyrio illustrauit. Sed quid opus est testibus in re tam aperta, & manifesta; quando Christus haec ipsa omnia se facturum non per Prophetas, aut Angelos suos; non per interpretes, aut nuncios; non per literas, aut aliud vllum significandae voluntatis suae genus: sed sua ipse voce, lingua, oratione praedixit? Audite igitur, audite verba Domini nostri Iesu Christi, vos, qui ab Ecclesia Catholica, & à Patrum vestrorum disciplina tam turpiter, & impiè desciuistis: neq; tam diu in vestram ipsi perniciem & surdi, & caeci esse velitis. Cùm igitur Petrus Andreae fratris ductu, ad Iesum, quem nunquam antea viderat, primùm venisset; intuitus eum Iesus: *Tu es Simon* (inquit) *filius Iona: tu vocaberis Cephas.* Cephas autem (auctore Ioanne) est Graecè πέτρος. Quae Graeca dictio, latinè petrã, & saxum omnibus significat. Qua quidem voce, & appellatione, cum eodem Simone alium longo post interuallo sermonem habens, hanc ipsam metaphoram petrae secutus, vsus est. *Tu es Petrus,* inquit. Ideoq; rectè intulit. *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:* vt hac breui oratione tria potissimùm sint, quae Christi mentem, atq; sententiam palam, & apertè demonstrent. Primum est, cognomentum ipsum, & nouum nomen Petri, Simoni inditum, quod petram sonat. Alterum est, quòd quam petram intelligit, quasi digito ostendens: *Super hanc* (inquit) *petram,* cum qua loquor; idest super teipsum ò Simon, quem petrae cognomento cohonestaui ad soliditatem, & firmitudinem tuam ostendendam. Tertium est, verbum, *aedificabo:* quod & metaphoram explet, & Christi consilium, atq; animum omnibus aperit, planeq; sub aspectum ponit. Iam verò quod sequitur, his, quae diximus, non solùm est consentaneum, atq; confor-

Ar. 25.

Io. 1.

Cephas quid.

Simoni nouum inditum nomẽ. Petra.

Aedificatio

Tetrarchis, omnibus gentibus, ac nationibus, quae ad regnũ caelorum adipiſcendum facere videantur, praeſcribunt: hae terrarum orbi, quatenus ad religionem ſpectat, leges imponunt: hae deniq; quibus rationibus mortuorum animis ſuffragemur, nobis oſtendunt: qui poſteaquam corpore exceſſerũt, poenas luere ſuis peccatis debitas: vt ritè in eo igne purgati in coelum, quaſi in proprium locum, & domicilium peruenire poſſint; & ab antiquiſſimis Theologis tradũtur (quam etiam rem πύρωσιν & ἐκπύρωσιν Graeci, Latini Purgatorium appellarunt) & ab Eccleſia Catholica ab incunabulis ſuis ad haec tẽpora ſemper, & ſine dubio crediti ſunt. Sed erit alius hac de re differendi locus. Nunc quod inſtat, agamus: & quantò maior ſit clauium poteſtas, ligandi, ſoluendiq; poteſtate, demonſtremus. Cùm autem quid claues attulerint Petro, ac cæteris Chriſti Vicarijs, ſatis iam dixiſſe videamur; reſtat, vt de ligandi, ſoluendiq; poteſtate omnibus Apoſtolis attributa, pauca quaedam, & quantum locus hic poſtulare videatur, adſcribamus. Soluendi igitur, atque ligandi poteſtas, vt inter hanc, & illam quantũ interſit, intelligatur, ea eſt, quae cùm omnibus Apoſtolis communiter, ac promiſcuè à Chriſto data ſit, ad omnes Sacerdotes pertinet, & in omnes Sacerdotes ab Apoſtolis eſt propagata. Hac poteſtate ligandi, atq; ſoluendi, Sacerdotes omnibus Chriſtianis hominibus, quos peccaſſe poenitet (tanta vis eſt poenitendi) peccata condonant: ſumpta tamen à poenitentibus aliqua poena, atq; ſupplicio. Hac poteſtate pro ſcelerum magnitudine in peccantes animaduertunt. Hac non ritè reſipiſcentes ligantur, dum peccatis irretitos dimittunt. Hac alios ab Eccleſia cum ſeueritate, & iuſta indignatione, atq; execratione ſecludunt. Hac alios humiliter, atq; demiſsè ſeſe ad pedes Eccleſiae abijcientes, benignè ſuſcipiunt. Hac poteſtate rebus quibuſdam, ſtatutis temporibus, Chriſtianis hominibus interdicunt. Hac rebus alijs, vt liberè quiſque, & ſemper vtantur, fruaturquè, permittunt. Quòd ſiqui fortaſsè quaerant; quid de hac ligandi, ſoluendiq; poteſtate, quam haud ita multò poſt ad omnes aequè delaturus erat Apoſtolos, cum Petro ſeparatim agere opus fuit? An aliud eſt, quod hic Petro tribuitur; aliud, quod paulò poſt omnibus Apoſtolis impartitur? At verba planè eadem ſunt, vt ad diuerſas trahi ſignificationes nullo pacto queant. Vna enim, & eadem ſubeſt omnino ſententia. An verò quae ad vnũ

Poteſtas ſoluendi, et ligãdi quae

Petrum

Petrum deferuntur, tanquam ad omnes delata sint, accipienda sunt? quòd Petrus non principatum, sed personam aliorum omnium gereret. Praeterea qui fit, vt de hac ligandi, atque soluendi potestate, & cum Petro seorsum, & cum alijs promiscuè agat, & loquatur: reliqua vni Petro committat, & mandet, praeterea nemini? Neminem enim praeter Simonem Petri cognomento, aut petrae appellatione decorauit: nemini de victoria aduersus inferos aut praedixit vnquam, aut vllam spem omnino dedit: cum nemine de clauibus regni coelestis egit: cum nemine locutus est; nemini promisit. Quibus ita quaerentibus nos hoc ferè modo respondere solemus: Summum Ecclesiae fabricatorem, & architectum Christum haec omnia à vobis nuper enumerata, & in quaestionem vocata, vnius Petri propria esse voluisse: ligandi verò, & soluendi potestatem (quibus vocibus, quae subiecta vis esset, supra iam satis explicatum est) ita omnibus Apostolis communem esse statuisse, vt in ea etiam ipsa penes Petrum tamen esset principatus. Qui hanc suae potestatis, seu mauis procurationis partem ad salutarem Ecclesiae gubernationem alijs impertiret, acremq; curam, & diligentiam adhiberet: vt eam omnes purè, castè, & diuini potius quàm humani spiritus consilio administraret. Qui siquid corruptum esset in Ecclesia, aut temporis longinquitate, aut hominum negligentia, ipse sanaret: si quae vnius, & alterius peccato, longeq; deinceps consuetudinis corruptela in abusum delapsa, & deprauata essent; ipse corrigeret: dissolutam viuendi licentiam, & immoderatam libertatem reprimeret: cupiditates non leuiter quidem circunciderret, sed radicitùs euelleret: Ecclesiae disciplinam labefactatã expurgaret; vacillantem stabiliret; violatam vindicaret. Quod ipsum iam tum ab orientis Ecclesiae principio Petrum fecisse legitur aduersus Ananiam, & Sapphiram, qui Spiritusancto mentiri non dubitarant: & in Simonem magum, qui donum Dei pecunia comparari posse existimarat. Quae quidem animaduersiones, & poenae de impijs sumptae, Apostolorum coetu astante, & vniuersa Ecclesia vim, & virtutem Petri admirante, ac trepidante, summam eius in Ecclesia potestatem facilè ostendunt. Patet igitur omnes Christianos homines hanc Petri potestatem, & Pontificis max. excellentiam oportere admirari, suspicere, venerari, timere, colere, obseruare; si in Christi grege esse cupiunt: si Ecclesiae membra esse

Petri principatus in potestate ligandi, & soluendi.

Petri potestas initio Ecclesiae declarata. Act. 5. et 8.

esse volunt: si formidolosum anathematis nomen horrescunt, vt sanae mentis homines horrescere par est. Contrà verò, qui summae potestatis huius mandata spernunt; disciplinam aspernantur; obedientiam abijciunt: neque in grege Christi, neq; membra Ecclesiae, neq; planè Christianos esse, appellariuè debere manifestum est: anathemata enim sunt, nullaq; ratione pertinent ad Ecclesiam in Petro fundatam, & exaedificatam à Christo; & Christi voluntate, ac iussu à Petro sustentatam, & administratam, successoribusq; per manus administrandam, atque regendam traditam. Extra quam, qui sunt (qui nimium multi sunt) hi miseri neq; de portis inferni vnquam triumphare se posse sperent: & desperatis iam planè rebus coelum semper occlusum, quod nemo reserare possit, habituros esse, & in perpetuis vinculis sese futuros esse sciant: nisi ad Petrum, & ad Christi Ecclesiã quasi postliminio reuertantur. Soluendi enim potestatem communicare cum alijs solus Petrus potest: vt iure, meritoq; Pater Hylarius vir sanctissimus Petri potestatem his verbis admiretur. *O beatus coeli ianitor, cuius arbitrio claues aeterni aditus traduntur: cuius terrestre iudiciũ praeiudicata auctoritas sit in coelo: vt quae in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in coelo.* Iam verò nõ minore profectò culpa, & fraude in ea quoq; sententia versantur, qua Christus omnem gregem suum amori, fideiq; Petri commendauit. *PASCE* (inquit Christus) *OVES MEAS*. In qua isti, vt imperitae multitudini oculos perstringant, eamq; nobis infensam, & inimicam reddant; pascendi verbum, à seruitute, & famulatu (quid enim aliud ea vox significare potest? inquiunt) ad imperium, & dominatum à nobis esse deflexum fingunt. Et vt crimen crimine cumulare videantur, illud etiam obijcere nõ verentur: de charitate erga oues ipsas, & gregẽ nobis à Christo commissum, quam à Petro iterata saepiùs interrogatione videamus exigi tantopere, atq; requiri, nihil nos (vt ipsi criminantur) neq; praestare, neq; omnino loqui. Ineptos dicã, & irridendos, an miseros, & miserandos homines istos? qui charitate vsq; adeo sunt inflammati, vt non feruentes, sed furentes praecipiti amentia ferantur. De charitate loqui audẽt, qui toti in vna fide, haerentes, nihil ad salutem charitati tribuunt. Sed quaenam est ista fides, obsecro, in qua omnia ponunt? Audi lector, & aequo animo si potes, fer, & rei, & hominum

In Matt.

Pascere.

Charitas erga oues.

Fides haereticorum. minum indignitatem. Neq; enim istorum fides ea est, quam Paulus fictam appellat: neq; rursus ea, quā Iacobus mortuam vocat. *1.Tim.1.* Siquidem ficta fides ad eos pertinet, qui ad tēpus credunt, at in tempore tentationis recedunt. *Iac.2.* Mortua verò, etsi cum bonis operibus non sit coniuncta; at fides est; at credit; *Ber. ep.42.* at hominem saltem ab Ecclesia Christi repelli, aut à sagena missa in mare, in qua genus omne piscium congregatur, excludi non sinit. Fides autem, quam isti sibi ipsi animi impotentia, atq; furore, mentisq; caecitate finxerunt, prorsus inanissima res est, si modò res est, quae non est, quae nihil planè est, & pro nihilo ducenda: qua de re saepe erit in his quaestionibus agendi locus. In ea nanq; definienda, sunt adeo varij, & inconstantes, vt Protheum citiùs, quàm istorum de fide sententiam benè cognitam, & firmè conceptam, animo comprehendas. At verò qua impudentia, & temeritate, charitatis, & Christi ouium patrocinium suscepisse videri volūt? cùm tamen ipsi non solùm fraude, ac dolo; sed etiam vi adhibita, à caulis, & pastorum stabulis abductas, lupis, & immanibus feris dilaniandas impij, & sacrilegi obiecerint. Neque enim caeci vident, quàm à tota eorum oratione, in qua quicquid est, falsum, & confictum est, vitae ratio diffideat, atque discordet; & quàm à factis dicta refellantur. Charitatem à nobis requirere non desinunt, qui sanctissima, & augustissima templa, sacras aedes, sacerdotes, Ecclesiae leges, instituta, ritus, violarunt: vota Deo facta solui nefas esse duxerunt: sacra deniq; omnia profana fecerunt. Post tot scelesta, & nefaria facinora, ita flagitiosi homines seuerè loquuntur, vt Petros, aut Paulos loqui putes. Sed haec nihil sanè ad rem. Redeamus igitur ad id, quod agebamus; & veritatem, quantùm in nobis est, incolumem ab eorū telis, insidijsq; seruemus.

Pascere quid. Pascere (aiunt) seruitutem sonat: esto; & eam quidem periculosam, ac duram. Quid tum? Petrus igitur seruus, non princeps (vt vos dicitis) aut dominus. Si seruus; cuiusnam seruus? ouium nè, an Christi, à quo sunt oues illi commissae? Si Christi; hoc ipsum est, quod quaerebamus; quod volumus; quod fatemur. Si ouium; pastoralis igitur baculus frustra defertur, quo errantes oues reducantur; vagae, atque dispersae congregentur; famelicae, ac sitibundae à pestilentibus & aquis, & agris arceantur; ab omni lapsu contineantur; in ouilia compellantur. Sed quis est tam naturae rerum ignarus, qui nesciat

sciat pastoris officium, ac munus; neq; merum imperium, neq; meram esse seruitutem? temperatum enim ex vtrisque, atq; commixtum est: vt quandoq; seruiat, quandoq; imperet: & alias habeat seruitutis; alias dominatus, & imperij conditiones: idq; si ad oués comparetur: quarum alijs deseruire pastorem, alijs imperare, pro re, pro tempore, pro necessitate videmus: ita vt omnibus, & vniuersis ouibus & famulari pariter, & dominari pastorem rectè dicamus. Quòd si ad Christum fiat comparatio; tum eum quidem, Christi seruum, & seruire semper, & vbique, dicere debemus: dominari verò aut imperare nunquam. Qui enim homo Deo dominetur? mortalis immortali? imbecillus omnipotenti? Cùm igitur pastoris officium ex seruitute, & imperio commixtum sit; ideo fit, vt munus hoc interdum seruitutem, interdum imperium esse iure dicamus. Et seruitutem quidem; quia non ad suas, sed ad ouium commoditates, vtilitatesq; respicere pastor semper debet. Imperium; quia viuendi praecepta dare; viasq;, quae ad salutem ferant, commostrare pastor pro suo iure potest. Seruitutem: quia nunquam illi deserendae sunt oues, quarum gratia omnes aspernandae sunt voluptates, pericula omnia subeunda. Imperium: quia si quae oues obedientiã abijciant, & imperata facere detrectent, supplicio, & vinculis coercendi ius, & potestatem habet. Seruitutem: quia haec administratio cum plena laboribus, atq; periculis est; tum incredibilem requirit patientiam. Imperium deniq;: quòd de omnibus, quae ad oues spectant, cognoscere, statuere, iudicare, huius muneris, & officij maximè proprium, & perenne est. Quare bonus ille pastor, quem pastorũ principem Petrus appellat, vtrunq; de se dixit: modò ministrum, modò dominum sese vocans. *Ego (inquit) in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Et, *Vos vocastis me Magister, & Domine: & benè dicitis: sum etenim.* Sed iam ad ea Christi verba reuertamur, de quibus cùm disputare coepissemus, ad haec tractanda non sponte delati sumus, sed res ipsa nos vi sua pertraxerat. *Pasce oues meas*, inquit. Quibus sanè verbis cum omnia, quae Petro ante promiserat, reipsa praestat; tum ea, quae paulò obscuriùs dixisse videri poterat, cùm haec ipsa polliceretur, propiore vtens translatione, explanat apertiùs. Ac primùm quidem, quòd Petrus addubitare fortasse potuisset, illud erat: quaenam esset ista Christi Ecclesia, de qua audierat.

Pastoris officiũ ex seruitute, & imperio mistum.

Pascere seruire est, & imperare.

Christus Minister, & Dominus.

Ecclesia Christi quae? Io. vlt. Super te aedificabo Ecclesiam meã. Est igitur Ecclesia Christi (neque enim aut apertius dici, aut explanatius declarari potuit) & ouium, & agnorum Christi grex. De agnis enim bis. *Pasce agnos meos*, dixit. de ouibus semel; *Pasce oues meas*. Quae definitio si à translatione, atque metaphora ouium ad proprium, & expressum dicendi modum traducatur; quid aliud erit Ecclesia Christi, quàm coetus, & congregatio tam eorum hominum, qui lacte indigent, quàm eorum, quibus solidiore pastu opus est? *Oues, & agni. Lac, & cibus solidus.* Et vt etiam lactis, & cibi firmioris translata verba, in propria, & sua conuertantur; eorum hominum intelligas, quibus ad Christianè viuendum, aut mollis quaedam, & simplex doctrina sufficiat, quae vel in ipsis primis rudimentis religionis, fideiq; consistat: aut altior, & maior eruditio, ac disciplina necessaria sit, vt communicari cum alijs, atq; transfundi sine periculo possit. Praeclarè autem omnino consentiunt & Christianos homines tum oues, tum agnos appellari, & Christum ipsum, tanquã ouem ad occisionem ductum fuisse; & sicut agnum coram tondente se, obmutuisse: vt etiam illud ex his intelligi oporteat; eos ad Ecclesiam Christi re vera pertinere, qui vitam illius, & mores imitari, & mandata seruare conantur. Non enim est, qui illa non norit. *Christiani oues, & agni, sicut & Christus. Isa. 43. Io. 2.* *Qui dicit, se nosse Christum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Et qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

Alterum autem quod inijcere Petro scrupulum, & dubitationem posset, illud erat. Quonam modo sibi totius esset Ecclesiae, tantiq; aedificij onus tam graue sustinendum. Hanc dubitationem illud vnum Christi verbum funditùs tollit. *Pasce*, inquit. *Pascere quid.* Cuius verbi vis, atque virtus est adeo aperta, vt nulla sit acies humani ingenij tam obtusa, quae non videat, quid Christus hac voce dicere voluerit. Interpretandi enim ratio postulat, vt naturam rerum, de quibus est sermo, maximè sequamur. Siue igitur agni lacte nutriantur, siue teneris pascantur herbis; tenui certè, ac delicato cibo saturandi sunt. Quisquis igitur ò Petre (inquit Christus) cibus agnis tibi videbitur adhibendus; mansum eum, & obtritum fac, vt illis in os inseras, quò facilè digeri, & per venas in omne corpus trãsmitti nutrimentum possit. Aliter enim breui demortuos potiùs quàm viuos recensebis agnos. Oues verò itidem solidiore pastu, ac cibo ò Petre; vtputa vitae, & intellectus pane, saluta-

lutarisq; sapientiae liquore, fac, vt tibi pascendas, atq; confirmandas putes. Ita enim tua pastione recreatae, & meliores, & grădiores foetus edent; lanas molliores, caeterosq; fructus vberiores ferent. Ex quo etiam illud apparet: pastoris officium, ac munus, quo Christus ipse fungebatur, ad Petrum eo verbo fuisse translatum. Meos (inquit) agnos, & meas oues, quas egomet adhuc paui; tu deinceps pasce ò Petre. Erat autem Christus pastor ille, de quo sic olim vaticinatus fuerat Isaias. *Sicut pastor, gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit: foetas ipse portabit:* Vt non iam posset Petrus, cur & promissae, & traditae sibi claues essent regni coelorum; curq; ligandi, soluendiq; potestas permissa, non intelligere. Claues etenim ideo sibi datas intelligebat: vt cùm & aperiendi, & claudendi coeli sese potestatem habere cognosceret, ita Christi gregem priùs erudiret; ita coeli viam illi muniret, vt certam etiam spem ostenderet, eas oues, quae suis praeceptis obtemperarent, in coeli sedibus, atq; mansionibus sine dubio cum dijs esse tădem habitaturas: quarum ipse claues in manibus haberet. Itaq; claues, & pastorem officij admonebant sui, vt ad id semper oculos, & suas omnes curas, cogitationesq; conuerteret: & oues in itinere laborantes certa quasi spe beatissimae quietis ad properandŭ inflammabant. Ligandi verò, soluendiq; potestas Petrum omnino animum ab ea cogitatione nunquam abducere permittebat: vt Christianis hominibus in huius miserrimae vitae spatio, atq; curriculo peregrinantibus, quae non parum multa accidunt; progrediendi impedimenta, & moras, quasi vincula solueret: illud praesertim anhelantibus, vt tarditatis, & errorum poenitentes rectum in coelum cursum tenerent: ignauos autem, suiq; oblitos, & ita voluptatibus huius vitae irretitos, vt pertinaces ab ijs retibus liberari planè nolint; magis etiam, ac magis scelerum, & maleficiorum laqueis obstrictos, ita sua sententia, & seueritate deuinciret, vt eos sempiternae, grauissimaeq; apud inferos poenae manerent. Hunc habent Christi verba sensum; & ita semper Ecclesia Catholica firmissimè asseuerauit, vt necesse sit aliter opinantes, in varios, atq; multiplices rapi errores. Quem sensum, & explicădi modum, qui sequentur, ij nihil repugnans, nihil contrarium, aut absurdum inuenient; sed omnia inter se congruentia, omnia consequentia; mirabiliterq; coniuncta; & extre-

Christi officium ad Petrum trăslatum.

Isa. 40.

Claues Petro cur datae.

Ligandi, et soluĕdi potestas cur data.

ma primis; prima extremis; media vtrisq; conuenire, sibiq; constare videbunt. Quae verò cum de Samaritana Petri legatione, tum de purgatione violatae religionis Iudaicae aduersus Petrum, & nos illius potestatis propugnatores, ab aduersarijs dicuntur; promptiorem ea quidem, & faciliorem habēt defensionem. Etenim ista, de summa Petri potestate ne minimam quidem vllo modo partem imminuunt: quinimmo contrà, quanta cū bonitate, humanitate, moderatione, suo munere fungeretur, ostendunt. Cùm enim ipse factus iam pastor esset omnium Christi ouium, caeteri oues tantùm essent: mittendi, atq; legandi cuiuscunq; quocunq; libuisset, ius, & potestatem habebat. Attamen cum videret, quantum esset in ea legatione momenti, ad confirmandos Samaritanos homines Iudaeis infensos, in fide verbi, quod tum à Iudaeis tantùm praedicabatur; quantū ad instruendos de fide in Iesum Christum, & de omnibus, quae ad rectè, & piè viuendi viam pertinerent: quantum ad impetrandum illis spiritum sanctum: quantum ad fundandam, & erigendam in ea regione Sanctae Catholicae Ecclesiae veram, puramq; doctrinam: eius legationis munus obire non recusauit. Atq; id ea potissimum ratione, quòd communi omnium consilio ea legatio ad ouium Christi pastorem, & ad omnium principem spectare iudicaretur. Re uera enim Petrum missum fuisse, nihil aliud sonat, quàm omnium deliberatione, & sententia decretum, rem tātam ad neminem Petro inferiorem esse deferendam: multum enim eius persona pōderis, & auctoritatis erat habitura apud Samaritanos, qui de Petri principatu diuinitùs instituto cognouisse facilè poterant. Quis enim vnquam Rex, quicquam de sua maiestate putauit esse detractum; si ijs, quos in consilio adhibet, obtemperarit: cum eum aut longinquo, & periculoso bello; aut cuiusuis aliae rei gerendae praesentē interesse debere statuunt? Quod cùm accidat, aut certè immerito dicatur, à senatu suo, atq; consilio missum esse regem, qui de consilij sententia eam susceperit profectionem. Diuina verò illa Petri defensio, qua se non sua sponte, sed diuino impulsu ad Cornelium hominem à sacris, & lege Iudaeorum alienum diuertisse dicit; nonne incredibilem eius lenitatem, mansuetudinemque demonstrat? Qua audita accusatores eius obmutuerunt, conuersiq; sunt ad Deum glorificandum, dicentes. Ergo & gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.

Petri legatio Samaritana.

Petri missio quomodo intelligenda.

Act. 11. Petri defensio contra suos accusatores.

Exem-

Exemplo enim Christi, cuius Vicarius erat, Petrus, quo maior erat, eo submissiùs se gerebat: eaq; semper illi erat non in ore tantùm, sed in omni opere, magistri doctrina; *Scitis, quia principes gentium dominantur illis: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Praeclarum hunc patrium, & antiquum morem tenuerunt Summi Pontifices, vsq; ad magni Gregorij tempora, qui de hoc Petri facto sic scripsit. *Petrus potestatem regni acceperat, & tamen idem Apostolorum primus: querimoniae aduersus eum à fidelibus factae, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officij, qua posset dicere: Oues pastorem suum non accusent, non reprehendant; sed ex auctoritate diuinae virtutis, qua gentiles acceperant Spiritumsanctum, respondit.* Haud ita multo post verò de seipso loquens, ait. *Si quis nos redarguere voluerit, vel contra auctoritatem nos facere contenderit; veniat ad Sedem Apostolicam, vt ibi ante confessionem Beati Petri mecum iustè decertet: quatenus ibi vnus ex nobis sententiā suscipiat suam.* Sed & illud, in quo tam insolenter gloriantur, de Graeciae, Indiae, Persidis, Africae, Aegypti Ecclesijs; prorsus irridendū, & puerile est. Quasi verò nos mundum vniuersum Petri curae Christum commisisse dicamus, non suam Ecclesiam tantùm, suos agnos, suas oues. An non etiam ipsi videmus, nondum vniuersum orbem Christo dedisse manus, eiusq; admisisse doctrinam, & pietatem? id quod oraculo Dauidis Deus fore pollicetur. *Postula à me* (inquit) *& dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae.* Neque igitur vnquam Ecclesia Christi erit illa, quae non & Petri, & eorum, qui in eius munere substituuntur, sedem, auctoritatem, doctrinam, potestatem, suspiciat, ac veneretur. Neq; Christi oues vllo modo erūt (sint licèt apud Antipodas) quarum mentes haec non imbuerit fides: Christum antequam in cœlum regrederetur, aliquem, qui eius locū teneret, in terris omnino reliquisse: successoresq; nunquam esse defuturos, qui Ecclesiam rectè super hanc petram aedificatam, & stabilitam moderentur, ac tueantur. Quibus quidem Petri successoribus si daretur facultas, & libenter obtemperarent, & ab vltimis orientis, occidentisq; partibus, ac terris, ab omnibusq; Oceani vel iandiu, vel

Matt. 20.

Ep. lib. 9.

Gregorius Pont. Petri imitator.

Psal. 2.

paulò

paulò ante cognitis Insulis ad eos tanquam Christi vicarios venerandos, atq; colendos conuenirent. Haec autem pauca de multis, quae sese nobis ad dicendum offerebant in hac refutatione; si partim ex Christi promissionibus; partim ex factis ipsis hausta, & deriuata sunt; si totius antiquitatis sententiam sequuntur; quae quo propius à primo Ecclesiae ortu, & aedificatione aberat, hoc melius vera cernebat: si contra, dicta, factaq; omnia haereticorum, qui huic veritati bellum indixerũt, eò pertinent, vt eis quicquid libet, liceat; nulliusq; Christi loco Ecclesiae Praesidentis nomen, aut iudicium reformident: si ex huiuscemodi arrogantia, atq; contumacia omnes ortae semper sunt in Ecclesia seditiones, & sectae pro tẽporibus damnatae, vt Cyprianus est testis: quid dubitamus & Patrum, & multorum Conciliorum auctoritate diuina subnixi, libera, & quanta maximè possumus voce, vt omnis orbis exaudiat, pronunciare? *Qui summam in Christi Ecclesia Petri, & successorum auctoritatem non agnoscit, ac non pronus adorat, anathema esto.*

Epist. 3.

QVAESTIO QVINTADECIMA.

De reprehensione, qua aduersus Petrum vsus est Paulus.

LOCVS QVINTVSDECIMVS.

Cùm venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VIDETE, qui vir sit Petrus iste, quem caeteris Apostolis, & Reipub. Christianae ducem, & quasi signiferum praeficitis. Hic enim post acceptũ Spiritum sanctum; post celebratum Concilium Hierosolymitanum; post legem antiquam noua lege abrogatam, qua sancitum est Mosaicam legem post Euãgelium non esse seruandam; non solùm peccat, sed grauiter, ac vehementer peccat. Legem enim, cuius ipse ferendae princeps,

ceps, & auctor fuerat, dicam incautè, aut stultè, an sceleratè, & impiè perfringit, atq; perrumpit: vt nullam admirationem cuiquam mouere debeat, si Paulus eum grauissimis verbis coram accusauerit, & reprehenderit: quis enim tantum, & tam graue scelus non detestetur? quis non indignum, & intolerandum ducat? Neq; verò est in eo à quoquam omnino laborandum, vt diu meditatis rationibus aliqua saltem verisimilis excusatio Petro comparetur: quae nulla nisi commentitia, futilisq; reperiri potest: adeo peccatum graue; adeo peccator reprehensibilis non Paulo solùm visus est; sed etiam caeteris inferioris aetatis viris: Augustinoq; imprimis, quem vos huius sanctissimae philosophiae magistrum, & quasi parentem colitis. Quid autem is, quoties in hunc incidit sermonem, hac de re senserit, literisq; mandarit, quaesumus, diligenter attendite. In Commentarijs igitur huius ipsius ad Galatas Epistolae: *Petrus* (inquit) *cùm venisset Antiochiam, obiurgatus est à Paulo, non quia conseruabat consuetudinem Iudaeorum, in qua natus, atq; educatus erat; quanquam inter gentes eam non seruaret; sed obiurgatus est, quia gentibus volebat eam imponere.* In quo duo potissimū ostendere, ac docere videtur Augustinus. Alterum: nondum planè vulgato Euangelio, Mosis legem in multis adhuc seruare, Iudaeis licuisse: instituta enim antiqua, moresq; patrios, quibus ab ineunte aetate imbuti erant, obliuisci, atq; deponere tam subitò qui poterant? quod quidem etiam Paulum aliquando fecisse compertum est. Alterum: quod multò etiam magis est admirandum, eo animo, atq; consilio Petrum Antiochiae in lege seruanda perseuerasse, vt eam contra Dei praeceptum in viso de Cornelio illi datum, & contra decretum se auctore factum, gentibus imponeret. Et ad Hieronymum scribens: *Non ideo Paulus* (inquit) *Petrum emendauit, quòd paternas traditiones obseruaret; quod si facere vellet, nec mendaciter, nec incongruè faceret; quamuis enim iam superflua, tamen solita non nocerent; sed quoniam gentes cogebat iudaizare: quod nullo modo posset; nisi ea sic ageret, tāquam adhuc etiam post Domini aduentum necessaria saluti forent: quod vehementer per Apostolum Paulum veritas dissuasit. Nec Apostolus Petrus hoc ignorabat: sed id faciebat timens eos, qui ex circuncisione erant: vt palàm sit animum, & voluntatem Petri nimio timore labantem, ac deprauatam eò deuenisse, vt non adhortandas ad Iudaeorum ceremonias amplectendas, sed planè cogendas esse*

Act.10.11.
Act.15.
Epist.9.

gentes

Epist.19. *gentes arbitraretur.* Et alibi: *Si hoc* (inquit) *fecit Petrus, quod facere debuit; mentitus est Paulus, quod eum viderit non rectè ingredientem ad veritatem Euangelij. Quisquis enim hoc facit, quod facere debet; rectè vtiq; facit. Et ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non rectè fecisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est, quòd Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Euangelij. Quid igitur excogitari potest grauius, quàm in Euangelij veritate delinquere, & quasi claudicare?* Quamobrem

Ep.8.9. hanc Petri consilij rationem Augustinus simulationem tum perniciosam, tum fallacem, tum etiam superstitiosam, & prauam appellat: eamq; & negationi, & diffidentiae, & caeteris Petri peccatis adnumerat. Haec autem omnia ideo collegimus in vnum, & à vobis, qui principatum in Ecclesia Petro tribuitis, hoc potissimùm discendi gratia quaereremus: quomodo, ordine, gradu, dignitate, omnibusq; rebus inferior, tam audacter, tanquã acriter superiorem non iniuria reprehenderit? Quae res Porphyrium quoq; philosophum induxit, vt Paulum aut mendacij, aut procacitatis accusaret: vt est apud Hieronymum, qui cum Augustino hac ipsa de re magnam habuit contentionem, & controuersiam.

De Agone Chr. c. 30.

Inter Augustini epistolas epist. 11.

REFVTATIO.

TINAM veluti nos non inuehendi animo, aut maledicendi cupiditate, à qua Dei munere maximè abhorremus; sed vt cum vos ipsos, quantum esset in nobis, ab errore vestro reuocaremus; tum rudes, & ignaros harum rerum homines aut salutaribus remedijs contra venena à vobis sparsa muniremus; aut quidem certè à doctrinae vestrae contagione, vt cauerent, admoneremus; haec scribere sumus aggressi: ita vos non fictè, ac simulatè; sed verè, & ex animo diceretis, ista à vobis argumenta non impugnandae Catholicae fidei; sed discendi causa esse comparata, atq; collecta. Si enim esset in vobis aliqua discendi cupiditas; si veritatis amor, aut reuerentia; non tam diurna pertinacia contra Catholicam Ecclesiam veritatis fundamentum hostiliter depugnaretis: neque tamdiu Concilium Oecumenicum dum vestrum aduentum Tridenti expectat, frustrati essetis: cuius rei nulla vnquam probabilis inuenietur excusatio. Sed ad rem veniamus. In hoc igitur loco, qui ex omni

omni sacra philosophia grauissimus existimatur (adeo est & ad audiendum admirabilis, & difficilis ad explicandum) nos fortasse temerè facturi videbimur, si omnium hac de re scribentium (qui multi & sanctissimi, & doctissimi fuerunt; reiectis sententijs, nostram admitti, & probari petamus. Cùm enim hic locus omnium aetatum homines, qui cum aliqua existimatione in tractanda Theologia versati sunt, mirum in modum, & variè torserit; vt hic quidem Petro; ille Paulo; alius vtrisque; alius neutri fauere videatur: in tanta dissimilium sententiarum varietate, & multitudine, vix credibile est, aliquid noui aut excogitari, aut in medium afferri posse; praesertim à nobis, qui neq; tenuitatem ingenij, ac doctrinae nostrae ignoramus; neq; Spiritumsanctum habere nobis ipsis arrogamus. Sed nos non in hoc elaborauimus, aut ingenij vires intendimus, vt aliquid reconditum, & inauditum, aut cuiquam nouum in his quaestionibus diceremus; & ita gloriam aliquam aucuparemur: neq; enim nos quicquam videre, quod alij non viderint, vllo pacto credimus. Verùm quia nondum haec tentata videbatur via, vt in ijs ipsis locis, è quibus aduersarij occasionem rapiunt ad cōtra dicendum, & quasi materiam sumunt ad arma contra nos conficienda, & fabricanda; eis resisteretur, armaq; de manibus eriperentur; aut quae ipsi tela maximè ferrea, & acutissima esse putant, plumbea, & obtusa esse ostenderentur: ideo est à nobis labor hic ita scribendi susceptus; vt iam reticendae sententiae nostrae non sit locus, qualis ea cunq; sit, siue noua, & nuper inuenta; siue antiqua, & è libris doctorum, & sanctorum hominum eruta, siue etiam ab alijs quidem leuiter tacta tantùm, à nobis verò vberiùs explicata. Est igitur haec nostra sententia. Neq; cibis exterarum gentium vtentem; neq; contrà, abstinētem Petrum peccasse censemus: nisi fortè vel vtenti, vel abstinenti aliquis Iudaeus, qui ea re offenderetur, affuisset. Cur enim non vtatur, cùm omnia munda fecerit Deus? Cur rursus, non abstineat, cùm eos, qui ab Iacobo Hierosolymis venerant, eoq; vsu non poterant non offendi, vereatur? Vt homines Christiani, si quem humana carne vescentem videant, tantam immanitatem, atq; barbariem non maximè detestari, & abhorrere non possint; ita Iudaei Petrum, exterarum gentium cibis vtentem, conspicati, eam rem sine dubio execrati essent vehementer. tantum valet vsus, & institutio, cùm in omnibus animantibus;

Quaestionis exageratio.

Sententia Auctoris.

tum in homine praesertim. Arbitramur igitur hanc fieri posse distinctionem. Petro cibis exterarum gentium vescente, aut Iudaeus aliquis aderat, qui id detestari facilè posset, aut non aderat. Si aderat, omnino peccabat Petrus; id Iudaeo inspectante agens, quod Iudaeorum omni nationi sciebat esse tam nefandum, atq; detestabile. Si nemo aderat, qui id aegro animo ferret, Petrus nullo planè modo peccabat: munda enim omnia à Deo facta putabat. Similiterq; cùm abstineret; aut nemo aderat, qui eam abstinentiam admiraretur, atq; damnaret; tumq; peccabat, escis à Deo factis abstinens sine causa: aut aderant, qui ab Iacobo venerant; tumq; iusta, & sancta erat abstinentia: qui enim eorum oculos in se conuersos esse videbat, ne illis esset scandalo, iure dubitabat. Sed etsi iure dubitaret, meritoq; abstineret: id tamen ex ea re mali accidebat, quòd superstitiosa quaedam apud gentes externas suboriebatur, & succrescebat opinio: legem scilicet, ad salutem per gratiam Dei, & Domini nostri Iesu Christi comparãdam, esse necessariam. Qua re animaduersa Paulus iure Petrum admonet; & quamuis inferior, superiorem amanter, & seuerè coarguit. Haec admonitio, etiam reprehensio, & repugnantia nuncupatur, cùm ob eam animi commotionem, & vehementiam, quam perpetua illa salutis populi sibi commissi procurandae cupiditas, & extirpandae ex animis gentium illius opinionis tam perniciosae, studium in Paulo excitabat: tum ob id quoq;, quòd & publicè in omniumq; conspectu, & vehementi quadam oratione facta erat. Cùm autem ipsum quoq; Paulum haec eadem de quibus Petrum accusat, factitasse, Iudaicosq; seruasse ritus; caput rasisse; sese vbi non laederetur Euangelium, omnibus submisisse; rursusq; submissionem eam, & humilitatem, quam offendere quorundam animos intelligebat (vt Chrysostomus docet) tanquam immoderatam, reliquisse legamus: cur non etiam hanc Petri patientiam, & aequitatem animi, qui sese redargui patitur, modestiae tribuendam esse censemus? cur hanc Pauli obiurgationem, non admonitionem interpretamur, quae non ad id, quod faciebat Petrus, sed ad id, quod ex eo sequeretur, infinitum sanè, & perniciosum malum, pertineret? Quis verò non animaduertat quàm duri, atq; pertinaces in verbis auctorum interpretandis omnes sitis? quàm spiritus obliti? quàm literae obstricti? Quod genus est tandem istud interpretãdi, vt verba mordicus

Distinctio pulchra.

tenenda

tenenda vobis esse putetis; sensum, & quasi animam ipsam auctoris amittatis; negligatis; nihili faciatis? quod in Augustini verbis interpretandis, hoc ipso argumento, contra quod scribimus, facitis. Intimus enim, & verus auctoris sensus non ex vno, aut altero loco; sed ex multis, ijsq; diligentissimè collatis, atq; perpensis, est colligendus. Quòd si ea, quae de hac re scripsit Augustinus, omnia legissetis, pièq; (vt par est) aestimassetis; non tam duriter, & asperè, ne dicam impiè, interpretati essetis. Vos ita omnia ad viuum esse resecanda putatis, vt lacerare potiùs, atq; trucidare auctores videamini, quàm interpretari. Nos mitiùs, ac leniùs agendum, absurda omnia, dissimilia, dissentaneaquè; nedum contraria, & repugnantia, cauenda esse ducimus. Quamobrem illud Augustini: Petrum à Paulo ideo obiurgatum, quòd Iudaeorum consuetudinem gentibus volebat imponere; non ita est accipiendum, vt dicat, Petrum animo adeo peruerso, ac deprauato fuisse, vt consulto, volensq; gentes iudaizare cogeret: sed hoc multò magis, Petrum in hac re dijudicanda deceptum; & ad omnia, quae oportebat, non admodum diligenter attendentem, Iudaicam retinuisse consuetudinem: vt apud gentes ea opinio percrebresceret, legem ad salutem esse necessariam. Homines enim vel sanctissimi, iustissimiq; falluntur aliquando: ita tamen, vt non volentes, sed inuiti labantur, & errent. Existimabat enim fortasse Petrus, gentes ab hac opinione de legis necessitate ad salutem, si in eam fortè decidissent, ad verum, atq; syncerum Euangelij sensum multò faciliùs posse reuocari, quàm Iudaeos, cùm ab Euangelio, & à Christo desciuissent, legem negligi, contemptuiq; haberi videntes. At timore lapsus est Petrus. Quid ni timeat ouium suarum perniciem, & calamitatem Petrus gregis sui pastor amantissimus? Huius enim timoris alia nulla reddi causa potest: vt rectè meo quidem iudicio Hieronymus de hoc timore philosophetur. *Nulli dubium est* (inquit) *quòd Petrus Apostolus sententiae huius, cuius nunc praeuaricator arguitur, primus auctor extiterit: causa autem praeuaricationis, timor est Iudaeorum. Dicit enim scriptura, quòd primùm edebat cum gentibus; cùm autem venissent quidam à Iacobo, subtrahebat se, & segregabat, timens eos, qui ex circuncisione erant. Timebat autem Iudaeos, quorum erat Apostolus, ne per occasionem gentium à fide Christi recederent, & imitator pastoris boni, perderet gregem sibi creditum.*

Inter Aug. Epistolas, Epist. 11.

Quòd si piè, si honestè, si necessariò Petrus à cibis lege prohibitis abstinuit inter gentes, ne Iudaeos astantes offenderet: cur hoc eius factum, & simulatio & superstitiosa quidem, ac praua vocatur? cur inter eius peccata connumeratur? Rectè omnia: si modò commodè interpretari; si sana mente intelligere velimus. An ille, qui non vt legi obtemperaret, quam optimè sciebat ad salutem non esse necessariam; sed vt Iudaeis id fraudi ne esset, à cibis lege vetitis abstinebat: non verè simulabat? Eam autem simulationem si superstitiosam, si prauam appellant auctores boni; non ab animo Petri, qui ab omni superstitionis labe purus, & integer erat; sed ab eo, qui ex ea re, Petro nec opinante, nec animum aduertente, nascebatur, effectu; idest ex ea offensione, qua Iudaei id videntes afficiebantur; ita appellant. Quod quidem si Paulus non animaduertisset, magna sine dubio, & praua superstitio in animis eorum, qui aderant, esset exorta. Hunc verò siue errorem, siue lapsum, siue etiam peccatum appellare libet, in quod inuitum, inopinantem quidem certè Petrum cecidisse videmus: quid prohibet, quin in aliorum eius peccatorum numero possit referri. Illud autem, quod homines quidam leuissimi dicunt, falsum omnino, & plenum erroris arbitramur: Petrum ab Augustino mendacij reprehendi: cùm in eo tantopere Augustinus allaborasse videatur, vt Hieronymum doceat, quàm maximum absurdum sit, existimare, simulatè, fictéuè Petrum à Paulo fuisse reprehensum. Ex quo statim illud sequeretur, quo nihil in re Christiana magis perniciosum excogitari posset: in sacris literis esse aliquod mendacium; quae liquidò affirment, Petrum reprehensione dignum fuisse, quòd in Euangelij veritate rectè non ingrederetur. *Mihi videtur* (inquit Augustinus) *exitiosissimè credi, aliquod in libris sanctis esse mendacium: idest eos homines, per quos nobis illa scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos.* Alia quippe quaestio est; sit ne mentiri aliquando viri boni: & alia quaestio est; vtrum scriptorem sanctarum scripturarum mentiri oportuerit: immo verò non alia, sed nulla quaestio est: admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio; nulla illorum librorum particula remanebit, quae non (vt cuiq; videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis) eadem perniciosissima regula, ad mentientis auctoris consilium, officiumquè referatur.

Eras. in Annot. Ep. ad Gal.

Epist. 9.

O Pauli

O Pauli ardentem, & inflammatam amore veritatis Euangelicae reprehensionem: O Petri admirabilem, & nũquam obliuiscendam patientiam, atq; modestiã. Discite vos, qui summo Pastori, summoq; Sacerdoti adestis in consilijs, quales, & quàm amantes veritatis esse vos oporteat, si vestro fungi vultis officio. Discite summi Sacerdotes, quàm modestos, & quã patientes vos esse deceat in audiendis senatorum sententijs. Haec libertatis, & modestiae praeclarissima exempla si vobis vtrique, cum in senatu, tum in sermonibus proponeretis ad imitandum; meliùs omnino cum ouibus à Christo curae vestrae commissis ageretur, & Respubl. Christiana, quae bellis intestinis faedissimè iãdiu conflagrauit, aliquando vestris consilijs recreata quiesceret. Verùm vt procax, & temeraria Porphyrij lingua refrenetur, & eorum, qui Porphyriũ nostris temporibus imitantur, audacia comprimatur, quid de Pauli libertate, quid de Petri modestia dicat Augustinus, attendite. *Petrus* (inquit) *quod à Paulo fiebat vtiliter, libertate charitatis, sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit: atq; ita rarius, & sanctius exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda Euangelica veritate, salua fraterna charitate, resistere. Nam cùm satiùs multo sit à tenendo itinere in nullo, quàm in aliquo declinare; multò est tamen admirabiliùs, & laudabiliùs libenter accipere corrigentem; quàm audacter corrigere deuiantem. Est laus itaq; iustae libertatis in Paulo, & sanctae humilitatis in Petro: quae quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat aduersus calumniatorem Porphyrium defendenda, quàm vt ei daretur detrectãdi maior occasio, qua multò mordacius criminaretur, Christianos, fallaciter vel suas literas scribere, vel Dei sui sacramenta tractare.* Et in huius ad Galatas Epistolae Commentarijs, hunc ipsum, de quo loquimur, locum tractans: *Firmitas* (inquit) *& charitas Petri, cui terà Domino dictum est. Amas me? Pasce oues meas: obiurgationem posterioris pastoris pro salute gregis libentissimè sustinebat. Nam erat obiurgatore suo ipse qui obiurgabatur, mirabilior, & ad imitandum difficilior: facilius est enim videre, quid in alio corrigas, atq; id vituperando, vel obiurgando corrigere; quàm videre, quid in te corrigendum sit, libenterq; corrigi, vel per te ipsum, nedum per alium; adde posteriorem; adde coram* Epist. 19.

omni-

omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quae maxima est disciplina Christiana: humilitate enim conseruatur charitas. Et vt grauem, ac difficilem locum hunc aliquando concludamus, testatumq; posteris quid in eò explicando senserimus, relinquamus: haec est nostrae explicationis ratio, vt neq; Augustinum, aut Hieronymum in huius, aut illius verba iurantes planè sequamur; neq; eorum sententias penitus reijciēdas esse putemus; sed mediam quandam inter vtrumq; teneamus viam. Petrum igitur, cùm prudenti quadam oeconomia ea faceret, quae Paulū ipsum fecisse legimus; non peccasse cum Hieronymo dicimus: rursusq; cum Augustino, non eum ab omni prorsus culpa liberamus, propter eam, quae de necessitate legis ad salutem apud exteras gentes ex ea re nascebatur, Euangelicae veritati maximopere pestilentem, & perniciosam opinionem: quanquàm in Hieronymo constantia desiderari posse videatur: qui contra Pelagianos disputās, inquit. *Vult certè Deus tales esse Episcopos, siue Presbyteros, quales vas electionis docet. Primum quod dixit, irreprehēsibilis; aut nullus, aut rarus. Quis est enim, qui non quasi in pulchro corpore, aut neuum, aut verrucam habeat? Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quòd non recto pede incesserit in Euangelij veritate; & in tantùm reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus sit in eandem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit?*

Solutio media inter Augustinū & Hieronymum.

QVAESTIO SEXTADECIMA.

De iustificatione, an vni fidei omnibus exclusis operibus, tribuenda.

LOCVS SEXTVSDECIMVS.

Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

OTA, quae sequitur, Pauli oratio, sibi constans, & secum ipsa consentiens, in eo versatur, vt fidei omnem tribuat iustitiam, & nullam eius partem ope-

operibus concedat: quae est vsque adeo aperta, vt nulla egeat confirmatione.

REFVTATIO.

PAVLVS semper in ea quaestione, quae est de iustificatione, contra legem pugnat; & opera legis. At quàm fallax est, & captiosa conclusio, si simpliciter efficias: Ergo pugnat contra opera? Sunt enim opera legis: sunt etiam opera spiritus. Lex autem dum sceleribus poenam constituit, ponit in metu peccantes: cuius quidem metus impulsu, legi quandoq; obtemperant homines; & ea agunt, quae lege praecipiuntur. Sine spiritu autem, & eius operibus, nulla vera potest esse iustitia. Hic ille est Dei spiritus, qui quos iustos efficit, iucundè allicit, ac suauiter mouet; vt nullo seruili metu, sed sua sponte in lege sint Christi, cum Paulo ipso dicentes: *Factus sum ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem: cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Haec illa sunt opera, quae fructus spiritus in hac Epistola Paulus appellat: cùm à lege fluant, quam ille idem Paulus legem spiritus nominat. Quare Dominus, & Seruator noster Iesus Christus, non ea tantùm ratione legislator dicitur, quòd legem vitae, & disciplinae Christianae promulgauerit, & per Apostolos suos propagauerit; sed multò etiam magis, quòd hanc legem spiritus, quae quandoq; dicitur charitas, in animis inserit eorum, qui legi fidei sese submiserunt: hoc est qui in ipsum crediderunt. His igitur, non legis operibus magnam iustitiae partem perpetuus tribuit vniuersae Christi Ecclesiae consensus. 1. Cor. 9.

QVAESTIO DECIMASEPTIMA.

De fiducia operum.

LOCVS DECIMVSSEPTIMVS.

Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.

ARGV-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VBI est fiducia operum, nullum ibi locum habere potest fiducia in IESVM CHRISTVM. Ex fiducia ergo operum, facilè negatur, & amittitur CHRISTVS.

REFVTATIO.

SI ex Pauli doctrina ritè ratiocinari velimus, & nihil ad nostrum arbitrium confingere, & comminisci; sic erat dicendum. Vbi est fiducia operum legis, qualis erat in illis, qui ex lege iustitiã quaerebant; nullum ibi locum habere potest fiducia in Iesum Christum. Contra quam sententiam, cùm vera, synceraq; sit, nulla datur dicendi facultas. Nam si ex lege iustitia; Christus gratis mortuus est. At verò qui nullo suorum operum merito, ex fide in Iesum Christum iustitiam adepti sunt, sancto Christi spiritu imbuti operibus nituntur, & confidunt non tam suis, quàm ijs, quae ille ipse spiritus in ipsis, & per ipsos efficit. Huius autem spiritus interiore testimonio nõ solùm nos esse Dei filios discimus; sed illud quoq; docemur, & credimus, opera omnia nostra illius spiritus ductu facta, Deo clementi, ac misericordi parenti nostro grata esse, & accepta, & copiosam eis in coelo remunerationem, atq; mercedem esse repositam: in cuius expectatione, & fiducia, in omnibus tormentis positos gaudere nos, & exultare voluit Christus. Ex horum igitur operum fiducia, Christum neq; negamus, neque amittimus; sed arctiore cum illo vinculo deuincimur, & magis, magisq; coniungimur.

Matt. 5.
Luc. 6.

QVAESTIO DECIMAOCTAVA.

De diffidentia operum legis, & gratiae.

LOCVS DECIMVSOCTAVVS.

Non iustificatur homo ex operibus legis.

ARGV-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

OPVS legis simpliciter hoc loco accipiendum per antithesim contra gratiam. Quicquid ergo non est gratia, lex est: siue sit iudiciale, siue ceremoniale, siue decalogi. Ideo si quis etiam fecerit opus legis secundum hoc praeceptum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* tamen non iustificabitur coram Deo: quia ex operibus legis non iustificatur homo.

REFVTATIO.

PAVLVS opponit legem gratiae. Quare in ea, quae est ad Romanos, Epistola, inquit. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Opponẽda ergo sunt opera legis, operibus gratiae. Illa metu fiunt, quem lex incutit: haec charitate, & amore, ad quem Dei spiritus illicit, & attrahit. Illa saepenumero iniusti exequuntur: haec non nisi iusti; quibus ne lex quidem posita est: nam (vt Augustinus ait) supra ipsam quodammodo legem viuit, qui cum dilectione iustitiae iustè viuit. Illa ad iustitiam hominem non perducunt: haec iustitiam conseruant, atq; amplificãt, quibus amplissimum quoq; sempiternae vitae praemium propositum est. Quamobrem Paulus: *Bonum* (inquit) *certamen certaui; cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quã reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* De illis accipienda hoc loco est Pauli sententia. De his cum alio loco inquit. *Dei sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Itemq; cum ait, Iesum Christum dedisse semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, mundaretq; sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

In ep. ad Gal. — *2. Tim. 3.* — *Eph. 2.* — *Ad Tit. 2.*

QVAESTIO DECIMANONA.

De differentia iustitiae legis, & fidei.

LOCVS DECIMVSNONVS.

Nos in Christum Iesum credidimus, vt iusti-

ficaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

OPPONIT Paulus iustitiam fidei per antithesim omni iustitiae legis: quae scilicet ex lege parari possit quacunq; virtute, siue diuina, siue humana. Quamuis ergo sancta sit lex, iusta, & bona, & opera legis sancta sint, iusta, & bona: per ea tamen non iustificatur homo coram Deo, sed per iustitiam fidei, quam Deus gratis imputat ex misericordia propter Christum.

REFVTATIO.

IVSTITIA fidei, fidem, & opera, quae ex diuina gratia fidem ipsam comitantur, complectitur. Ea per anthithesim opponit iustitiae legis: hoc est operibus à natura, vnius legis praesidio munita, ab omni fide, & gratia nuda, & vacua, prodeuntibus. Non igitur sub iustitia legis, continentur opera, quae ex diuina virtute, fide videlicet, & gratia, progrediuntur: quae ad iustitiam fidei praecipuè pertinent. Quamobrem Augustinus: *Lex* (inquit) *adducit ad fidem: fides impetrat spiritū largiorem: diffundit spiritus charitatem: implet charitas legem.* Qui etiam dum Pauli illud explicaret, quod ad Romanos scripsit: Non excludi hominis gloriationem per legem factorum, sed per legem fidei: in hanc sententiam loquitur. *Gloriatio vitiosa, eorum scilicet, qui cum sibi iustè videntur viuere, ita gloriantur, quasi illud non acceperint; non per legem factorum, sed per legem fidei excluditur: quia per legem fidei quisq; cognoscit, si quid benè viuit, Dei gratia se habere: & vt perficiatur in dilectione, non se aliunde consecuturum.* Quid item inter legem factorum, & fidei, intersit, sic explanauit. *Quod operum lex minando imperat; hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit; Non concupisces. Ista dicit; Cùm scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det (& hoc ipsum erat sapientiae scire, cuius esset hoc donum) adij Dominum, & deprecatus sum. Ipsa est illa sapientia, quae pietas vocatur, qua colitur pater luminum, à quo est omne datū optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem in sacrificio*

Ep. 144.

Rom. 3.

De spū, & litera c. 10.

Cap. 13.

tio laudis, actionisq; gratiarum: vt cultor eius non in seipso, sed illo glorietur, ac per hoc, lege operum dicit Deus. Fac quod iubeo. Lege fidei dicitur Deo. Da quod iubes. Ideo enim iubet lex, vt admoneat, quid faciat fides: idest, vt cui iubetur, si nondum potest, sciat, quid petat: si autem continuò potest, & obedienter facit; debet etiam scire, quo donante possit. Illud etiam Apostoli. *Legem non destruimus per fidem, sed statuimus:* huc referendum esse Augustinus apertè ostendit, cum inquit. *Lex nõ euacuatur, sed statuitur per fidem: quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur.* Ex quibus omnibus manifestè deprehenditur, quae legis, quaeuè fidei iustitia sit; vt cũ Augustino concludere liceat. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi Iesu, vt impleat opera legis, adiuuantem infirmitatem suam: quoniã ex operibus legis, cùm suis viribus ea quisq; tribuit, nõ gratiae miserantis Dei; non iustificabitur omnis caro.* *Cap. 30.* *In Ep. ad Gal.*

QVAESTIO VIGESIMA.

De iusto ex fide, an lege opus habeat. Itemq; de legis, & gratiae vsu.

LOCVS VIGESIMVS.

Si quaerẽtes iustificari in Christo, inueniamur & ipsi peccatores; nunquid Christus peccati minister est? absit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PAVLI haec est argumentatio, non tantùm contra falsos apostolos, à quibus Galatarum fuerat contaminata fides; sed & contra eos, qui hoc tempore docent, praeter Christi iustitiam, necessariam esse legem ad iustitiam adipiscendã. Est autem argumentum tale. Si is, qui in fide Christi, iustitiã quaerit, adhuc lege opus habet, vt iustitiã consequatur; non erit Christus iustitiae, sed peccati minister, qui fidentẽ illius iustitiae hominem, sub lege relinquat. Qua ratione ex Christo

fit lex, & ex lege Christus: quo nihil dici, aut existimari potest absurdius.

REFVTATIO.

QVI ex fide in Christum, iustitiã aut quaerit, aut iam adeptus est; liber fit prorsus, ac solutus à lege Moysi, necesse est. Verùm lege Christi opus habet, non vt iustitiam nanciscatur, sed vt eam sibi conseruet, & augeat: qui non sub lege, sed in lege esse dicitur Christi: quẽ-
1.Cor.9. admodum & Paulus ipse de se confitetur: dicitur etiam supra legem esse; hoc est, supra metum, quem incutit lex. Nam (vt
Qu.18. ex Augustino docuimus) qui cũ dilectione iustitiae viuit, quodammodo supra ipsam legem viuit. Neq; verò hac ratione, ex Christo fit lex, aut lege Christus: cùm Christus peccata condonet, quod nunquam lex potuit: Christus gratiam praestet, & auxilium, quo legi possit obtemperari; lex verò praecipiat tantùm. Quamobrem de vsu legis, & gratiae Christi, nõ nouas hominum inuentiones, & excogitationes sequamur: sed ad veterem Augustini sententiam, tanquam ad firmissimam
Epist.144. columnam adhaerescendum esse praedicemus. *Lex enim* (inquit) *docendo, & iubendo, quod sine gratia impleri non potest, demonstrat homini suam infirmitatem: vt quaerat demonstrata infirmitas saluatorem, à quo sanata voluntas, possit, quod infirma non poterat.* Sequuntur deinde ea, quae in refutando priore argumento recitauimus.

QVAESTIO VIGESIMA PRIMA.

De bonis iustorum operibus, an Christo gloriam eripiant.

LOCVS VIGESIMVSPRIMVS.

Ex operibus legis non iustificabitur oĩs caro.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

CVM in loco iustificationis versamur, omnia sunt opera reijcienda: alioqui gloriã Christo adimimus, eamq; ad nostra opera traducimus. Bona igitur oĩa

sunt

sunt facienda; mala ferenda; sanguis fundendus (si res ita postulet) propter Christum: sed per haec neq; iustitiam, neq; salutem consequimur.

REFVTATIO.

HOC argumentum ita concludunt, ac si nostrum quispiam doceret: iustos ex operibus, quibus & eorum iustitiam confirmari, & crescere dicimus, & ad sempiternam quoq; salutem perduci: sibi ipsis gloriam aucupari: cùm nihil omnino minus cogitemus, sed constanter asseramus, bonorum omnium operum laudem omnem, omnemq; gloriam, ad Christi gratiam esse reuocandam: qui viuit in iustis, loquitur, bona efficit omnia. Non est igitur verendum, ne nostra hac praedicatione, Christo gloriam eripiamus, eamq; nobis ipsis ascribamus: cùm Christi illud non modò Apostolis, verùm omnibus dictum fuisse, ingenuè, & aperte confiteamur. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis: vos palmites: qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Io.15. Collegi ex Beatissimo Patre Augustino locos aliquot, quos subieci: vt quaenam fuerit illius de bonis iustorum operibus sententia, quisq; intelligat. In libro Confessionum ad Deum sic loquitur. *Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? O si agnoscant se omnes homines: & qui gloriatur, in Domino glorietur.* Lib.9.c.12. Epistola 120. *Tunc rectè, tunc iustè, tunc piè fit, cùm opus bonum in eius laudem fit, cuius gratia donatur, vt fiat.* Cap.29. In libro de spiritu & litera, magni Prophetae Dauidis verba perpendens, inquit. *Praetende Domine misericordiam tuam scientibus te; & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde. Neq; enim quia sciunt, sed etiam vt sciant eum, praetendit misericordiam suam: nec quia recti sunt corde; sed etiam vt recti sint corde, praetendit iustitiam suam, qua iustificat impium. Non veniat mihi pes superbiae: & manus peccatoris non moueat me. Superbiae vitium oritur, cum sibi quisq; praefidit; seq; sibi ad viuendum caput facit: quo motu receditur ab illo fonte vitae, cuius solius haustu iustitia bibitur, bona scilicet vita: & ab illo incommutabili lumine, cuius participatione anima rationalis quodammodo accenditur, vt sit etiam ipsa factum, creatumq; lumen: sicut* Cap.7. Psal.35.

sicut erat Ioannes lucerna ardens, & lucens: qui tamen vnde luceret, agnoscens: Nos (inquit) de plenitudine eius accepimus: Io.5.
Io.1. *cuius, nisi illius vtiq;, in cuius comparatione Ioannes non erat lumen? Illud enim erat verum lumen, quod illuminat omnem* Ibid. *hominem venientem in hunc mundum: de quo dixerat. Apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Hac impietate, qua tribuit sibi quisq;, quod Dei est, pellitur in tenebras suas: quae sunt opera iniquitatis: opera verò iustitiae non facit, nisi quantum ex illo fonte, atq; ex illo lumine percipit: vbi nullius indigens vita est; & vbi non est commutatio, nec momenti obumbratio.* Secunda quoq; quaestione libri primi ad Simplicianum: *Vocantis* (inquit) *est gratia: percipientis verò gratiam, consequenter sunt opera bona; non quae gratiam pariant, sed quae gratia pariantur. Non enim vt ferueat, calefacit ignis; sed quia feruet: nec ideo benè currit rota, vt rotunda sit; sed quia rotunda est: sic nemo propterea benè operatur, vt accipiat gratiam; sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus? quomodo sanctè viuere, qui non fuerit sanctificatus? vel omnino viuere, qui non fuerit viuificatus? Iustificat autem gratia, vt iustificatus possit viuere iustè.* Ex quibus omnibus apertè liquet, quae fuerit Augustini de vera iustitia, & sanctis iustorum operibus sententia: nempe illa: vt omnis illorum laus, & gloria ad diuinam misericordiam, & Christi gratiam sit referenda. Propterea Christus ipse dixit. *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus; vt videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

QVAESTIO VIGESIMASECVNDA.

De Paulo Apostolo, quomodo per legem legi mortuum se esse dixerit.

LOCVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Ego per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

NEMO Christi Iesu religionem verè suscepit, qui Paulum non debeat hoc loco imitari: vt non fictè, aut fallaciter, sed re vera, atq; ex animo dicat. Ego per legem, hoc est Dei gratiam (consueuit enim quandoq; Paulus gratiam appellare legem, vt suauissima antithesi legem legi opponat: quemadmodum peccatum peccato; captiuitas captiuitati; *Rom.8.* mors morti, in sacris literis opponi consueuit.) legi mortuus *Eph.4.* sum: à lege scilicet, & omnibus, quae in lege ad terrorem pro- *Os.13.* ponuntur, liber sum & solutus: cùm sola fide contentus, non amplius per legem iustitiam quaero: qua ratione viuo Deo, per gratiam videlicet, & fidem: propter Christum iustitiam consequor, sine lege, & operibus.

REFVTATIO.

PAVLI vox ista, si benè, & piè dicta, malè, & peruersè (quod in argumento fit) non interpretemur; non est dubium, quin Christianorum omnium vox esse debeat: cuius non ex meo quidem sensu, sed ex summorum doctorum interpretatione, & ex Pauli ipsius alijs locis in hunc collatis, illa videtur esse germana sententia. *Ego per legem legi mortuus sum.* Cùm in lege versarer, viderem q; fieri non posse, vt iustitiam per solam legem consequerer; relicta lege, tanquam legi mortuus, ad Christum Iesum me contuli: in quem credens, eam, quae per fidem contingit, iustitiam sum consecutus. Id quidem Paulus paulò ante explicauerat, cùm dixisset. *Nos natura Iudaei, & non ex gentibus peccatores, scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Quem locum Chrysostomus ita interpretatur. *Lex iubet omnia fieri, quae in ipsa scripta sunt: ac non facientem punit. Omnes igitur illi mortui sumus, eo quòd nullus eam impleuerit.* Augustinus quoq; locum eundem in eandem sententiã explicauit, dicens. *Mortuum se Paulus legi dicit, vt iam sub lege non esset; sed tamen per legem: quia Iudaeus cùm esset, legem, tanquam paedadogum, acceperat. Hoc autem agitur per paedagogum, vt non sit necessa-*

rius

rius paedagogus: sicut per vbera nutritur infans, vt iam vberibus non indigeat: & per nauem peruenitur ad patriam, vt iam naui opus non sit. Sed cauendum est, ne legi mortuus, & fide in Christum iustitiam consecutus, tanquam adeptus omnia, ad iustitiam adhuc atq; ad virtutem progressionem negligas: cùm ea quoq; ratione, legi mortuus, ad Christum accesseris, vt viuas Deo: gratiam videlicet, & auxilium accipias, quo liberè absq; vllo legis metu, tanquam lege superior iam factus, & à paedagogo liberatus, legis mandatis, nullo cogentis poenae metu; sed vna erga Deum Patrem charitate permotus, tanquam filius obtemperes, & (vt Augustinus saepissimè loquitur) legem impleas. Hanc huius loci sententiam ex Pauli ipsius sensu depromptam esse intelliges, si quae ad Romanos scripsit, attentè consideraueris. Inquit enim: Quòd impossi- *Rom. 8.* bile erat legi, quia infirmabatur per carnem: misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis: qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

QVAESTIO VIGESIMATERTIA.

De operibus, quibus iustitia tribuenda est.

LOCVS VIGESIMVSTERTIVS.

Quòd nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

GERMANA haec est Christianorum hominum vita, vt dum viuunt in carne, idest dum naturalem, atq; animalem ducunt vitam (quod ad iustitiam, & salutem attinet) in fide viuant Filij Dei. Qui ergo iustitiam operibus tribuunt, non in fide Filij Dei, sed in proprijs viuunt iustitijs, & operibus. Quàm igitur longè diuersi, ac disiuncti abeant à Christiana cum vita, tum iustitia, nemo non videt.

REFV-

REFVTATIO.

SI de operibus sermo sit, quae nullo fidei fundamento nitantur, quod in argumento concluditur; nemo planè infirmare, aut conuellere poterit. At verò nos, qui operibus iustitiae conseruationem, & incrementum tribuimus, de illis loquimur, agimusq; operibus, quibus firmissima praeiacta sint fidei fundamenta: qua ratione in fide viuimus Filij Dei, dum quaecunq; rectè cogitamus, loquimur, agimus, ad ea, quae in principio posita sunt, fidei fundamenta referimus: cuius etiam gratiae, quaecunq; manare à nobis bona videntur, tribuimus. Quare Paulus cùm fidei fundamentum iecisset, dixissetq;: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, qui est Christus Iesus*; de operibus adiunxit: *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos*. Quibus vocabulis varia bonorũ operum genera designantur: quae nisi in fide fundata essent, nullius omnino pretij essent. Hinc Augustinus quomodo accipiendum sit, quod Apostolus ait; ex fide iustificari hominem, non ex operibus: explanans inquit. Quia fides prima datur, ex qua impetrentur caetera, quae propriè nuncupantur opera, in quibus iustè viuitur.

1.Cor.3.

De praed. San. c.7.

QVAESTIO VIGESIMAQVARTA.

De operibus, cur post adeptam iustitiam necessaria sint.

LOCVS VIGESIMVSQVARTVS.

Filius Dei dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

MAGNVM hoc, atq; adeo infinitum pretium, quo (vt Paulus Apostolus inquit) empti sumus, quibus operibus cumulari, atq; adaugeri posse putamus, vt ad illud de nostro aliquid addi, atq; afferri existimemus? An verò sine nostris operibus placari Deum non posse credendũ est, hoc vno duntaxat

1.Cor.7.

immenso, & infinito pretio, morte scilicet, & sanguine Filij sui, cuius gutta, partibus infinitis, maior, & praestantior, & pretiosior est omni creatura.

REFVTATIO

LONGE' equidem ab ista sententia absumus, vt ad inaestimabile illud nostrae salutis pretium, quod ad Dei gratiam siue iustitiam adipiscendam attinet, addi quicquam posse cogitemus. *Scientes* (vt Aposto-
1.Pet.1. lorum Princeps Petrus inquit) *quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti sumus de vana nostra conuersatione paternae nostrae traditionis; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Nullo ergo facto, nullaq; opera nostra, sed inaestimabili tantùm huius sanctissimi sanguinis pretio demitigatus est nobis Deus, atq; reconciliatus. Verùm posteaquam in Dei gratiam, vnius Christi gratia redijmus; quicquid bonorum operum non de nostro, sed de Dei ipsius gratia afferimus, animas nostras castificantes, in obedientia charitatis, vt Petrus mandat; id totum ad iustitiam gratis nobis collatam, confirmandam, conseruandam, atq; etiam
Tit.2. adaugendam pertinet. Nam (vt Paulus ait) *dedit Iesus Christus semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & populum sibi mundaret acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Qui etiam dum Corinthios ad eleemosynam hortatur, insigni illa, & notabili vtitur diuinae remunerationis pro-
2.Cor.9. missione. *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi. Qui autem administrat semen seminanti; & panem ad manducandum praestabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiae vestrae: vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quae operatur per nos gratiarum actionem Deo.*

QVAESTIO VIGESIMA QVINTA.

De accessu ad Christum per fidem absq; meritis: deq; merito congrui.

LO-

LOCVS VIGESIMVS QVINTVS.

Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SI meritis, ſiue de congruo, ſiue de condigno, cognoſcere Chriſtum, atq; ad eum venire poſſumus; quid opus erat, vt ipſe ſeipſum pro me traderet? quid opera iactamus, & merita? Si perditus ego, damnatus peccator, potuiſſem alio quouis pretio redimi, quid opus fuiſſet pro me tradi Filium Dei? Cùm ergo aliud nullum neq; in coelis, neq; in terris extaret pretium, praeter Chriſtum Filium Dei; ſumma ille charitate dilexit me; ſumma neceſſitate redemit; & ſemetipſum tradidit pro me.

REFVTATIO.

O Doloſam, & exitioſae malitiae plenam fallaciam! ò verſutos, & callidos homines! ò peſtem ad interitum natam, exitiumq; catholicae veritatis. Verè de talibus magnus dixit Baſilius: τεχνολογοῦσιν, οὐ θεολογοῦσιν. *Ep. 61.*
Ecquis vnquã in Eccleſia catholica docuit, potuiſſe quenquã ſuis meritis Chriſtum agnoſcere, atq; ad eum venire? vbi illud Chriſti ſemper legitur, atq; praedicatur. *Omne, quod dat* *Io. 6.*
mihi Pater, ad me veniet: hoc eſt, in me credet, vt Auguſtinus *De praed.*
exponit. Item illud, *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit; ve-* *San. c. 8.*
nit ad me. Remota eſt, inquit Auguſtinus, *à ſenſibus carnis ſchola,* *vbi ſup.*
in qua Pater auditur, docens per Spiritum, vt veniatur ad Filium. Gratia enim veniendi ad Chriſtum, quae occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet, vt veniatur ad Filium; aufert cor lapideum, & dat cor carneum; ſicut Propheta *Ez. 11.*
praedicante promiſit. Sic quippe facit filios promiſſionis, & vaſa miſericordiae; quae praeparauit in gloriam. Quis vnquam cum de fide, vel de acceſſu ad Chriſtum, ſermo eſt; aut opera iactauit, aut merita? cùm ſemper in Eccleſia, Auguſtini do- *De pr. &*
ctrina, regnauerit; quam ſubijcio. *Homines nullis exiſtenti-* *gra. ca. 10.*

bus meritis vocantur; vocati, vt aliquid boni operentur, Dei adminiculo egent. Quod probat Apostolus hoc testimonio. *Miserear, cuius miserebor: & misericordiam praestabo, cui misericors fuero*: vt prima sit misericordia vocationis; quae sola non sufficit, si deserat, qui vocauit: ac per hoc, secunda sit misericordia operationis. At verò opera, quae merita de congruo nostri appellant, vos magno conuitio exsibilatis, & exploditis: quid aliud apud nos sunt, nisi quae diuina antecedente gratia, & non sine aliqua fide (vt de Cornelio scribit Augustinus) ab his fiunt, quos primo leuiter, ac sensim præparare, ac paulatim habiles reddere, deinde salutari Iesu Christi cognitione, ac fide pleniùs, atq; perfectiùs informare, atq; adeo implere voluerit? Quae tum à nobis requirit Deus, cùm praecipit, vt ad eum conuertamur: tum efficit, cùm ad se nos volentes quidem, & diuinae gratiae cupidos conuertit. Quare cum præcipit ille; *Conuertimini ad me*: precandum est nobis; *Conuerte nos Domine ad te*. Vt, quemadmodum suprà ex Augustino recitauimus, lege operum dicat Deus; *Fac quod iubeo*: lege fidei dicamus Deo; *Da quod iubes*. Quis deniq; aliud illum humanae salutis pretium effinxit, praeter vnā Christi, Filij Dei, sanguinis largam pro nobis effusionem, ex diuina eius erga nos charitate fluentem: cuius gratiam consecuti, vitam promeremur, & salutem sempiternam? Nam (vt Augustinus ait) non datur gratia secundum aliqua merita; sed bona omnia efficit merita.

Ro. 9.

De præd. San. c. 7.

Quæst. 19.

De præd. San. c. 2.

QVAESTIO VIGESIMA SEXTA.

De Christo Iesu liberatore, legislatore, & iudice.

LOCVS VIGESIMVS SEXTVS.

Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

HIS verbis, quibus purissima continetur gratiae, & iustitiae Christianae praedicatio, offert mihi Paulus Iesum Christum; quem & mihi beneuolum describit liberatorem meum: qui sua morte legis seruile iugum à mea ceruice deiecerit: à quo in omnibus mihi con-

conscientiae molestijs, & angoribus omnis consolatio petenda sit. Vos longè alium, & planè totum ab hoc, quem dico diuersum mihi Christum ostenditis: legislatorem, iudicem, exactorem, tyrannum: & qui maiorem habeat ad deterrendũ, quàm ad cohortandum vim: maiorem perdendi, quàm seruandi potestatem.

REFVTATIO.

AN non Paulus idem, Christum Iesum legislatorem facit, qui in lege Christi se esse confitetur? De qua obsecro lege loquitur, cum inquit primùm: *Plenitudo legis est dilectio.* Deinde: *Per charitatem seruite inuicem: omnis enim lex in vno sermone impletur. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Deniq;. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi?* An non iudicem? suum primùm, cum ait. *Qui iudicat me, Dominus est.* deinde omnium, cum praecipit. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuiq; à Deo.* An nõ huius iudicij horribilem terrorẽ attulit, cum ad Romanos scripsit. *Secundum duritiã tuã, & impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, & reuelationis iusti iudicij Dei: qui reddet vnicuiq; secundum opera eius: ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati; ira, & indignatio.* Quid? Christus ipse Iesus nonne se iudicem esse saepissimè declarauit? cùm apud Matthaeum dixerit. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.* Et apud Ioannem. *Pater omne iudicium dedit Filio: & sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere.* Cuius iudicij terribilem nobis formã, quam intentis animis contemplaremur, reliquit. Nonne legislatorem, cum mala Scribarum, & Pharisaeorum interpretatione deprauatam diuinorum mandatorum disciplinam restituit, & corrigit, & ea insuper addit, quibus adiuti firmiores, & ualentiores ad mandatorum Dei obedientiam peruenire possimus? Tyrannus verò nulla ratione dici potest is, cuius lex

Ro. 13. Gal. 5. Gal. 6. 1. Cor. 4. Ro. 2. Matt. 16. Io. 5. Matt. 25.

lex in gratia Spiritussancti, quae per fidem datur, potissimum posita est: cuius vi, nostra sponte, ac liberè, legi obtemperamus. Quare Paulus legem Christi, legem spiritus vitae in Christo Iesu appellat: qua liberatum se esse dicit à lege peccati, & mortis. Qua etiam ratione Augustinus inquit. *Plenitudo legis, charitas. Haec non in tabulis conscripta lapideis; sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum, qui datus est nobis. Lex ergo Dei, est charitas.* Et quid sunt leges Dei ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi ipsa praesentia Spitussancti, qui est digitus Dei, quo praesente diffunditur Charitas in cordibus nostris, quae plenitudo legis est, & praecepti finis? Integrum igitur vobis Christum ostendimus; quem Paulus, & qualem se ipse describit, qui terreat, & consoletur: praecipiat, & adiuuet: liberet à iugo seruili, ac durissimo legis, & suum imponat suaue, & leue, sub quo requiem inueniamus animabus nostris.

Ro. 8.

De Spiritu & littera ca. 17.

QVAESTIO VIGESIMA SEPTIMA.

De gratia Christi, quomodo per legem abijciatur.

LOCVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

Non abijcio gratiam Dei.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

ABIICERE gratiam, est legi ea opinione adhaerere, quasi per eam homo iustitiam possit adipisci. Quod qui facit, Christum relinquit, salutarem corporis, & sanguinis eius hostiam: & quod horrendum dictu est, non vult per hoc inaestimabile pretium saluari, sed per iustitiam, aut legis, aut suam propriam satisfacere pro peccatis, & gratiam promereri. In quo errore vniuersus terrarum orbis hodie versatur.

REFVTATIO.

ABIICERE gratiam, id prorsus est, quod in argumento explicatur: ad cõparandam scilicet gratiam atq; iustitiam, legem sibi proponere. Quare Paulus adiunxit. *Nam si per legem iustitia, Christus gratis mortuus est.* Pestilentissimum hunc errorem, in quem ab hæreticis, & falsis apostolis abducti Galatæ fuerant, coarguere semper, & ex suis omnibus finibus expellere, atq; exterminare Catholica studuit Ecclesia; tantum abest, vt in eo versata vnquam fuerit. Qua de re quid Augustinus senserit, qui inter magistros optimos, Cœlestino summo Pont. teste, habitus semper fuit; ex ijs, quos subiũgam, illius lucubrationum locis, omnes intelligent. In eo primũ libro, quo selectas quasdam ex Epistola ad Rom. sententias explanandas suscepit, sic loquitur. *Per legem cognitio peccati. Non enim ablatio peccati est: quia per solam gratiam aufertur peccatum. Bona ergo lex: quia ea vetat, quae vetanda sunt: & ea iubet, quæ iubẽda sunt. sed cum quisquam illam viribus suis putat implere, non per gratiã liberatoris sui; nihil ei prodest ista præsumptio.* In libro deinde De spiritu, & litera: *Iustificati* (inquit) *gratis per gratiam ipsius. Non itaq; iustificati per legem: non iustificati per propriã voluntatem; sed iustificati gratis per gratiã ipsius: non quòd sine voluntate nostra fiat; sed voluntas ostenditur infirma per legem: vt sanet gratia voluntatem, & sana voluntas impleat legem; non constituta sub lege, nec indigens lege.* Deniq; in libro de gratia & lib. arb. inquit. *Sicut ijs, qui volentes in lege iustificari, verissimè dicit Apostolus; si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: sic & ijs, qui gratiam, quam commendat, & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur; si ex natura iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Disiunctissimi igitur, & inter se maximè diuersi sunt, qui per propriam, aut legis iustitiam, gratiam quærunt (quod qui faciunt gratiam ipsam reijciunt) ab ijs, qui post adeptam absque vllo merito gratiam, gratiae ipsius adiumento, vitam omnem ad legis praecepta instituunt, & moderantur: vt (quemadmodum Augustinus inquit) gratia mereatur augeri, & aucta perfici: id quod Catholica tenuit semper, & praedicauit Ecclesiae sanctae communio.

14. Cap. 9. Cap. 13. Epist. 106.

QVAE-

QVAESTIO VIGESIMA OCTAVA.

De gratia Christi, quæ nullo merito, sed gratis accipitur.

LOCVS VIGESIMVS OCTAVVS.

Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SI vllo merito, siue congrui appelletur, siue condigni, gratiam, aut iustitiam contingere dixerimus, & Pauli hoc loco verba prudenti iudicio expenderimus; rationis huius conclusionem effugere nulla ratione poterimus: ergo Christus gratis mortuus est. Quae blasphemia est intolerabilis. Diuinàne maiestas, ac summa illa rerum omniũ moderatrix prouidentia, sine vlla causa, necessitate, fructu, proprio Filio suo non pepercerit, & morti illum turpissimè addixerit.

REFVTATIO.

NVLLO quidẽ nostro merito, Dei gratia nobis contingit; quae tota vnius Iesu Christi merito, qui nasci pro nobis, cruci affigi, & mori voluit, accepta referenda est: vni inquam decorae illi, gratæq; hostiae, qua quidem non vlla alia Deus placari potuit. Nam de *Quaest. 25.* merito, quod congrui appellant, quid sentiendum sit, paulò superius expositum est. Pro hac sententia contra Pelagium tuenda vehemens, & pugnax cum alijs sanctis patribus fuit *Epist. 105.* Augustinus; qui ad Sixtum ita scripsit. *Nullàne igitur sunt merita iustorum? sunt planè; quia iusti sunt: sed vt iusti fierent, merita non fuerunt; iusti enim facti sunt: cum iustificati sunt: sed (sicut dicit Apostolus) iustificati gratis per gratiam ipsius. Cùm igitur huic gratiae inimici, infestiq; sint Pelagiani, Pelagius tamen in Ecclesiastico iudicio Palæstino (non enim aliter inde impunitus exisset) anathematizauit eos, qui dicunt; gratiam Dei secun-*

secundum merita dari. Sed nihil aliud in eorum etiam posterioribus disputationibus inuenitur, quàm meritis dari etiam gratiam: de cuius commendatione maximè ad Romanos Apostolica Epistola loquitur: vt inde se praedicatio eius, velut à capite orbis toto orbe diffunderet, ea est enim, qua iustificatur impius: idest fit iustus, qui priùs erat impius. Et ideo percipiendae huius gratiae, merita nulla praecedunt: quoniam meritis impij non gratia, sed poena debetur, nec ipsa esset gratia, si non daretur gratuita; sed debita redderetur. Ad Paulinum praeterea Dauidis verba, piè, sanè, & sanctè expendens, scribit. *Deus susceptor meus es:* & tanquam requirens, quibus id meritis fuerit consecutus: nihilq; in se inueniens ante gratiam Dei: *Deus meus* (inquit) *misericordia eius praueniet me.* Quantumcunq; (inquit) cogitauero antecedentia merita mea, misericordia praueniet me. Nec ob aliud meretur ampliora, nisi piè, fideliterq; sciendo, à quo sibi bona sunt omnia: & hoc sciendo non ex seipso; ne vel hoc sit in eo, quod non sit ex Deo. Vnde optimè Apostolus: Nos (inquit) non spiritum huius mundi accepimus, sed spũm, qui ex Deo est: vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis: ac per hoc, & ipsum hominis meritum, donum est gratuitum. Huic ergo sententiae si quis cõtradixerit; vt vel meritum aliquod ante gratiam collocet; vel merita multa ex gratia oriri neget; is non modò argumenti huius reprehensionẽ effugere non poterit, sed in hæreticorũ hominum numero referendus est. Epist. 106

QVAESTIO VIGESIMA NONA.

De iustificationis initio, progressu, & fine, exemplo Abrahae.

LOCVS VIGESIMVS NONVS.

Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VM Domini nostri Iesu Christi morte, & resurrectione, mea mors deuicta, iustitiaq;, & vita æterna mihi donata sit; an non ego amens sim, si immẽso hoc, & infinito abiecto, contemptoq; pretio, iu-

ſtitiam, aut vitam ſempiternam per legem quaeram, vel per alia quaeuis opera mea? quae prae hoc tali, tantoq; pretio, viliſsima, ac pro nihilo planè cenſenda ſunt. Id quippe eſſet, reipſa fateri, Chriſtum gratis mortuum eſſe: Filium Dei conculcare: ſanguinem teſtamenti pollutum ducere: ſpiritui gratiae, inſignem contumeliam facere.

Heb. 10.

REFVTATIO.

ECQVIS in Eccleſia catholica ſomniauit vnquam, quaerendam eſſe iuſtitiam, aut beatam vitam, per legem, aut per alia quaeuis opera, reiecto, aut poſthabito Chriſti mortis, & reſurrectionis pretioſiſsimo pretio? Id certè eſſet inter inſanos eſſe inſaniſsimum. Siue igitur nos, ſiue Angelus de coelo ſic doceat; anathema ſit. Omnis noſtra ſpes, omnis fiducia, quantumuis diuinae legis mandatis obtemperantes, benè, beateq; viuamus, vna in mortem, & reſurrectionem Chriſti fide, tanquam fundamento firmiſsimo, nitatur, neceſſe eſt. Hac vna nixi confidimus: hac vna ſuſtentamur: tantùm abeſt, vt Chriſtum reiiciamus, vel gratis mortuum eſſe concedamus. Actiones enim, quibus non ipſam iuſtitiam, quae gratuita eſt, ſed eius incrementum tribuimus: non ex earum vi, atq; momento aeſtimamus, ſed ex fidei fundamento: quod tanti eſt, vt quod ſuperaedificatur, aurum, argentum, lapides pretioſos Paulus appellet: non eſt noſtra virtute, ſed Spiritusſancti gratia: cui tanquam perfectae, & principali omnis verae iuſtitiae cauſae, quaecunq; rectè & iuſtè aguntur, aſsignanda ſunt. Propterea cùm dixiſſet Paulus. *Abundantiùs omnibus laboraui*; adiecit. *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum*. Non ex humano aliquo fine, ſed illo duntaxat, ad quem Spiritusſancti gratia dirigimur. Is eſt non noſtra, ſed Dei, Chriſtiq; gloria, qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Qua ratione Paulus cū Dauidis oraculū citaſſet. *Propter te mortificamur tota die: aeſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis*; adiecit. *Sed in iis omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos*. Sed haec omnia, quibus vera catholicae continetur Eccleſiae de iuſtificatione fides, ac praedicatio, in Abrahae iuſtificatione; quam, vt omnis iuſtificationis exemplar, Paulus ſaepe propoſuit; non adumbrata, ſed expreſſa, acri, attentoq; animo intueamur. In ea ſiquidem videre primum

1. Cor. 3.
1. Cor. 15.
Rom. 8.

mum est, fidem: quae omnis est verae, ac solidae apud Deum iustitiae fundamentum. Nam dicitur. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam.* De operibus deinde illi praecipitur, quibus & iustitiam confirmari, & magnos in ea progressus fieri, saepe diximus. Dixit enim illi Deus. *Ego Deus omnipotens:* protector scilicet ille tuus; *& merces tua magna nimis: ambula coram me.* Ab initijs fidei profectus per viam mandatorum meorum ad augendam iustitiam longè progredere: me videlicet praesente, inspectante, adiuuante. *Et esto perfectus.* Per iustitiae incrementa, ad eam enitere, & contēde beatissimam iustitiae absolutionem, & perfectionem; in qua, omni extincta, quae perfectae iustitiae repugnat, atque resistit, humana cupiditate, sola charitas regnat. Quae quidem perfectio (vt Augustinus docet) tanquam praesentis iustitiae futura merces, speranda est: quae tum quidem iustis continget, cùm nihil erit in eis, quod resistat spiritui; sed omnia sibimet concordia, coniuncta, & connexa, vnum aliquid firma pace custodient. Quod fiet, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem; & mortale hoc immortalitatem. Haec corona potiùs iustitiae, quàm iustitia dicenda est: de qua Augustinum adhuc Pauli de seipso loquentis verba expēdentem audiamus. *Paulum* (inquit) *quem certè inuenimus sine vllis meritis bonis, immo cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum, reddentis bona pro malis; videamus, quid dicat appropinquante iam eius passione, scribens ad Timotheum. Ego enim iam immolor* (inquit) *& tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certaui; cursum consummaui; fidem seruaui. Ista vtiq; iam merita sua bona commemorat, vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Deniq; attēdite, quid sequatur. Superest* (inquit) *mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Cui redderet coronam iustus iudex si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona iustitiae, nisi praecessisset gratia, quae iustificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi illa gratuita donaretur.* Iam ergo liquet, quae sint verae iustitiae initia, qui progressus, qui finis: vt nemo nobis amplius obijcere possit, vel quòd Christū Iesum, tanquam gratis mortuum reijciamus; vel quòd nostris viribus, operibusq; vilissimis nitamur, & confidamus.

Gen. 17.

Gen. 15.

De spiritu & littera cap. vlt. Lib. 80. q. q. 66.

De gratia, & lib. arb. cap. 6.

sanguinis Christi. At verò de lege ex ijs, quæ ad Romanos Paulus, & in hac ipsa Epistola ad Galatas, scripsit, sic argumentatur. *Sunt, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti. Quae est autem iustitia Dei, de qua hic loquitur; consequenter aperit, adiungens, Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Hanc itaq; iustitiam Dei nō in praecepto legis, quo timor incutitur; sed in adiutorio gratiae Christi, ad quam solam vtiliter legis velut pædagogi, timor ducit, constitutam esse, qui intelligit, ipse intelligit, quare sit Christianus. Nam si per legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis mortuus est; in illo solo iustificatur impius, cui credenti in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius.* Ne verò quisquam opinione fallatur, & in loco lubrico, ac periculoso praeceps cadat; illud diligenter animaduertat, verba haec. Fides deputatur ad iustitiam; non ita esse accipienda, vt hoc significent, in vna fide positam esse iustitiam perfectam, & absolutam, sed ita potiùs, vt nos doceant; fide, tanquā verae iustitiae principio, & fundamento, ad iustitiam, & iustè, pieq; viuendi gratiam, fieri progressionem. Qua de re Augustinum audiamus: cuius in hac disputatione iudicium alijs omnibus antepono. Qui cùm comparandae iustitiae rationem in seipso, non puer, sed iam grandis, esset expertus; ad Pauli doctrinam diligenter examinandam, suoq; momento ponderandam accessit. Is igitur ita loquitur. *Mādata sancta, & bona vt possit homo facere, Deus operatur in homine, per fidem Iesu Christi; qui finis est ad iustitiam omni credenti: idest; cui per spiritum incorporatus, factusq; membrum eius, potest quisque, illo intrinsecus incrementum dante, operari iustitiam; de cuius operibus etiam ipse dixit: Quia sine me nihil potestis facere. Ideo quippe praeponitur iustitia legis, quòd qui fecerit eam, viuet in illa: vt cùm quisque infirmitatem suam cognouerit, non per suas vires; neq; per literā ipsius legis, quod fieri non potest; sed per fidem concilians iustificatorem, perueniat, & faciat, & viuat in ea. Opus enim, quod qui fecerit, viuet in eo, non fit nisi à iustificato; iustificatio aūt ex fide impetratur.* In eandem sententiam loquitur, Dauidis carmen illud expendens. *Quàm multa multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te: perfecisti autem sperantibus*

Vbi supra cap. 1.

De spiritu, & litera cap. 29.

tibus in te. Ex lege (inquit) timemus Deum: ex fide speramus in Deum. Sed timentibus poenam, absconditur gratia: sub quo timore anima laborat, quando concupiscentiam malam non vicerit; nec timor ille, quasi custos seuerus, abscesserit. Quare per fidem confugiat ad misericordiam Dei; vt det, quod iubet, atq; inspirata gratiae suauitate, per Spiritũ sanctum faciat plus delectare quod praecepit, quàm delectet, quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis eius, hoc est lex fidei, charitas eius conscripta in cordibus, atq; diffusa perficitur sperãtibus in eum; vt anima sanata, non timore poenae, sed amore iustitiae operetur bonum. Hoc igitur argumento contra nos nemo vtatur, sed cõtra eos, qui vel natura, vel lege veram apud Deum parari posse iustitiam opinantur.

Vbi sup.

QVAESTIO TRIGESIMA PRIMA.

De Monachorum professione, quem habeat ad iustitiam respectum.

LOCVS TRIGESIMVS PRIMVS.

Ante quorum oculos Iesus Christus praescriptus est, & in vobis crucifixus.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SI tam acerbè, & tã asperè Galatas accusat Apostolus, vt eos, quòd in lege diuina iustitiam, & salutem quaererent, tanquam deterrimos Iesu Christi hostes, denuo illum morte, cruciatu, cruce affecisse dicat; quibus quaeso conuitijs, quibusuè maledictis onerandi, ac verberandi sunt, qui salutem, & vitam aeternam se cõsecuturos praedicant? quia monachi sunt? quia capite rasi? quia cucullum induti? quia vel huic, vel illi viuendi rationi, ac regulae addicti, sordes humanae iustitiae sectantur? qui longiùs in dies ad impietatem procedentes, id vitae genus, nouum baptismum esse docent. Multò certè deteriores sunt eiusmodi homines, atq; detestabiliores, quàm illi, quorum immanis in Iesum Christum, & barba-

barbara crudelitas expleri non poterat, nisi eum & cruci suffixum, & mortuum spectarent.

REFVTATIO.

TOTVM hoc argumentum ex mendacijs, ac vanitate compositum, atq; confictum est, vt ne pilũ quidẽ habeat veritatis. Primùm, quis concedat, Paulum hoc loco scelus illud Galatis obijcere, quòd Iesum Christum in crucem agerent, ea ratione, quòd in lege diuina iustitiam quaererent, & salutem? Alienum certè hoc est ab Apostoli germano sensu, & eorum omnium, qui locum hunc accuratè, & diligenter contemplati expenderũt. Memoriam enim renouat Paulus, tum eorum, quae de Christi Iesu cruce, & morte, sua praedicatione depinxerat: quare inquit. *Ante quorum oculos Iesus Christus praescriptus est*: tum baptismi, quo sanctissimo mysterio dicitur in nobis Iesus Christus crucifigi, quemadmodum in nostris commentariolis enucleatè scripsimus. Verùm vt liberum cuiq; sit, Augustini, aut Chrysostomi in huius loci explicatione sententiam sequi; quibus verbis, eorum vterq; locum hunc explicauerit, atq; excusserit, adscribam Augustini verba. *Cùm dixisset Apostolus Iesus Christus praescriptus est; addidit; crucifixus; vt hinc eos maximè moueret; cùm considerarent, quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat.* Chrysostomi verba. *Atqui non apud Galatas, sed Hierosolymis crucifixus fuit. Quomodo igitur dicit; in vobis? Vt fidei vim ostenderet, quae possit & procul dissita cernere. Nec dixit; crucifixus est; sed, praescriptus est, crucifixus, Indicans, eos oculis fidei exactiùs perspicerent, quàm ij, qui praesentes affuerant, eaq; quae gerebantur, conspexerant. Illorum enim, qui spectarant, complures nullum inde fructum retulerunt: hi verò, quae oculis ipsis non viderant, tamen per fidem euidentiùs viderant.* Praeterea quis tam excors vnquam fuit, qui de monachorum vitae genere ea finxerit, quae secundo loco in argumento assumuntur? Eligendum est hoc vitae genus, non vt per ea, quae in hac, vel illa regula praescribuntur, aut iustitiam, aut salutem consequamur: verùm potiùs, vt Christianam iustitiam, quae tota, in fide, spe, & charitate, posita est, Dei, & Domini nostri Iesu Christi benignitate, & gratia adepti, minore negotio, atq; impedimento nobis tueamur,

In epist. ad Gal.

&

& conseruemus, atq; adeo in ea proficiamus, relectis omnibus, cum externis, tum corporis, atq; etiam animi impedimentis: quibus irretiti pleriq; ab euangelicae charitatis perfectione, & absolutione retardantur. Qua de re Moses sanctissimus Abbas, in familiari patrum colloquio dicere consueuerat: Ieiuniorum inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem, caeterasq; virtutes, debere nos suscipere nouerimus, vt ad perfectionem charitatis istis gradibus possimus ascendere. Quare magnus ille parens noster Augustinus, quo duce, & magistro tot militant monachorum agmina, regulae, quam nobis reliquit, initio, finem proposuit, ad quem contendere & praecepta sua omnia referre debeamus. *Ante omnia (*inquit*) Fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus*. Respicit igitur monachorum status christianae iustitiae, hoc est charitatis, conseruationem, & incrementum: cui salutis aeternae praemium propositum est. Neque monachorum professio nouus baptismus dicitur, quòd baptismo omni ex parte aequetur, quemadmodum malitiosè sanè, & vafrè comminiscuntur illi, quorum nunc argumentum examinamus: sed quòd nonnullam habeant inter se similitudinē. Est enim monachorum professio, nouum quoddam vitae genus, quo illa quoq; quae christianis legibus, & institutis conceduntur, & licita sunt, refutantur, ac reijciuntur, vt liberius fidei, spei, & charitatis coli possint officia. Neq; verò à ratione alienum reputari debet, si ea professione peccatorum quoq; omnium veniam concedi existimemus, modò ita intelligamus, ea oblatione supplicijs omnibus, ac poenis satisfieri; quarum rei saepenumero remanent illi, quibus Domini nostri Iesu Christi gratia, & merito, culpa omnis condonata est. Hanc autem monachorum professionem, holocausto non Aegypti, sed heremi, simillimum esse voluit, maximus ille Pont. Gregorius Romanus.

Tho. 2. 2. q. 156. art. 1. Coll. 1. in c. 1.

Monachorum professio quomò baptismus dicatur.

Tho. 2. 2. q. 189. art. 3.

In Ezech. Hom. 20.

QVAESTIO TRIGESIMA SECVNDA.

De iustitiae comparandae ratione, & via.

LOCVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?

AR-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

APOSTOLI hoc loco argumētatio haec est. Duae tãtùm dici possunt ad comparandam iustitiã viae; praeter quas nulla fingi, aut excogitari potest: lex, & fides. Ex lege nemo vnquam legitur Spiritumsanctum accepisse; ex sola fide multi. Tria enim illa hominum millia, quae, audito sermone Petri, crediderunt; ex fide, Spiritussancti donum acceperunt: & in omnes illos, qui vnà cum Cornelio, Petri verbum audiebant, adhuc loquente Petro, cecidit Spiritussanctus. Quòd si nemo Spiritumsanctum accepisse legitur ex lege; ex sola verò verbi Dei auditione, & fide plurimos; solam, & vnicam profectò relinquitur ad iustitiã, & Spiritumsanctum esse fidei viam. Quamobrem Petrus cùm à Iudaeis accusaretur, quòd in domum hominis à circuncisione, & lege alieni, introisset; rei totius explicata serie: *Cùm coepissem* (inquit) *loqui, cecidit Spiritussanctus super eos, sicut & in nos ab initio. Si ergò eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum?* Ierosolymis quoq; hac eadem de re in Apostolorum, & seniorum Concilio commemorans: *Scitis* (inquit) *quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Et, qui nouit corda, Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritumsanctum, sicut & nobis: & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.*

Act. 2. *Act. 10.* *Act. 11.* *Act. 15.*

REFVTATIO.

NOSCERE videtur hoc argumentum, vt iustitiae parandae rationem, & viam (quod in alijs quoque nostris libris fecimus) enucleatè tradamus: ne quis in hac disceptatione, quam fastidiosè isti, & vafrè locis omnibus inculcant, per imprudentiam capiatur. Nemo vnquam, nisi acerrimus, non doctrinae Pauli, sed diuinae gratiae aduersarius, asseuerauit, posse hominem vna tantùm lege adiutrice, diuinam sibi beneuolentiam conciliare; iustitiam adipisci; recta ad salutem sempiternam proficisci. Nemo rursus in sacris literis versatus, & exercitatus; nemo ad pietatem, & salutem ita instructus, vt alijs ad haec viam mō-

strare posset; non solùm negare, sed ne dubitare quidem vnquam est ausus, quin ad iustitiam, & salutem adipiscendam, magno nobis esset adiumento lex. Nam cùm legis officium sit, nos ipsos nobis ostendere, hoc est animi nostri inuolutam, complicatamq; notionem euoluere, atq; explicare; peccata primùm nostra nobis patefacit: quae cùm horribilia sola sint, & pertimescenda, metum incutiunt: sine quo quicunq; est (vt scripsit Sapiens) non poterit iustificari. Auget hunc metum vehementissimè, quod secundo loco lex efficit: vt generis nostri scilicet imbecillitatem, fragilitatem, miseriam, sentiamus, experiamurq;: quâ fit, vt neq; nostro ipsi morbo mederi possimus, neq; cauere, quin in dies ingrauescens acerbissimum afferat interitum. Lex igitur etsi prae grauissimis carnis, ac naturae nostrae morbis, infirma, & imbecilla ad medendum ipsa est: his tamen, quasi calcaribus, admotis, hominem peccatorum veniam, & aegritudinum suarum sanationem per fidem, & gratiam Domini nostri Iesu Christi requirendam, tanquam ad praesentissimum remedium, mouet, & impellit. Hinc Paulus Apostolus cùm in ea, quam ad Romanos scripsit, Epistola, dixisset; *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo;* statim adiecit de legis officio ad iustitiam necessario: *Per legem enim cognitio peccati.* Cũ etiam probasset, iustificari hominem per fidem sine operibus legis; ne quis ex ea conclusione, legem penitus irritam, & ad iustitiam quaerẽdam, inanem, ac nullam esse duceret; quaestiunculam ipse sibi posuit, ac diluit, dicens; *Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.* Nam illi proprium suum officium, ac munus assignantes, docemus, quomodo illa oporteat legitimè vti. Quaerit enim Augustinus. Quid est legitimè vti lege? Ac respondet: per legem agnoscere morbum suum, & quaerere ad sanitatem, diuinum adiutorium. In Epistola quoq; ad Galatas, cùm dixisset Apostolus, haereditatem Abrahae promissam, ex lege capi non posse; addubitauit protinus: *Quid igitur lex?* Quasi dicat (vt Augustinus explanat) quae vtilitas legis? Respondet. *Propter transgressionem posita est.* Hoc illud est (Augustinus inquit) quod in Epistola ad Rom. scripsit. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Sed vide, quid addidit: *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia:* quia leuiore aegritudine contemnebatur adiutorium medicinae; creuit morbus; quaesitus est medi-

Eccl. 1.
Rom. 8.
Rom. 3.
Rom. 3.
1. Tim. 1.
De ver. Ap. Ser. 13.
Gal. 6.
Vbi sup.
Rom. 5.

medicus. Cùm etiam negasset, latam fuisse legem, quae vitam afferre posset, veramq; iustitiam; officij legis non immemor adiunxit: *Sed cōclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Quem quidem locum Augustinus expendens, inquit. *Nonne satis ostenditur, hoc actum esse per legem, vt peccatum agnosceretur, & praeuaricatione augeretur? Vbi enim lex non est, nec praeuaricatio: & sic aduersus victoriam peccati, ad diuinam gratiam, quae in promissionibus est, confugeretur: atque ita lex non esset aduersus promissa Dei: quia ideo per illam fit cognitio peccati, & ex praeuaricatione legis, abundantia peccati: vt ad liberationem quaerantur promissiones Dei, quod est gratia Dei: & incipiat esse in homine iustitia, non sua, sed Dei, hoc est, data dono Dei.* Non poterat autem aptiore exemplo totum legis officium, totamq; vim concludere, atq; definire, quàm fecerit, cum dixit. *Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christum, vt ex fide iustificemur.* Paedagogi nanq; officium est, puerum ad praeceptorem, qui erudire possit, deducere. Quia verò diximus, cum hoc legis officio coniunctum esse timorem; ne ex nostra, non Apostoli Pauli sententia id dixisse videamur, audiamus primùm, quid Romanis scripserit. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Audiamus deinde, hunc locum quàm diligenter expendat Augustinus. *Si alius* (inquit) *esset spiritus seruitutis, alius libertatis; non diceret Apostolus: Iterum. Idem ergo spiritus: sed in tabulis lapideis, in timore; in tabulis cordis, in dilectione. Timor seruus est, charitas libera est: & (vt sic dicamus) timor est seruus charitatis. Ne possideat Diabolus cor tuum, praecedat seruus in corde tuo, & seruet dominae venturae locum. Fac fac vel timore poenae, si nondum potes amore iustitiae; veniet domina, & seruus abscedit, quia consummata charitas foras mittit timorem:* de qua dicitur. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater.* Docendum ergo semper cum Apostolo; legem neq; per se solam sufficere; neq; frustra fuisse à Deo datam. Igitur à lege ad fidem; à Mose ad Christum; à paedagogo ad magistrum deducti; quid nobis ad iustitiam fides largiatur, diligentiùs explanemus. Multus quidem, & frequens in ea fuit sententia Apostolus, vt iustitam affirmaret, non alia posse ratione comparari, quàm ex fide, aut per fidem. Quod ego (Augustino interprete) sic accipiendum duco:

Gal. 3. — Epist. 95. — Gal. 3. — Rom. 8. — August. de verb. Ap. Ser. 13. — 2. Cor. 3. — Rom. 8. — Rom. 3. 9. Gal. 2. 3. — De spū, & lit. c. 29.

duco: quia per fidem; non solitariam illam quidem, quemadmodum Catholicae Ecclesiae aduersarij hoc tempore peruersè interpretantur; sed cum poenitentia, & Ecclesiae sacramentis coniunctam, atq; sociatam, Spiritussancti gratiam impetramus: qua peccara nobis condonantur omnia, & iustè viuimus, hoc est diuinis mandatis obtemperamus, non terrētis poenae metu; sed magno erga Deum amore inflammati: non paedagogo vrgente; sed charitate Deo nos conciliante: non tanquam serui; sed tanquam liberi, ea libertate, qua Christus nos liberauit. Sed age hanc interpretationem, Petri primùm Apostolorum principis auctoritate sanciamus: summi deinde huius disciplinae doctoris Augustini, non vno, sed pluribus confirmemus testimonijs. In prima Petri concione,
Act. 2. quae in Actis legitur Apostolorum; cuius in argumento mētio facta est; qui iustitiam adepti sunt, hominum circiter tria millia, legis primùm in seipsis vim, atq; officium sensère. Nā cùm de grauissimo gentis illius peccato dixisset Petrus: *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis*; cōpuncti sunt corde, ac Petro, reliquisq; Apostolis dixerunt: *Quid faciemus viri fratres?* Quibus Petrus non solitariam proponit fidem; sed cum poenitentia, & baptismi sacramento coniunctam: sic enim veram, & solidam parit, profertq; iustitiam: quae in remissione peccatorum, & gratia Spiritussancti, qua rectè, pieq; viuimus, posita est. Petrus igitur ita respondit. *Poenitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissione peccatorum vestrorum: & accipietis donū Spiritussancti.* Augustinus verò, non semel, sed saepius, hanc ex fide, siue per fidem adipiscēdae iustitiae rationem exposuit. In ea enim, quam pro patribus Carthagineñ. Concilij, ad Innocentium Papam scripsit, Epistola, sic de Pelagianis loqui-
Epist. 90. tur. *Nullum relinquunt locum gratiae Dei: qua Christiani sumus: qua & ipsum nostrae voluntatis arbitrium, verè fit liberū, dicēte Domino: Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Quod auxilium fides impetrat, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* Et in ea, quam ad eundem Pont. pro quinq; Episcopis scripsit, Epistola: *Doctrina* (inquit) *Apostolica gratiā appellat, qua saluamur, & iustificamur ex fide Christi*. Et paulò post in eadem Epistola: *A corpore mortis huius, vbi alia lex repugnat legi mentis, neminem liberauit, aut liberat sua possibilitas; quae perdi-*

ta, redemptore indiget; faucia, saluatore: sed gratia Dei, per fidem ipsius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu: qui & Deus cùm esset, hominem fecit: & manens Deus, homo factus, refecit ipse, quod fecit. Apertiùs non multò post. *Ante tempus legis, & tempore ipso legis, iustos patres, & ex fide viuentes, non possibilitas naturae infirmae, & indignae, ac vitiatae, & sub peccato venundatae; sed Dei gratia per fidem iustificauit: & nunc eadem in apertum iam veniens reuelata iustificat.* In eo verò libro, quem de spiritu inscripsit, & litera: *Opus* (inquit) *quod qui fecerit, viuet in eo; non fit, nisi à iustificato: iustificatio autem ex fide impetratur.* Quomodo verò impetretur, in lib. de praed. Sanctorum, sic explanauit. *Ex fide ideo dicit Apostolus, iustificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur caetera, quae propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur.* Deniq; quia sanctissimi huius doctoris testimonia colligendi nullus vnquam esset finis; hoc vno ex libro de peccatorum meritis, & remissione rem hanc totam conficiamus. *Legimus* (inquit) *iustificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiae spiritualis: qua quisquis haeret Domino, vnus spiritus est.* Ex ijs ergo nõ obscurum esse arbitror, quodnam sit legis officium ad iustitiam comparandam, necessariũ. Constat etiam, neq; lege, neq; fide sola, ad iustitiam, hoc est ad peccatorũ veniam, & impunitatem, ac Spiritussancti gratiam, perueniri: ad quam, fide, poenitentia, & Ecclesiae sacramentis, tribus quasi gradibus, ascẽdi decreuit Petrus Apostolorum columen: & quam ipsius fidei merito impetrari, doctorum princeps Augustinus copiosè exposuit. Quanquam autem, quod ad argumentum refellendum attinet, copiosè, & abundanter dixisse videamur: vt omnis ad nouas calumnias intercludatur aditus, & plena, atq; perfecta eius iustitiae, qua ad aeternam salutem pergimus, teneatur ratio, atq; doctrina: operaepretium videtur ad ea, quae disputauimus, hoc quasi corollarium adiungere. Nemo existimet, adepta iustitia, nihil sibi superesse, quod agat ad hanc ipsam iustitiam confirmandam, augendam, perficiendam. Augustinus enim, quo magistro, ac duce in hac quaestione nec decipi possumus, nec errare; cùm de praedestinatione, & vocatione, dixisset: *Praedestinati sumus, antequam essemus: vocati sumus, quando Christiani facti sumus*: de iustificatione adiunxit. *Hoc tertium*

Cap. 29.
Cap. 7.
Lib. 1. c. 10.
De ver. Ap. Ser. 16.
Rom. 8.

tium agitur in nobis. Iustificati sumus: sed ipsa iustitia cum proficimus, crescit. Vnusquisq; ergo in ipsa iustificatione constitutus, accepta scilicet remissione peccatorum per lauacrum regenerationis; accepto Spiritusancto, proficiens de die in diem; videat vbi sit; accedat; proficiat, & crescat, donec consummetur; non vt finiatur, sed vt perficiatur. Perdifficilem alio loco affert de verbis Apostoli quaestionem. *Quid est* (inquit) *quamobrem Apostolus, qui fidem habebat; spem habebat; charitate flagrabat; virtutes operabatur; inuictissimè praedicabat; omnes persecutiones tolerabat; in omnibus patiens, solicitudinem omnium Ecclesiarũ corde gestans; quid est, quamobrem dicat: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim? Paulò deinde post, tanquam sui oblitus, quam se non habere dixerat perfectionem, eam & sibi tribuit, & alijs dicens: Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ad haec, quae pugnantia videntur Apostoli verba, sic respondet Augustinus. *Perfecti, & nõ perfecti: perfecti viatores; nondum perfecti possessores.* Et vt noueritis, quòd perfectos viatores dicat, non habitatores, non possessores; audite, quod sequitur. *Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus, vt reuelet nobis Deus, & quod aliter sapimus. In quo peruenimus, non in eo remaneamus, sed in eo ambulemus. Videtis, quia viatores sumus: dicitis; Quid est ambulare? Breuiter (dico) proficere: ne fortè non intelligatis, & pigriùs ambuletis. Sic cum Deo ambulauère Enoch, Abraham, & omnes Sancti. Adhuc in via sumus: venimus, sed nondum peruenimus. Audiamus ergo monentem Dauidem. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. À qua nunquam aberrabimus, si hanc iustitiam habeamus, augeamus, perficiamus, quousq; dicere liceat. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Quod tunc consequemur, cum sanati erunt omnes languores nostri, & redempta de corruptione vita nostra; nosq; coronati in misericordia, & miserationibus.*

Str 15. Ser. 12. Psal. 2. 1. Cor. 15. Aug. epist. 105.

QVAESTIO TRIGESIMA TERTIA.
De iustitiae absolutione, ac perfectione.

LOCVS TRIGESIMVS TERTIVS.
Sic stulti estis, vt cùm spiritu coeperitis, nunc carne consumamini.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VID est, quod cōtra hunc locum hodie apertè docent Romani Theologi: Iustitiam fide, & spiritu sancto inchoatam, carne perfici, atq; absolui? Carne nanq; designauit Apostolus, quicquid est in homine optimum, ac præstantissimū: summam scilicet, quae in humana ratione sedē habet, sapientiam, & omnem legis iustitiā. Notat autem, ac reprehendit falsos illos apostolos, qui legē apud Galatas vrgentes, sic illos premebat, fides in Christū sola non tollit peccatum, non placat iram Dei, non affert iustitiam. Quae omnia si quis velit adipisci, non in Christum tantùm credat, sed simul etiam legem obseruet; circuncidatur; ferias agat; sacrificia faciat.

REFVTATIO.

ARNIS nomine & hoc loco, & aliàs saepe intellexit Apostolus, quicquid est siue in homine, siue ab homine, ante fidem in Christum, & Spiritussancti donum. Sit igitur humana ratio, quae (vt philosophi dicunt) docet, & explanat, quid faciendū fugiendumuè; caro. Sit appetitus ille etiam, qui rationi obtemperat; caro. Sit lex in omnibus suis operibus, illis scilicet, quae metu pœnae legis, ac tanquam sub paedagogo fiunt; caro. Nulli (quod sciam) Theologorum hodie docent, iustitiam fide, & Spiritu sancto inchoatam, huiusmodi adminiculis consummari, sed mera duntaxat lege spiritus: hoc est charitate, & operibus ex ea fluentibus: quorum ferendorum ratione datur Spiritus sanctus: ac propterea fructus spiritus ab Apostolo nuncupantur, vt ante iam diximus. Non fuit autem illa, quae in argumento fingitur, falsorum apostolorum doctrina, sed merito circuncisionis, & seruatae legis, ad beatam Euangelij iustitiam, gratiam scilicet Domini nostri Iesu Christi, perueniri: cùm contra potiùs legi plenè non possit obtemperari, nisi hac ipsa iustitia, & gratia, gratuito quidem accepta, adiuuante. *Quæst. 16.*

QVAESTIO TRIGESIMA QVARTA.

De Abrahae iustificatione, & fide.

LOCVS TRIGESIMVS QVARTVS.

Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

CCEDAMVS ad antiquissimum, & sanctissimum omnium, qui in Iesum Christum credimus, parentem Abraham: & scrutemur, qua ratione, & via iustitiã adeptus fuerit, & salutem. Non propter egregias quidem virtutes, & sancta opera sua: non quòd patriam, cognationem, & domum patris sui deseruerit: non quòd circuncisionis foedus acceperit, aut legem seruauerit: non quòd iubente Deo, immolaturus erat filium Isaach, in quo tam longa erat illi promissa posteritas: sed quia credidit Deo. Nulla ergo alia re iustitiam consecutus est, & salutem, nisi sola fide: propterea priscum
Gen. 15. oraculum citauit Apostolus; *Credidit Abraham, &c.*

REFVTATIO.

BRAHAM vna fide, exclusa lege, circuncisione, & omnibus legis operibus, iustitiam est assecutus. Quod cõstanter, ac perpetuò docet Apostolus. Hoc enim loco priusquam de iustitia Abrahae, oraculi testimonio, quid esset sentiendum, exponeret; auditum fidei
Gal. 3. operibus legis planissimè opposuit. In Epistola verò ad Romanos, quamuis antequam hoc idem oraculum recitasset, di-
Rom. 3. xerit. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum:* non multò tamen post, de quibus operibus locutus esset, exposuit, dicens: Abrahae fidem ad iustitiam reputatam fuisse, non in circuncisione, sed in praeputio. Cũq; huius rei rationem reddidisset, adiunxit. *Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini eius; sed per iustitiam fidei.* Verùm hanc ipsam iustitiam auxit, & aeternam salutem consecutus est Abraham, ex operibus, non legis, sed spiritus, quem
Iac. 2. per fidem acceperat. Quare non Iacobus tantùm Abraham scripsit, ex operibus iustificatum fuisse, eo quòd obtulisset Isaach filium suum super altare; sed & Paulus ipse Abrahae fi-

dem

dem facit operosam. Sic enim ad Hebraeos scripsit. *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quē accepturus erat in haereditatem: & exijt, nesciens, quò iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena; in casulis habitando cum Isaac, & Iacob, cohaeredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem, ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus. Fide obtulit Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones*. Multaq; in hanc sententiam non modò de Abraham, sed de sanctis plerisq; patribus recenset. Heb.11.

QVAESTIO TRIGESIMA QVINTA.

De Abrahae in iustitia progressione.

LOCVS TRIGESIMVS QVINTVS.

Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

NON hoc tantùm loco, sed perpetuò, & vbiq; tum Moses, tum Paulus, & quicunq; sacrorum librorũ auctores fuère, Abrahae iustitiam tribuunt, non quicquam agenti, sed credenti. Ex quo efficitur, vt sola fide iustitiam fuerit consecutus Abraham, cuius imitatione, omnes illi, ad quos hæreditas Abrahae promissa pertinet, vnius fidei iustitiam, amplexari, fouere, praedicare debent.

REFVTATIO.

NEQVE Abrahae, neq; mortalium cuiquam iustitia tribuenda est, nisi credenti. Quod ego ita accipio; vt neq; Abraham, neq; mortalium quenquam, verè iustum fuisse existimem, priusquã crederet, fideiuè donum à Deo acciperet: quod Augustini verbis suprà confirmauimus, & docuimus. Ex hoc autem illud tantùm efficitur, Quaest. 30. quod Augustinus idem passim docet; fidem esse, vnde omnis Epist. 105.

 iusti-

iustitia sumit initium. Sed haec ipsa fides, pro tuenda, augenda, perficienda iustitia, actuosa sit, necesse est; non ociosa: operosa, non languida: viua, non mortua. Qua ratione Iacobus, cùm de Abrahae sacrificio, & obedientia commemorasset, adiecit. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius.* Quomodo cooperabatur? quia credebat, Isaac filium, quem iugulabat, immensa Dei virtute, cuius mandato parebat, posse reuiuiscere. Cooperabatur etiam, quia cuiuscunq; rectè agentis, mens, atq; consilium fide dirigitur, & sustentatur. Et ex operibus fides consummata est. Consummata dicitur fides ex operibus: quia referenda est fides ad opera, tanquam ad finem, & perfectionem: quemadmodum fundamentum ad aedificium, radix ad fructum. Et impleta est scriptura, dicens. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.* Scriptura, quae hoc oraculo initium duntaxat, fundamentum, & radicem iustitiae Abrahae explicauerat, cõpletur narratione obedientiae eius aduersus Deum, cui crediderat: in qua verae iustitiae absolutio, perfectioq; ponenda est. Totam deniq; hanc quaestionem breuiter illustrans, atq; definiens, inquit. *Videtis, quoniã ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Iac. 2.
Heb. 11.
Aug. ps. 31.
Aug. ibid.

QVAESTIO TRIGESIMA SEXTA.

De differentia eorum, quos ex lege, ab his, quos ex fide esse, dicit Apostolus.

LOCVS TRIGESIMVS SEXTVS.

Qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahae.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

QVID obsecro est, ex fide esse (quae dicendi forma, figuraq; est Apostolo familiaris) nisi omni alia iustitia posthabita, totum se in fide collocare? ex vna fide pendere? in vna fide omnem salutis adipiscendae, spem ponere, omnemq; rationem? Vna igitur fides, illos Abrahae filios, de quibus hoc

loco

loco sermonem habet Apostolus, efficit: iustos scilicet, ac sanctos: in quibus paternae iustitiae, & sanctitatis imago quasi quaedam, conspiciatur.

R E F V T A T I O.

ESSE ex fide, iustitiam excludit, quae ex lege est. cuius vim, atq; naturam vniuersam, hac definitione explicauit Augustinus. *Iustitia ex lege eius est, qui arbitrij sui virtute impleturum se esse confidit, quicquid lex iubet, aut prohibet: nec fide confugit ad spiritum vivificantem, ne reum factum litera occidat.* Quam etiam alio loco complexus, his verbis patefacit, atq; illustrat. *Lege Dei proposita, quisquis tumuerit, & suis viribus eam implere se posse putauerit, & fecerit, quod lex iubet, non amando iustitiam, sed timendo poenam; fuit quidem secundum iustitiam, quae ex lege est, homo sine quaerela.* Sed hac iustitia hominem non effici re vera iustum, pulcherrimis ostendit comparationibus. *Terrore* (inquit) *ingenti armorum, atq; telorum, & circundantis forsitan multitudinis, vel obuiam euntis, etiam leo reuocatur à praeda: & tamen leo venit; leo redit; praedam non rapuit; non malitiam posuit. Ad ouile venit lupus: latratu canum, & clamore pastorum, ab ouili reuersus est lupus: ipse tamen lupus vertatur in ouem. Facit enim & hoc Dominus: sed ipsa est iustitia eius, non tua. Nam quandiu habes tuam, potes timere poenam, non amare iustitiam.* Esse autem ex fide, neq; spiritum sanctum excludit, de quo rogauerat Apostolus, datusne Galatis fuisset ex fide, an ex legis operibus? neque opera illa, quae cum fide, & Spiritusancto duce efficiuntur. Ex fide igitur illi esse dicũtur, qui fidei diuino munere, & Spiritussancti gratia à Deo donati sunt: qui lege spiritus praediti sunt: qui iustitiam fidei, tanquã veri, & legitimi filij Abrahae, in omni vita sectantur. Quam definiendo quoq; explicauit, breuiterq; descripsit Augustinus dicens. *Iustitia ex fide est, qua credimus iustificari, hoc est iustos fieri, gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum: vel qua credimus, iustitiam nobis diuinitùs dari, non nostris viribus in nobis fieri.* Verus igitur Abrahae filius Paulus fuit: qui tametsi secundum iustitiã, quae in lege est, versatus aliquando esset sine querela; sua tamen omnia illius temporis lucra, detrimenta reputauit, &

Epist. 106. Iustitia ex lege.

De ver. Ap. Ser. 15.

Epist. 106.

Phil. 3.

ſtercora, vt Chriſtum lucraretur, & in eo inueniretur ſuam iuſtitiam non habens, quae ex lege erat; ſed illam, quae ex fide eſt Chriſti: quam dicit eſſe ex Deo, non ex humanis quibuſuis meritis: in fide, non in lege fundatam, & extructam: qua cognoſcitur Chriſtus: cuius vnius promerito, quicunque in eum credimus, hanc adipiſcimur ex fide iuſtitiam, cognoſcimus virtutem reſurrectionis eius: qua factum eſt, vt omniũ gentium, ac nationum homines in eum credentes, cuius tam excellens, atq; diuina extitiſſet potentia, vt de morte triumphare poſſet, iuſtitia donarentur, & ſalute. Quare alio loco legimus. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*. Cognoſcimus ſocietatem paſſionum illius: ex qua vberrimum demetimus, & percipimus ſempiternae gloriae fructum. *Quicunque enim conſociamur morti eius, ad reſurrectionem, quae eſt ex mortuis, peruenimus. Quicunq; filij ſumus, & haeredes; ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Quicunq; commortui ſumus, & conuiuemus. Quicunq; toleramus, & conregnabimus*. Veri filij Abrahae nõ fuère Iudaei, qui ſectando legem iuſtitiae, in legem iuſtitiae non peruenère. Cur autem non peruenère? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Veri filij Abrahae, gentes fuère, quae cùm non ſectarentur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiã inquam hanc, quae ex fide eſt. De his Abrahae filijs, Dominus, & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus magnitudinẽ fidei Centurionis admiratus, dixit. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno coelorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Patere igitur, atq; in promptu omnibus eſſe poteſt; quid ſit, eſſe ex fide; & quaenam ſit iuſtitia fidei.

[Marginal references: Rom. 4. — Phil. 3. — Rom. 8. — 2. Tim. 2. — Rom. 8. — Matth. 8.]

QVAESTIO TRIGESIMA SEPTIMA.

De his, quos Paulus ex operibus legis eſſe dicit, quinam ſint.

LOCVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

Quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt.

AR-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PLANE hic & apertè vides, eos omnes, qui aliud, quàm fidem erga Christum spectant (haec autem ea est gratia, & beneficētia, qua se Deus olim vsurum esse in posteros Abrahae pollicebatur) execrādos esse, & detestabiles: quales sunt, quicunq; aut per legem; aut per ea, quae eximia plerisque, & praeclara videntur, opera, ad veram, & solidam iustitiam aspirant. Quicquid enim extra hanc fidem est, & suauissimam benignitatem, cui se totum tradidit Abraham, quātumuis licet excellat, & eniteat, execrationibus, miserijs, calamitatibus subiectum est. Scriptū est enim (vt Paulus inquit) *Maledictus, omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Deut. 21.

REFVTATIO.

VT proximo argumento verbum illud Apostoli, *Qui ex fide sunt*; de quò paulò ante disputatum est, aduersarij malè interpretātur; ita hoc, quinam sint, quos Apostolus dicit, ex operibus legis esse, bona fide non explanant. Qui, ne possint peruersa horum verborum interpretatione rebus clarissimis tenebras obducere; illud est maximè animaduertendum; quòd sicut ex fide esse, & spiritum sanctum, & sanctissima legis spiritus opera complectitur; ita ex operibus legis esse, & fidem, & spiritum sanctum excludit. Qua ratione fit, vt qui sunt huiusmodi, cùm plenè legi obtemperare non valeant, legis execrationi meritò subijciantur. Nemo autem è nostris (idest catholicis) est, qui in operibus à fide, & spiritu sancto seclusis, veram, & solidam statuat iustitiam: quinimmo qui caeteris doctrina, & vitae sanctimonia praecurrunt, nihil illis ad iustitiam comparandam momenti tribuunt, aut ponderis; sed docent, fide, & spiritu sancto omnem Dei erga filios Abrahae benignitatem contineri.

QVAE-

QVAESTIO TRIGESIMA OTTAVA.

De operibus, quibus sempiternae vitae praemium promittitur.

LOCVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

AD omnia ergo ex sacris voluminibus decerpta testimonia, in quibus sempiternae vitae praemium promittitur operibus, quae nostri aduersarij semper habent in ore, vno verbo respondendum est: illa quidem intelligenda esse non de quorumcunq; hominum operibus; sed illorum duntaxat, qui constanti, ac firma fide praediti sunt. In ijs enim hominibus & inest fides, & opera non desunt. Sed vnius, atque simplicis fidei ratione, non operum vera ea testimonia sunt. Quibus quidem in testimonijs fides ab operibus, quibuscum est coniuncta, mente, & cogitatione segregatur, & abstrahitur. Nam queadmodum cum de Christo Iesu dicimus; Ille infans, qui sedet in gremio matris, creauit coelum, & terram; creationem vniuersi, vni diuinae, non etiam humanae naturae, quacum est coniuncta, tribuimus, & verum dicimus: sic cum legimus: *Peccata tua eleemosynis redime. Hoc fac, & viues.* caeteraq; generis eiusdem; redemptio, & vita non eleemosynis, aut operibus, sed vni fidei, quae est eorum operum quaedam quasi diuinitas, assignanda est.

Dan.4.

Matth.19.

REFVTATIO.

TESTIMONIA illa sacra, nemo vnquam è nostris Theologorum scholis aliter accepit, atq; in argumento recitatur: modò cum fide charitas coniungatur; & de illorum hominum operibus intelligantur, qui (vt Apostolus docet) in fide, & charitate, fixi, fundati, stabiles

Colos.1.
Ephe.3.

biles, permanent: at non vnius ratione fidei, vt aiunt, qui nō obscuris, sed veris falsa inuoluunt: neq; operum à fide secretorum, sed vtrorumque simul; & arcto quidem nodo coniunctorum. Propterea summus ille doctor, & magister vnicus, Dominus noster Iesus Christus, qui vnus in hominum animos intueri, & omnes eorum cogitationes penitus introspicere, atq; cognoscere poterat, illorum fidem summopere commendabat, quorum aut preces, aut lachrymae, aut eleemosynae, aut alia quaeuis bona opera erant manifesta: scilicet, vt ijs duntaxat operibus, quae sunt cum fide coniuncta, doceret, summam, & sempiternam promissam fuisse felicitatem. Et Apostolis, quos duces praebuit omnibus gentibus, quae per Euangelij praedicationem ad vitae aeternae haereditatem inuitabantur; praecepit, vt post fidei doctrinam, & sacramētum, docerent, seruare omnia, quaecunq; ipsis mandata fuerant: vt nulli dubium esse posset, viam ad vitam, quam pollicebatur, fidem esse cum operibus coniunctam, atq; conglutinatam: operibusq; quae ex fide, & charitate prodirent, promissa fuisse, & reposita praemia in coelo sempiterna. Quàm verò dispar sit, atq; dissimilis similitudo illa, qua nititur argumentum, declarat illud, quòd creatio coeli, & terrae, actio sit, quam sanctorum Apostolorum synodus vni diuinae naturae tribuendam esse decreuit, praeterea nulli, neq; coelesti naturae, neq; terrestri. Æterna verò praemia, non vni fidei, neq; vnis operibus deberi, sacrae, atq; archanae literae abundè declarant: dum fidei aliquando absq; vlla operum mentione vitam pollicentur aeternam: aliquando verò tacito fidei nomine redditurum esse Deum vnicuiq; secundum opera eius, apertè pronunciant. Qua quidem de re, si differentem Augustinum audiuerimus, nunquam labemur. De fide enim, & operibus agens: *Ideo* (inquit) *aliquando alterum sine altero pro plena doctrina, inuenitur scriptura commemorare; vt etiam hoc modo intelligatur, alterum sine altero esse non posse: quia & qui credit Deo, debet facere, quod praecepit Deus; & qui propterea facit, quia praecepit Deus, necesse est, vt credat Deo.*

Matth. 8. *Luc. 7. & 19.* *Matth. vlt.* *Mar. 16.* *Io. 6.* *Matth. 19.* *Matth. 16.* *Rom. 2.* *Cap. 13.*

QVAESTIO TRIGESIMA NONA.

De iustitiae adeptione: quae in ea fidei, & quae operibus tribuenda.

LOCVS

LOCVS TRIGESIMVS NONVS.

Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

IN humano genere iam planè perdito, atq; damnato, recuperando, & seruando, nihil humana Christi natura operata esset, nihil fecisset sola humanitas: omnia, diuina Christi natura fecit: omnia diuinitati accepta fereda sunt: etsi vtraq; naturae humana, atq; diuina essent in Christo coniunctae: etsi humanitas, atq; diuinitas essent ita inter se mutuò amplexatae, vt altera ab altera diuelli non posset. Similiter in adipiscenda iustitia omnia efficit, & omnia operatur vna fides. Quòd si quandoque adeptio iustitiae tribuatur operibus, id quidem non operum, sed fidei ratione fieri perspicuum est.

REFVTATIO.

MVLTO profectò veriùs de Christi diuinitate, & humanitate nos & iudicamus, & loquimur; qui diuinitati alia propria, ac sua; humanitati item alia certa, & praecipua tribuimus opera. Diuinitati quidem, ostenta, prodigia, miracula, salutē ipsam generis humani, & omnia, quae Deo ipsi, non autem homini conuenire possunt. Humanitati verò, nasci, laborare, defatigari, esurire, sitire, sudare, algere, pati, mori, & caetera generis eiusdem. Cum autem de iustitia adipiscenda sermonem habemus, alia dicimus ad fidem operosam esse referenda; alia ad opera, fide, & charitate plena, atque perfecta. Primi generis sunt, quae ad malorum depulsionem pertinent, peccatorum venia; & quae ad bonorum adeptionem, diuinorum munerum impetratio. Alterius autem, in iustitia progressus, & quaedam quasi perfectio: donec peruentū sit ad eam gloriae perfectionem, de qua dixit Apostolus; *Quos iustificauit, hos & glorificauit.* Ad quam progressionem Ephesios sic hortabatur. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine; cum patiētia supportantes inuicem in charitate.*

Rom. 8.
Eph. 4.

QVAESTIO QVADRAGESIMA.

De iusto ex fide, quisnam sit.

LOCVS QVADRAGESIMVS.

In lege nemo iustificatur apud Deum: quia iustus ex fide viuet.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

IVSTITIAE fidei, vitam promittit Deus: pro iustitia fidei, summa contentione & hic, & vbiq; pugnat Apostolus. At ij, qui catholici haberi volunt, iustitiam ex lege vulgo praedicant hodie, & passim inculcant: commutato enim, aut adulterato potiùs, hoc diuino oraculo, *Iustus ex fide viuet;* ipsi, Iustus ex mandatorũ legis recta effectione viuet; dicunt.

REFVTATIO.

PRIMVM cõstituere oportet, vt inuolutae rei notitia definiendo aperiatur, quisnam iustus ex fide sit. Quod quidem ex Apostoli verbis, quae paulò post haec sequuntur, breuiter illustrari, atq; explicari poterit: vt iustus ex fide is esse censeatur, qui pollicitationem spiritus per fidem accipit, quo duce, mandatis legis se praebeat obsequentem. Quid enim aliud esse potest, quamobrem spiritum nobis suum Deus impertiatur, nisi vt tanquã filij, spiritu eius, non nostro agamur, & diuinis praeceptis animo libentissimo assequamur, non sub lege, sed in lege vitã ducẽtes? Haec est iustitia fidei, cui vitam pollicetur, & spondet Deus: hæc benedictio Abrahae promissa: hic mortis Christi diuinus, & singularis fructus: cui legis iustitia maximopere repugnat: ea scilicet, quae ex operibus legis, absq; fidei, & Spiritussancti praesidio, nudis duntaxat naturae viribus exquiritur. Ad priorem igitur illã fidei, non ad posteriorem hanc legis iustitiam, rectam mandatorum Dei effectionem referimus, cum Christi Domini nostri verbum vsurpamus. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Rom. 8.
Gal. 5.
Ibid. 3.
Matth. 19.

QVAESTIO QVADRAGESIMA PRIMA.

De charitate duplici: ea ſcilicet, quae legis; & ea, quae fidei eſſe dicitur.

LOCVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

Iuſtus ex fide viuet: lex autem non eſt ex fide.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

CERTISSIMAM hoc loco accipe argumenti concluſionem aduerſus eos, qui vnam ad verã, ſolidamq; iuſtitiã, fidem ſatis non eſſe contendunt: fideiq; charitatem attexunt, & agglutinant: à qua, tanquam à vi quadam vitali, fides ipſa formetur; vitam accipiat; agere, & moliri poſſit omnia. Primùm in argumẽto diuinum eſt oraculum, ex Abacuc Propheta mutuatum. *Iuſtus ex fide viuet*: cui alterum annectit Apoſtolus. *Lex non eſt ex fide*. His autem conſentaneum eſt, charitatem ex fide non eſſe. Quid enim eſt tàm frequens in lege, quàm charitatis praeceptum? quinimmo lex nihil aliud praecipit, niſi charitatem. Ex his ergo duobus, quis concluſum eſſe non videt, iuſtum ex charitate non viuere? Fides igitur vna, ſepoſita lege, & charitate, & omnibus, quae ad legem pertinent, iuſtitiam affert, & vitam.

REFVTATIO.

ANIMVM quaeſo diligenter attendite lectores: & quàm captioſa, ac fallax iſta concluſio; quàm falſum argumentum, purumq; ſophiſma ſit iſtud, intelligetis. Facilè enim deprehendi aduerſariorum dolus poteſt, ſi, quae ſunt diſtinguenda, diſtinguantur; & quid inter charitatẽ, quae ad legem pertinet, & eam, cui magnam nos iuſtitiae partem tribuimus, interſit, animaduertatur. Altera enim, legis mandatum eſt: altera, Spiritusſancti munus diuinum, atq; ſingulare. Illa in omni hominum genere reperiri poteſt: haec non niſi in his, qui ex Deo nati ſunt. Illius origo lex eſt, non modò ſcripta, ſed nata, quae hominũ

con-

conciliat homini: huius autem fons Spiritus sanctus est, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris. In illa, vera iustitia non consistit: haec, iustitia est, & gratia Dei per Iesum Christum. Illa non est ex fide: haec nisi fide impetretur, comparari nulla ratione potest.

QVAESTIO QVADRAGESIMA SECVNDA.

De fidei distinctione ab operibus.

LOCVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Lex non est ex fide: sed qui fecerit ea, homo viuet in illis.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PROMISSIO, & lex distinguuntur: ergo fides, & opera distincta sunt. Fides enim promissioni, tanquam propriae radici haeret: opera verò, in lege posita, atq; defixa sunt. His consentaneum est, & consequens, nullam esse quaerendam ex operibus iustitiam: quia cùm à fide disiuncta sint opera, & cum lege coniuncta; quemadmodum lex ipsa ex fide non est, ita nec opera: & perinde vt ex lege non est iustitia, ita neque ex operibus.

REFVTATIO.

EX propositis in hoc argumento, non illud efficitur, quod nostri obtrectatores, atq; aduersarij concludere volunt; sed hoc tantùm, quod nos illis saepius, & gratis concessimus: non esse expectandam iustitiã ex operibus scriptae illius, & externae legis, cuius intolerabile iugum Romanis, & Galatis imponere fallaces nitebantur Apostoli. Ex eo enim, quod primò sumitur, id autem est. Promissio, & lex distinguuntur: hoc tantùm sequitur: ergo fides, & opera legis distinguuntur. Nos verò nullam externae legis operibus, iustitiae partem tribuentes, eius conser-

uationem,& incrementum interioris illius legis rectis actibus damus, de qua dixit Apostolus. *Lex spiritus vitae in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis.* Quae quidem, lex Christi propriè vereq; dicitur, à qua quaecunque prouenient opera, ex fide esse dici possunt; tum quia illorum efficiendorum vis fide impetratur, vt Augustinus inquit; tum quia per huiusmodi opera; ad vitam esse progrediendum, vnius fidei docet institutio.

Rom. 8. 1. Cor. 9. Gal. 6. De pr. Sa. cap. 7.

QVAESTIO QVADRAGESIMA TERTIA.

De operibus ex fide: quaenam ea sint.

LOCVS IDEM.

Lex non est ex fide: sed qui fecerit ea, homo viuet in illis.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

DISIVNCTISSIMA certè sunt, maximeq; inter se diuersa, accipere, & dare; credere, & facere; cognoscere, & operari: quantaq; est in his differẽtia, tanta est in fide, & operibus dissimilitudo, atq; varietas. Etenim fides Deo credens, quem fidelem esse certò nouit, diuinas accipit promissiones: operum verò vis tota in agendo, & aliquid Deo offerendo versatur. Non sunt igitur opera ex fide, quae tantopere distant à fide. Quamobrem cum de iustitia agitur, pro nihilo habenda sunt omnia.

REFVTATIO.

CREDENDVM est veteribus,& priscis (vt aiũt) viris, quorum nemo scripsit, opera non esse ex fide: id quod nouitij isti, totius antiquitatis cẽsores tot argummentis efficere moliuntur. Paulus inquit. *Lex non est ex fide.* At non omnia opera, legis vocabulo comprehenduntur: sed illa tantùm, ad quae non fide, non spiritu sancto, sed vno duntaxat metu poenae legis stimulamur, & excitamur

citamur. Illa verò, quae nullo vel mortis, vel alterius cuiusq; supplicij terrore iniecto, magna cum voluptate à charitatis diuino, ac singulari munere proficiscuntur, ex fide sunt: quia *Q. praece-*
(vt paulò ante diximus) illorum efficiendorum potestas fide *denti.*
impetratur, vsq; eo, vt non magis à nobis illa Deo dicantur *Lib. 10. cōf.*
offerri, quàm à Deo nobis dari, atque impartiri. Hinc illa to- *29. 31. 37.*
ties repetita, pietate plenissima ad Deum Augustini precatio. *De bo. pers.*
Da, quod iubes: & iube, quod vis. *lib. 2. c. 20.*

QVAESTIO QVADRAGESIMA QVARTA.

De legis execratione: qua per Christum sublata, non vna nos fides ad salutem perducit.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SI Christus ab ea, quae in lege à Deo constituta est, execratione, nos eripuit; ergo neque lex, neq; opera, neq; charitas, id possunt efficere. Quibus omnibus non modò non liberamur, sed legis mulctæ magis, ac magis subijcimur. Quid igitur aliud, quàm vnam in Iesum Christum fidem spectamus, si recta ad iustitiam, & salutem via, contendere volumus?

REFVTATIO.

NEQVE lex, neq; opera, quae legis Paulus appellat, neq; charitas, quae ad legem pertinet, legis nos poterat execratione absoluere; sed vnus hoc potuit Christus: factus ipse pro nobis teterrima execratio: quemadmodū Paulus hoc loco apertissimè, & planissimè explicat. At verò per fidem in ipsum (vt saepe iam dixi, & dicēdum est saepiùs) omni scelere soluti, ac iustitiam adepti ex operibus, quae Christi diuina, & singularis gratia

Gal. 5. in nobis, & per nos efficit, in ipsa iustitia confirmamur, corroboramur, progredimur, proficimus. Hoc igitur est, quamobrem non vna fide nitimur, sed charitatem, quae fructus est Spiritussancti, & opera, quae eodem spiritu mouente fiunt, cum illa copulamus. Quibus quidem operibus non modò magnam ad iustitiam progressionem facimus: verùm ad illius quoq; absolutionem, & perfectionem, tanquam ad laborum fructum; periculorum praemium; operum mercedem perducimur: quae quidem (vt Augustinus inquit) non in mandato facienda, sed in praemium percipienda est perfecta iustitia. *Con. du. ep. Pel. lib. 4. cap. 10.*

QVAESTIO QVADRAGESIMA QVINTA.

De peccatorum venia per Christum accepta.

LOCVS IDEM.

Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SI. Christus (vt Paulus ait) factus est pro nostris omnibus peccatis maledictum; hoc est, si seipsum pro nostra salute deuouit, in crucem tolli, & nostrorum omnium peccatorum reus fieri voluit; propter eius deuotionẽ, & Deo Patri gratissimam victimã, non propter vlla nostra vel merita, vel opera, qualiacunq; sint, à peccatis nostris absoluimur.

REFVTATIO.

Rom. 4.

VATENVS per Christum, & nostram in illũ fidem, qui traditus dicitur propter peccata nostra, à nostris peccatis soluti, ac liberati sumus, quatenus etiam non sine Christi gratia, per nostra nos opera liberemur, & in integrum restituamur; nihil attinet repetere: cùm in primi argumenti refutatione expeditè fuerit explicatum, & aliàs saepe in his quaestioni-

ssionibus, quod ad hoc etiam diluendum, atq; infirmandum argumentum satis esse possit, diligenter expositum.

QVAESTIO QVADRAGESIMA SEXTA.

De doctrina falsorum apostolorum, quantopere à Catholicae Ecclesiae doctrina differat. De indulgentijs item; satisfactionibus, &c.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

Testamentum confirmatum à Deo, quae post quadringentos & triginta annos, facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionẽ.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

IVDAEOS urget hoc loco Paulus, & firmissimo eos argumento ita insectatur, & exagitat. Quadringentis, & triginta ante legem annis Deus sanctissimum illud semen Abrahae promiserat. Cuius ratione optatissimum iustitiae suae beneficium, non in vnam Iudaeorum gentem, sed in vniuersas totius orbis terrarũ nationes, & populos erat collaturus. At si iustitia à lege petenda sit, sustulit lex, & irritam fecit eam, quae tot annis antecesserat promissionem. Non est igitur ex lege iustitia, sed ex fide in Christum: Christus enim vnicum illud semen est, quo satis suis promissis fecit Deus, & pactum seruauit, quod cum Abraham pactus erat. Nos Pauli vestigia persequentes, simillimo contra aduersarios nostros vtimur argumento. Antequam vlla esset mentio canonum poenitentiae, & meritorum congrui, atq; condigni: antequã opera illa excogitarentur, quibuscum vos, & indulgentias, & satisfactiones quas appellatis, insulsè sanè coniungitis: & multis quidem annis ante, peccata nostra, Christi morte, & cruce procurata, & expiata erant. Quod si per isthaec vestra posteriora commenta, peccatorum nobis venia, & vera iustitia contingat; irritam profectò facimus, & infectam priorem

illam

illam, quae ex Christi tormento, & morte fuerat, culpae liberationem. Nulla est igitur ex his syncera, & solida iustitia, quae tota ab vna Christi iustitia ducit exordium; & vna in Christum fide, expectanda, & conciliandaest.

REFVTATIO.

QVAM illud est Pauli argumentum aduersus Iudaeos firmum, & graue, & verum; tã hoc, quod ad illius similitudinem contra nos fingitur, infirmum, leue, falsum. Quod quidem erit manifestum, & in medio positum, si quãtopere nostra, hoceſt perpetua Catholicae Ecclesiae sententia, ab illorum opinione, quos Paulus reprehẽdebat, dissentanea sit, attẽdamus. Illi nanq; praeposteri quippe homines ex lege iustitiam sectabantur: nos contra ex fide. Illi legem, gratiae Christi Abrahae promissae anteponebãt: nos Christi gratiam, iustitiae; salutis, & bonorum omnium fundamentum ponimus. Per legem illi ad diuinam promissionem contendebant: nos nisi accepta prius promissione, legis mandatis obtemperari non posse, statuimus. In lege illi, humanisq; viribus omnia ponebant: nihil nos in lege, viribusq; nostris, sed in vnius Dei, & Domini nostri Iesu Christi, praeeunte nos gratia, & ad parendum legis mandatis instruente, & corroborante, omnia ponimus. Quò fit, vt neq; indulgentiarum, neq; satisfactionum, neq; canonum poenitentiae, vtilitatis fructum aliquem ponamus, nisi penes eos, qui à culparum, sempiterniq; cruciatus vinculis, per fidẽ in Christi crucem, ac mortem laxati fuerint. Quarum omnium rerum eum
Quaest. 1. duntaxat vsum esse praediximus, vt ea, quae ad tempus soluenda relinquitur, poena nobis condonetur. Nam de meritis
Quaest. 25. quid sentiamus, fusè, lateq; suprà diximus; quae hoc loco iterare, nequaquam necesse est. Igitur quemadmodum Paulus le-
Rom. 4. gem per fidem nequaquã destrui, sed stabiliri affirmat, eamq;
Gal. 3. cum diuinis promissis pugnare negat; sic & nos quas indulgẽtias vocamus, & satisfactiones, & reliqua omnia, quae in argumento numerantur, cum illa scelerum nostrorum expiatione, quae per Christi mortem facta est, & per fidem nobiscũ communicatur, minimè committimus: quinimmo omnem, quam his rebus tribuimus vim, à Christi morte, & nostra in illum fide deducimus, atq; deriuamus.

QVAE-

QVAESTIO QVADRAGESIMA SEPTIMA.

De operibus Abrahae, quibus in iustitia profecit.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

Si ex lege haereditas; iam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem donauit Deus.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

LIA Iudaeos argumentatione premit Apostolus; quā nemo sanus cauillari poterit: quae non Iudaeorum modò, sed & omnium, qui se magnificè iactātes nihil nisi merita loquuntur, & opera, ora occludit. Si vos (inquit) Iudaei per legem iustitiam acquiritis, qua obsecro ratione, & via Abrahā Pater vester iustitiam adeptus est? Num ne ipse quoq; per legem? Minimè omnium: cùm ne legis quidem nomen tum esset auditum. Quòd si lex non erat, nec opera, nec merita; quid illud fuit, quo ad parandam sibi iustitiam vsus est Abraham? Nihil certè, nisi fides, qua Dei promissionem debito cultu venerabatur, & obseruabat. Fides ergo, quā promissioni creditur, non lex, non opera, non merita, iustitiam affert, & omne salutis adiumentum.

REFVTATIO.

ERTISSIMO docet argumētō Paulus id, quod minimè est inficiandum: Abraham non ex lege, quae nulla tum erat, & à Mose duxit exordium; sed ex promissionis gratia, ad haereditatē à Deo sibi promissam peruenisse. Verùm, illud, quod tam audacter, quàm imperitè ad hoc argumentum adiungitur: si lex non erat, nec opera quidem erant, nec merita; non modò est contra omnē disserendi rationem; sed ijs, quae de Abraham scripsère, Moses, Paulus, & Iacobus, quaeq; de illo Christus ipse locutus est, apertè, palamq; aduersatur, ac repugnat. Quis enim vel me-

diocriter in differendi ratione exercitatus, conclusionem illã admiserit, ac non potiùs irriserit, in qua à parte ad totum negatio traducitur? Esto, non fuerint Abrahae tempore multa legis opera, quae per Mosen legislatorem mandauit Deus; an non opera erant summae illius legis, quae ante nata est, quàm scripta lex vlla, rectè scilicet rationis, quae prima fuit societatis humanae conciliatrix? Quis etiam extremis (vt aiunt) digitis, sacras literas attigit, qui temporibus illis, & sacrificia fuisse, & circuncisionem, ignoret? Erant igitur tum quoq; opera. At inquies: opera illa nihil omnino ad iustitiam faciebant. Verum id quidem: sed erat lex alia per fidem à Spiritussancti numine tracta: cuius opera, diuinà voce laudantur, quibus nos iustitiae tribuimus, & conseruationem, & incrementum: quibus tanquam maximis meritis maxima proposita est merces. Eiusmodi fuit illud, cuius gratia confirmauit Deus
Gen. 22. Abrahae promissionem, ita cum illo locutus. *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito; benedicã tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, & velut arenam, quae est in litore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* Hoc illud est opus, ad
Iac. 2. quod Abrahae iustitiam Iacobus retulit. Huius item generis opera cum Patrum fide, ab ipso quidem Abel initium sumens
Heb. 11. copulauit Apostolus: de quibus Dominus noster Iesus Christus ad eos, qui se de Abrahae cognatione magnificè iactabãt,
Io. 8. atq; ostentabant, dixit: *Si filij Abrahae estis, opera Abrahae facite.* Cauendum ergo moneo perniciosum illud sophisma, quo quidem isti, contra quos disputamus, frequenter vtuntur, dum quaecunque de lege derogauit Apostolus, ea ipsi de omnibus generatim, atq; vniuersè operibus concludunt.

QVAESTIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

De lege. Quantopere Pauli doctrina à doctrina dissentiat praesentium haereticorum.

LOCVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est.

A R-

246

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

HANC Pauli vocem, & sententiam mundo incognitam cùm audirent homines; illi praecipuè, qui ingeniorum acumine occultissima perspicere, & reliquis omnibus praestare putabant, quid non concludebant absurdi? Si lex (dicebāt) iustitiam non praestat, sed propter transgressiones lata est, cur non vt gentes viuimus ex leges? cur non in peccato manemus, vt gratia abundet? cur mala non facimus, vt veniant bona? Similiter profectò & nobis accidit, qui Pauli doctrinam potissimùm sequimur, eiusq; auctoritatem maximè spectamus. Dum enim constanter praedicamus, ex mera Dei gratia, & vna fide, absque lege, & operibus iustitiam contingere; mox colligit diuini consilij rude, & imperitum vulgus: Nihil ergo operemur: ad nostrum arbitrium, libidinemquè, vitam ducamus: data iam nobis licentia, libertateq; viuendi, absque vllo scrupulo fruamur. Quid aduersus hanc hominum libidinosam, intemperantemq; naturam, veritatis praedicatione, verboq; vitae, & salutis, ad libidinemq; scelerumq; omnium licentiam abutentium, nos possumus, cùm ne Paulus quidem ipse, cùm magno labore, & studio, huic hominum amentiae obuiam ire niteretur, multum profecerit? Praeter hanc, quae nobis cum Paulo, & Christo ipso cōmunis est, veritatis praedicationem, & tutelam, nemo est, qui aliud quicquam causae inuenire possit, cur vocemur haeretici, turbulenti, seditiosi, concitatores plebis aduersus Caesarem, & Pontifices.

REFVTATIO.

OMNIS omnino istorum hominum labor in eo versatur, vt Pauli causam cum sua coniungant, immo vnam, atq; eandem faciant: quas vtiq; si quis artem illam adhibeat, qua vera à falsis distinguuntur, disiunctissimas, maximeq; diuersas esse facilè iudicabit. Paulus enim, vt de lege tantùm hoc loco agamus, non illud solùm docuit; propter transgressionem promulgatam fuisse legem; *Rom. 3.* id quod multum habet ad iustitiam momenti; cuius principium, ac quasi fundamentum, est, morbum agnoscere, iniustitiamq; propriam; verùm ex fide, cui ad iustitiam nanciscē-

dam, vim tribuit maximam, stabilitam, & confirmatam fuisse legem, non euersam, aut destructam, firmissimè asseuerat: & ex Christi Iesu missione ad nos; non peccatū tantùm in carne damnatum fuisse, sed & iustificationem legis impleri in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Quae omnia, illa sunt ratione accipienda, in qua replicāda, summus istius disciplinae doctor Augustinus, multus est, & frequens: Fide, inquiens, confirmari legem, non destrui; quia impetrat gratiam, qua lex impleatur. Et gratia quidem (vt alibi dixerat) non ideo datur, quia bona opera fecimus; sed vt ea facere valeamus: idest, non quia legem impleuimus, sed vt legem implere possimus. Isti verò, quibus Pauli doctrinae, hoc est veritati Catholicae, ne Helcesaitae quidem capitaliores fuère hostes, tantum abest, vt ex fide, atq; iustitia, quam sibi opinionis errore finxerunt, legem stabiliant, & cum Paulo corroborent, vt legis potiùs, ac legislatoris nomina extinguant, ac funditùs deleant. Quamobrem vitiosè quidem ex Pauli doctrina deprauati, corruptiq; homines colligebant: cur non vt gentes viuimus exleges? & reliqua, quae in argumento recitantur. Quae omnia istorum cum ratione, & disciplina, verissimè consequētia, maximeq; consentanea sunt. Declarauit id euentus rerum. Mox enim vt ea doctrina, quam Euangelij diuino nomine ornarunt, audiri coepta est, quanta, bone Deus, in his, qui illam amplexi sunt, subsecuta est morum corruptio? quanta verae pietatis contemptio? quae religionis despectio? quae bonorum operū negligentia? Cauenda est ergo omnis haereticorum oratio, quantumuis licet pietate excellere videatur. Nam (vt Tertullianus inquit) ruinas faciliùs operantur stantium aedificiorum, quàm extructiones iacentium ruinarum.

Rom. 8.

De spiritu, & lite. cap. 10. 11.

Helcesaitae Eus. lege. lib. 6. hist. cap. 28.

De praescr. har.

QVAESTIO QVADRAGESIMA NONA.

De legis Moysi, & Christi, differentia.

LOCVS QVADRAGESIMVS NONVS.

Si data esset lex, quae posset viuificare; verè ex lege esset iustitia.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

MAXIMI momenti, ac ponderis verba: quibus ſimpliciter, breuiterq; efficit Paulus; nullam vnquam fuiſſe latam legem, quae vitam afferre poſſet, & ſalutem, ſed miſerè tantùm perdere, & occidere. Si ergo opera, diuina lege praeſcripta, huiuſmodi ſunt, quid de illis dicemus, quae ſcita ſunt in hominum legibus, quibus ad propoſitum iuſtitiae, & beatae vitae finem, ſtulti, ac creduli fallacium hominum auditores ſuperſtitioſa ſollicitudine, & miſeria contendunt? Nihil certè poſſunt ad iuſtitiam, & vitam adiumenti afferre, aut praeſidij. Neq; verò quiſquam eò confugiat, vt Paulum exiſtimet & hic, & vbiq; non de omnium pariter operum, ſed eorum tantùm, quae lege praeſcripta ſunt, dignitate derogare: cùm nullam vel in lege, vel in legis operibus vitalem eſſe dicat, aut ſalutarem vim. Altiùs enim, ac fortiùs illa ſonat oratio. *Lex non viuificat:* qua Paulus vtitur; quam haec: opera non viuificant; quam nos requirimus: cùm legitima opera excellentiſſima ſint, & primario habenda loco: à quibus niſi vita hauriatur, à nullis prorſus operibus expectanda ſit.

REFVTATIO.

VITAM, & ſalutem non ſolùm humana lex vlla dare non poteſt, ſed ne diuina illa quidem, de qua Paulus tam accuratè diſſerit: quamuis Dei digito ſcripta in tabulis lapideis, & quinquageſimo die poſt ſtatutum ſolemne ſacrificium, & tranſitum Domini, ac datam diuinitùs populo libertatem, in monte Sina per Moſen promulgata ſit. Verùm eſt alia lex: ipſa quoque poſt quinquaginta dies à tranſitu Domini, hoc eſt à Chriſti Ieſu, qui verus eſt agnus, quiquè abſtulit peccata mundi, morte, & reſurrectione in cordibus fidelium eodem Dei digito impreſſa, quam vitalem, & ſalutarem eſſe aſſeueramus. Quamobrẽ in ſacroſanctis archanis literis, apud Paulum praecipuè, illa dicitur extrinſecùs in tabulis lapideis, ad impios terrẽdos inſculpta; haec in tabulis cordis carnalibus, hoc eſt intus in animis fidelium conſignata, vt iuſtitiam adipiſcerentur. Illa, litera occidens nuncupatur; haec ſpiritus viuificans,

Aug. de ſpiritu, & lit. cap. 16.

2. Cor. 3.
De ſpiritu, & lit. c. 17.
Cap. 5.

dam, vim tribuit maximam, stabilitam, & confirmatam fuisse legem, non euersam, aut destructam, firmissimè asseuerat: & ex Christi Iesu missione ad nos; non peccatũ tantùm in carne damnatum fuisse, sed & iustificationem legis impleri in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Quae omnia, illa sunt ratione accipienda, in qua replicãda, summus istius disciplinae doctor Augustinus, multus est, & frequens: Fide, inquiens, confirmari legem, non destrui; quia impetrat gratiam, qua lex impleatur. Et gratia quidem (vt alibi dixerat) non ideo datur, quia bona opera fecimus; sed vt ea facere valeamus: idest, non quia legem impleuimus, sed vt legem implere possimus. Isti verò, quibus Pauli doctrinae, hoc est veritati Catholicae, ne Helcesaitae quidem capitaliores fuère hostes, tantum abest, vt ex fide, atq; iustitia, quam sibi opinionis errore finxerunt, legem stabiliant, & cum Paulo corroborent, vt legis potiùs, ac legislatoris nomina extinguant, ac funditùs deleant. Quamobrem vitiosè quidem ex Pauli doctrina deprauati, corruptiq; homines colligebant: cur non vt gentes viuimus exleges? & reliqua, quae in argumento recitantur. Quae omnia istorum cum ratione, & disciplina, verissimè consequẽtia, maximeq; consentanea sunt. Declarauit id euentus rerum. Mox enim vt ea doctrina, quam Euangelij diuino nomine ornarunt, audiri coepta est, quanta, bone Deus, in his, qui illam amplexi sunt, subsecuta est morum corruptio? quanta verae pietatis contemptio? quae religionis despectio? quae bonorum operũ negligentia? Cauenda est ergo omnis haereticorum oratio, quantumuis licet pietate excellere videatur. Nam (vt Tertullianus inquit) ruinas facilius operantur stantium aedificiorum, quàm extructiones iacentium ruinarum.

Rom. 8. *De spiritu, & lite. cap. 10. 11.* *Helcesaita Eus. lege. lib. 6. hist. cap. 28.* *De praescr. har.*

QVAESTIO QVADRAGESIMA NONA.

De legis Moysi, & Christi, differentia.

LOCVS QVADRAGESIMVS NONVS.

Si data esset lex, quae posset viuificare; verè ex lege esset iustitia.

A R-

247

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

AXIMI momenti, ac ponderis verba: quibus simpliciter, breuiterq; efficit Paulus; nullam vnquam fuisse latam legem, quae vitam afferre posset, & salutem, sed miserè tantùm perdere, & occidere. Si ergo opera, diuina lege praescripta, huiusmodi sunt, quid de illis dicemus, quae scita sunt in hominum legibus, quibus ad propositum iustitiae, & beatae vitae finem, stulti, ac creduli fallacium hominum auditores superstitiosa sollicitudine, & miseria contendunt? Nihil certè possunt ad iustitiam, & vitam adiumenti afferre, aut praesidij. Neq; verò quisquam eò confugiat, vt Paulum existimet & hic, & vbiq; non de omnium pariter operum, sed eorum tantùm, quae lege praescripta sunt, dignitate derogare: cùm nullam vel in lege, vel in legis operibus vitalem esse dicat, aut salutarem vim. Altiùs enim, ac fortiùs illa sonat oratio. *Lex non viuificat:* qua Paulus vtitur; quam haec: opera non viuificant; quam nos requirimus: cùm legitima opera excellentissima sint, & primario habenda loco: à quibus nisi vita hauriatur, à nullis prorsus operibus expectanda sit.

REFVTATIO.

ITAM, & salutem non solùm humana lex vlla dare non potest, sed ne diuina illa quidem, de qua Paulus tam accuratè differit: quamuis Dei digito scripta in tabulis lapideis, & quinquagesimo die post statutum solemne sacrificium, & transitum Domini, ac datam diuinitùs populo libertatem, in monte Sina per Mosen promulgata sit. Verùm est alia lex: ipsa quoque post quinquaginta dies à transitu Domini, hoc est à Christi Iesu, qui verus est agnus, quiquè abstulit peccata mundi, morte, & resurrectione in cordibus fidelium eodem Dei digito impressa, quam vitalem, & salutarem esse asseueramus. Quamobrē in sacrosanctis archanis literis, apud Paulum praecipuè, illa dicitur extrinsecùs in tabulis lapideis, ad impios terrēdos insculpta; haec in tabulis cordis carnalibus, hoc est intus in animis fidelium consignata, vt iustitiam adipiscerentur. Illa, litera occidens nuncupatur; haec spiritus viuificans.

Aug. de spiritu, & lit. cap. 16.

2. Cor. 3.
De spiritu, & lit. c. 17.
Cap. 5.

uificans, quoniam (vt Augustinus ait) legis litera, quae docet, non esse peccandum, si spiritus viuificans desit, occidit:
Rom. 3. scire enim facit peccatum, potiusquam cauere. Illa, lex operum, quae periculi denunciatione minatur, & imperat; haec
Aug. c. 13. fidei, quae credendo impetrat. Illa dicit Deus; Fac, quod iubeo: hac dicimus Deo; Da, quod iubes. Illa, Dei continet
Rom. 5. scita, & mandata; haec Dei gratiam, & charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:
Cap. 17. immo ipsa est charitas, vt Augustinus affirmat. Illam imple-
Rom. 8. re nemo potuit; haec, ipsa est plenitudo legis. Illam qui sectā-
Rom. 13. tur, seruiunt in vetustate literae; hanc qui amplectimur, seruimus in nouitate spiritus, mira scilicet cum suauitate, & de-
Rom. 7. lectatione. Illa denique, lex est peccati, & mortis; haec, lex est spiritus vitae in Christo Iesu: quae omni liberat damnatione eos, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Illa iusto non est imposita, sed iniustis, impijs, pecca-
Aug. de natura, et gratia 38. & vltimo. toribus; hac autem vna verè iustus est, quicunque iustus est. Ea est enim iustitia, & gratia Dei, per Iesum Christum. Cum illa spiritum adipiscimur seruitutis in timore; cum hac spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba pater. Et quae ab
Rom. 8. huius, non ab illius legis mandatis ducuntur officia, praestantissima sunt, & excellentissima: quae conseruant, augent, perficiunt iustitiam: quorum hortatores, & magistros, Petrū habemus, ac Paulum. Ille enim ad eos, qui verborum Euangelij acceperant, nouissimeq; baptizati fuerant, sic scribit.
1. Petr. 2. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones; sicut modò geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutē; siquidem gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Paulus autem,
Rom. 12. cùm in priore Epistolae ad Romanos parte, à prima illa lege iustitiam expectandam non esse docuisset, sed à fide; posteriore tractatu alterius huius nostrae legis praecepta tradit, & ad illorum normam opera exigit, non alia certè, quàm augendae iustitiae ratione. Quod quidem in ea, quā ad Ephesios scripsit, epistola, pulcherrima ex accretione corporis collatione ac-
Eph. 4. cepta, sic expressit. *Veritatem facientes, in charitate crescamus, in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus cōpactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit, in aedificationem sui in charitate.* Vt autem

tem quanta sit nostrae huius legis operum excellentia, magnitudoq;, tanquam in speculo conspiciatur; quae de prima sanctorum fidelium Ecclesia, scripta sunt, diligẽter attendamus. Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia cõmunia. Possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Eat igitur nunc nescio quis, & de legis operibus fingat, effutiatq; ea, quae in argumento isto iactantur. Quae prorsus omnia hominis sunt ignorantis, quid inter legem intersit, ex qua iustitiam non proficisci Paulus docet; & legem spiritus, cui nos omnem tribuimus iustitiam. *Act. 2. 3.*

QVAESTIO QVINQVAGESIMA.

De Iudaeis, quos Paulus condemnat: & Monachis, quos damnant Haeretici.

LOCVS QVINQVAGESIMVS.

Conclusit scriptura omnia sub peccato.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VID hoc quaeso est, quod ait; Lex omnes facit reos, omnia criminat? Hoc illud profectò est, quod paulò ante dixit. *Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Scriptum est enim. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Quo quidem loco criminosi, & rei efficiuntur omnes, non illi modò, qui contra scita, quae literis legis continentur, apertè peccant; sed & qui conantur ad illa, quae lege sancita sunt, omnes vitae actiones accommodare, atq; ab illis ne transuersum quidem vnguem discedere: quales erant tum Iudaei: quales item nunc monachi sunt nostri: omnem salutis spem in votis, & humanis constitutionibus collocantes. Damnantur deniq; hoc *Deut. 27.*

eodem

eodem loco cultus omnes, quicunq; illi ſint, & quātumuis legitimi; praeter vnam in Chriſtum fidem: quae vna conterit caput ſerpentis: vna liberat ab execratione legis: vna ſine lege, & operibus, vitam, iuſtitiam, & ſalutem ſecum ipſa fert.

REFVTATIO.

IVDÆOS, qui poſthabita in Chriſtum fide, iuſtitiam ſeſe, & ſalutem per legem aſſequi ſperarent, & hic, & vbiq; damnat Apoſtolus. Qua de re etiam ad Rom. ſcribens, ait. *Iſrael ſectando legem iuſtitia, in legem iuſtitiae non peruenit.* Quare? Quia nō ex fide, ſed quaſi ex operibus, ideſt ex operibus ſine fide: quae legis opera interdum vocat. Cùm igitur Apoſtoli exemplo, nos quoque, non ſolum monachos (ſi modò iſtiuſmodi vnquam fuère monachi) ſed omnes omnino homines, qui ſine fide in Chriſtum, aut voto, aut ſacrificio, aut lege, aut cultu, aut vlla alia re confidentes, iuſtitiam adipiſci poſſe conarentur, damnatione, poeniſq; apud inferos ſempiternis dignos eſſe ſemper exiſtimauerimus, & iudicauerimus; non video, cur Andabatae iſti iure optimo ridendi hoc leuiſſimo telo aduerſus nos tam crebro vtantur: niſi fortè ad eam excuſationem confugere ſe poſſe putāt; omnium errorum culpam ignorationi noſtrorum dogmatum, in qua caeci, ac miſeri verſantur eſſe tribuendam.

Rom. 9.

QVAESTIO QVINQVAGESIMA PRIMA.

De lege: quomodo carceri ſimilis ſit, & paedagogo.

LOCVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS.

Priuſquàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem, quae reuelanda erat. Itaq; lex, paedagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur.

ARGV-

249.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

CCE tibi legis officium pulcherrimè depictũ: Carceri similis est, & paedagogo. O pulchras, & appositas similitudines. Neq; fur carcerem amat, neq; paedagogum puer. Ille quidem, quanquam coniectus in carcerem, à malo abstineat; non sua quidem id sponte facit, aut amore iustitiae, sed carcere vetante: quem si posset, effringeret, & ad furta egrederetur. Hic autem, & si metuat paedagogũ, & caueat; peccata neq; odit, neq; detestatur: quinimmo quaecunq; furtim potest, etiam nefaria, committit. Talis profectò, talis est iustitia legis: vt in fronte multi quidem iusti, ac boni appareãt, qui corda gerunt intus impia; peccata verè non oderint; legem ipsam perhorrescant; non secus ac fures carcerem; & pueri paedagogum.

REFVTATIO.

ONGRVENTES certè similitudines, atque ad Apostoli propositum quàm maximè accommodatae: verùm in argumento contortae, atque aliò, quàm oporteat, translatae. Loquitur enim Paulus de homine, qui per fidem Iesu Christi, promissionem spiritus, hoc est iustitiam, nondum est consecutus: cui lex carcer est odiosus; paedagogus est molestus; & siquid etiam grauius, aut seuerius dici, excogitariuè potest. At vbi venit fides; vbi Spiritus sancti gratiam, in qua consistit iustitia, quis consecutus est; legem non amplius odit, vt seruus; sed amat, vt filius: non horret, vt puer; sed vt iam grandis amplectitur, atq; in ea iucundè, ac suauiter oblectatur. Ad hanc autem agnoscendam differentiam, cuius ignoratione decepti multi, & in errorem inducti sunt; quaedam ex P. Sanctissimo Augustino, ad verbum recitanda, & attentè consideranda testimonia subscribo. Cum Dauidis carmen illud ponderat; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum:* sic inquit. *Cordis dilatatio, iustitiae est delectatio. Hoc munus est Dei, vt in praeceptis eius non timore poenae angustemur; sed dilectione dilatemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem dicens: Habitabo in eis, & deambulabo. Quàm enim latum est, vbi deambu-*

In Ps. 118. Conc. 10.

2. Cor. 6.

Ooo lat

Rom. 5. *lat Deus? In hanc latitudinem diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritumsanctum, qui datus est nobis.* Proximum huic, Dauidis carmen est. *Legem pone mihi domine, viam iustificationum tuarum; & exquiram eam semper.* De quo sic loquitur Augustinus. *Quid est, quod orat, vt sibi lex à Domino ponatur, si non ponitur iusto? Ecce quomodo voluit legem sibi poni à Domino. Non sicut iniustis, & non subditis, ad vetus testamentum pertinentibus, posita est in tabulis lapideis; sed sicut sanctis, filijs liberae, hoc est supernae Hierusalem; filijs promissionis, filijs haereditatis aeternae, sancto spiritu, tanquam digito Dei, in mente datur, & in cordibus scribitur: non quam memoria teneant, & vita negligant; sed quam sciant intelligendo; faciant diligendo: in latitudine amoris; non in timoris angustijs. Nam qui timore poenae, non amore iustitiae, opus legis facit, profectò inuitus facit. Quod autem inuitus facit, si fieri posset, mallet vtiq; non iuberi: ac per hoc legis, quam vellet non esse, nō est amicus, sed potiùs inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione, & voluntate.* Promissione quoq; illa, quae apud Ieremiam legitur. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*; significari affirmat eos, qui ad nouum testamentum pertinent: non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos. Tam igitur sunt hae similitudines ab istorum, qui nobis aduersantur, sententia alienae, quàm sunt Pauli proposito, & disputationi accommodatae.

Psal. 25. Conc. 11. Post pauca. 1. Tim. 1. Ier. 31. De Spū, & lit. cap. 21.

EX CAP. IIII.

QVAESTIO QVINQVAGESIMA SECVNDA.

De legis ad iustos, & iniustos vario respectu.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

Cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PAVLVS de iustificatione agens, vbiq; de lege, tanquam de re contemptissima, & abiectissima, loquitur. modò carceris, modò paedagogi similem eam esse dicit: modò inusitatis, atq; probrosis appella-

Gal. 3. 1. Cor. 15.

pellationibus notat: veluti cum elementa mundi, vt hic, & cum peccati vim, cum literam occidentem, cum deniq; mortis ministerium eam appellat. Quibus quidem compa rationibus, siue nominibus, illud potissimùm docet, à lege neq; libertatem, neq; explicatam de Christo Iesu notitiam, neque veram ac solidam sapientiam, neque peccatorum veniam, neq; vitam, neq; salutem esse expectandam. Quid igitur lex ad iustitiam potest? Ne pilum quidem. *2. Cor. 3.*

REFVTATIO.

DE lege nos haec omnia apertè quidem, atq; ingenuè confitemur: verùm duo atteximus, quae vos non astutè modò, sed etiam sceleratè reticetis. Alterum illud est, quod exquisitis rationibus, & Augustini, quem Catholicae veritatis parentē appellare possumus, multis suprà testimonijs confirmauimus; non minimi quidem momenti legem esse ad iustitiam adipiscendam: adiuuat enim in hoc lex (cuius rei grauis est testis Augustinus) vt neglectae, ac violatae legis reos, ad gratiam confugere cogat: qua cum erroris, ac peccati culpa liberentur; tum ad cupiditatum incendia comprimenda, atq; restinguenda, adiuuentur. Alterum verò est, vt ad gratiam confugientes, & iustitiam ex fide assecuti, legem non iam amplius, vt carcerem, aut paedagogum, aut eorum aliquid, quae ab aduersarijs in argumento colliguntur, odio habeant; sed planè ament, ac diligant, & summi Dei ope, legis praeceptis pareant, & obtemperent, magnam quotidie ad iustitiam facientes accessionem: donec perfectam illam, & omni ex parte absolutam beatae, & sempiternae vitae iustitiam consequantur. An legem tanquam carcerem fuisse, existimandum est, regi Dauidi, carmen illud ad lyram canenti: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi?* Vel illa, quibus singularem animi affectum exprimit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est. Dilexi mandata tua super aurum, & topazion?* An Apostolus, quem diligebat, & charum habebat Iesus, legem quasi peadagogū metuebat, cùm scriberet: *Haec est charitas, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt?* Scilicet ignorauit Augustinus, quae esset vis legis, ante acceptam illam, quae ex fide est Iesu Christi, à Deo iustitiam? Quadere tam

Q. 32. et 48.
Lib. 1. de gratia Christi cap. 8. 9.
Psal. 118.
1. Io. 5.

saepe, & accuratè scripsit, illud praesertim in lib. de gratia Christi aduersus Pelagium, & Cœlestium. *Ad hoc valet legis agnitio, si gratiae desit opitulatio, vt mandati, fiat praeuaricatio. Iubet enim, magisquam iuuat: docet morbum, non sanat: immo ab ea potiùs, quòd non sanatur, augetur: vt attentiùs, & sollicitiùs gratiae medicina quaeratur. Si enim data esset lex, quae posset iustificare; omnino ex lege esset iustitia. In quãtum tamen lex adiuuat, adiungit, & dicit. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hoc ipsum ergo superbis est vtile: sub peccato arctiùs, manifestiusq; concludi, ne ad faciendam iustitiam, de liberi arbitrij quasi proprijs viribus praesumatur: sed omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo: quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram illo.* Ignorauit vim gratiae, in qua tota consistit iustitia fidei, & omne positum est ad ipsam quoque legis iustitiam comparandam adiumentum, atq; subsidium? Quare eodem libro scripsit. *Nemo potest legem implere per legem. Plenitudo enim legis, charitas: charitas autẽ Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris; sed per Spiritumsanctum, qui datus est nobis. Proinde per legem gratia demonstratur, vt lex per gratiam compleatur.* Ignorauit, quae de accretione iustitiae diximus, qua de apertissimè, ac planissimè locutus dixit. *Si summa, & cui nihil esset addendum, charitas in Apostolo fuisset, quae omnino non posset inflari; nunquid necessarius esset angelus Sathanae, quo colaphizante reprimeretur elatio, quae in magnitudine reuelationum possit existere? Charitas itaque in tanto Apostolo de die in diem profectò augebatur, quandiu homo eius interior de die in diem renouabatur, perficienda sine dubio, vbi iam non posset inflari.* Igitur quae de lege in argumento recitantur, ad eum referenda sunt hominem, qui nondum per fidem in Iesum Christum, iustitiam adeptus est. Quae verò nos ex perpetuo catholicae Ecclesiae consensu de lege praedicamus, ad eundem gratia Christi liberatum, & ad vitam sanctissimè, atq; honestissimè ad legis praescripta traducendam, diuino charitatis munere communitum.

Cap. 8. *Paulò post.* *Gal. 3.* *Rom. 3.* *Cap. 9.* *Cap. 11. lib. qui sup.*

QVAESTIO QVINQVAGESIMA TERTIA.

De Pauli circa legem varijs sermonibus. Itẽq; de legis ipsius vario vsu.

LOCVS

LOCVS IDEM.

Cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

XTRA locum, in quo de iustificatione Paulus agit, quàm magnificis, ac splendidis nominibus legem ornat. *Lex* (inquit cùm ad Romanos scriberet) *sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum*. Ad Timotheum verò: *Scimus* (ait) *quia bona est lex, siquis ea legitimè vtatur*. Cum verò in loco versatur, qui est de cōparandae institiae ratione, & via, quibus legem nominibus appellet, superiore argumento patefactum est. Quae tanta rerum, ac sententiarum varietas quid aliud docet, nisi priora illa ad legis officia referenda esse, quæ sunt peccatum ostendere; amplificare; sub eo concludere omnia; terrere; iram operari? Quae cum efficit lex, bona dicenda est, & sancta, & iusta. Nam ad haec efficienda legitimus illius habendus est vsus. Haec autem posteriora ad nanciscendam iustitiam: ad quam nihil prorsus à lege adiumenti petendum est, nihil subsidij. Vbi igitur Christus vnicus ille verae iustitiae auctor per fidem nobis illuxerit, reijcere penitus, atque aspernari legem oportet.

Rom. 7. *1. Tim. 1.* *Rom. 3. 7.* *Gal. 3.*

REFVTATIO.

VID attinet eadem ferè leuissima, tenuissimaq; toties inculcare argumenta? ad quae omnia quàm prompta, quàm facilis, quàm breuis est defensio? Sed nequid eorum, quae nobis haeretici obijciunt, dissimulare videamur, ad singula quaeq; argumenta, eadem saepe fastidiosè, & stomachosè repetentia, respondere compellimur: id quod in hoc argumento facimus: cuius eaedem prorsus argutiae sunt, acumen idem cum superiore. Nomina igitur illa, quae ex superiore citantur argumento, quibus legi non solùm iustitiam detraxisse, sed iniustitiae occasionem, & accessionem tribuisse videtur Apostolus, legi quidem conueniūt, sed solitariae, atq; à gratia fidei seiunctae, ac separatae.

Quare Augustini norma, & lege illa expendenda sunt omnia: qui ait. *Lex sine gratia, virtus peccati est*. At verò illa legis elogia, quibus iusta, sancta, bona praedicatur, non eorum officiorũ gratia modò, quae in argumento recensentur, quaeq; lex aduersus iniustos tantùm exercet, legi tribuenda sunt; sed multò etiam magis propter ea, quae in sanctis, bonis, & iustis legem ipsam non iam amplius horrentibus, sed diligentibus, efficit. De quorum omnium persona dixit Dauid. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; legem autem tuam dilexi.* Alia nanq; ratione, vt in nostra, hoc est Augustini purae, & syncerae Theologiae parentis disciplina est, iniustus lege legitimè vtitur, alia iustus. Ille quidem, vt ea, tanquam paedagogo perducatur ad gratiam, per quam quod lex iubet, possit implere: hic autem, vt in ea tanquam in speculo, vel quid iustitiae acceperit, contueatur, vnde Deo gratias agat: vel quid adhuc sibi desit, quod precibus studiose, & diligenter petat: itaq; legis mandatis obtemperans, ad eam perueniat iustitiae perfectionem, & absolutionem, quae cum vita, & salute sempiterna coniuncta est: quam qui esuriunt, & sitiunt, beati in Euangelio appellantur. Quid ergo Paulus sibi voluerit modò legem extollens, modò deprimens, quantũq; in eo fallantur haeretici, suo proprio, eoq; nefario sensu sacras literas interpretantes; ex his, quae tum alibi, & saepé, tum in hac ipsa responsione diximus, manifestum, & in medio positum est.

Epist. 95. *Psal. 118.* *De spiritu, & lite. cap. 10.* *Epist. 89.* *Matth. 5.*

QVAESTIO QVINQVAGESIMA QVARTA

De Christo legislatore, & iudice.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS.

Misit Deus Filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

MISERABILEM inscitiam, ò perniciosum errorem praedicantium, & falsis quibusdam quasi coloribus effingentium Christum tanquam nouum legislato-

gislatorem: quasi veterem Iudaeorum legem abrogauerit, vt nouam Christianis hominibus imponeret. Quàm nihil se scire ostendunt de Christi officio, de quo ipse Christus dixerat. *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Et illud. *Ego non iudico quenquam.* Non ergo id habuit operis, ac muneris, vt nouam instituerет legem; sed vt ab hominum ceruicibus seruile illud, & intolerabile veteris legis iugũ auferret, atq; deijceret. Hoc illud est, quod Paulus clamat: Misisse Deum Filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Nostri verò nouitij Thèologi diuino aduersantes, repugnantesq; consilio, pro liberatore ligislatorẽ, qui nos in durissimam tradat seruitutem, suscipiendum esse docent. *Io. 3. & 8.*

R E F V T A T I O.

D ista omnia refellenda, & coarguenda mendacia, satis esse possunt, quae suprà de legislatore Christo, & de lege ab eo lata docuimus; & quae de acri, & seuero factorum omnium nostrorum futuro iudicio, cui praefuturum sese Christus ipse praenunciauit. Ea enim si diligenter, & attento animo perlegentur, facilè cuiuis ostendent, quid inter legem illam, à qua nos Christus liberauit, & eam, quam condidit, intersit: & quid iudicium à iudicio differat; illud cuius exercendi sibi ipse facultatẽ ademit; & illud, quod suum proprium, ac peculiare futurum esse promisit. Veruntamen ad illas disputationes, in quibus quicquid in hoc argumento roboris est, & neruorum, inciditur, hanc etiam faciamus accessionem. Nisi Christus legislator esset, & iudex, quisnam ille fuisset, de quo sic loquitur maximus vates Esaias: *Dominus iudex noster: Dominus legifer noster: Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* Qnae ne quis dicta acciperet Iudaico more de lege per Mosen lata; deq; salute diuinitùs data in horrifico illo, ac nefario bello, quod aduersus Hierusalem Assyrius Sennacherib gerebat; vide mihi primùm, de qua salute loquatur: de illa nimirum, quam vnus afferre potuit Christus. Quare idem ipse vates, quasi id, quod dixerat; *Ipse saluabit nos*; apertiùs explanans, adiunxit: *Populus, qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Sed & illud animaduerte, quemadmodum nõ multò post Christum ipsum (id quod apud nos, qui illum colimus, in dubium venire non potest) *Qu. 16. 19. 26. 48. 49.* *Esa. 33.*

Cap. 35. potest) describat. *Deus* (inquit) *ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut ceruus, claudus: & aperta erit lingua mutorũ.* Iam verò si non abrogata lege veteri, quae in mõte Sina olim promulgata fuerat, nouam aliquam tulisset Christus, quaenã obsecro fuit illa lex, quam non de Sina, sed de Sion monte proditurам, & in Christi Ecclesia futuram praesensit Esaias? In cuius verbis si paulò diligentiùs attenderimus, Christi Ecclesiam, & Christianam legem, tanquam in tabella artificiosè depictam, in praesentia, & ante nostros oculos propositam intuebimur.

Esa. 2. *Erit* (inquit) *in nouissimis diebus praeparatus mõs domus Domini in vertice montium; & eleuabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent. Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas: & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Quicunque igitur regalem istam Christi legislatoris legem agnoscimus, atq; seruamus, quae in charitate tota posita est, omni seruili metu liberati, iugum gestamus suaue, & onus leue. Et haec quidem, quae de Christo, & eius lege ad ea, quae suprà dixeramus, argumenti huius occasione adiecimus, adeo patent, adeoq; aperta sunt, vt ea dubia habere, perinde sit, atq; à Christi religione penitus abhorrere.

QVAESTIO QVINQVAGESIMA QVINTA.

De gratiae diuinae cognitione: an ea ad fidem pertineat.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

Quoniam estis filij, misit Deus spiritũ Filij sui in corda vestra clamantem Abba pater. Itaq; iam non est seruus, sed filius: quòd si filius; & haeres Dei per Christum.

ARGV-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SOLIS profectò luce clarius eſſe ex hoc loco debet: Chriſtianos homines non ſine ſcelere nefario dubitare, quin ſint in gratia cum Deo. Si.n. filij Dei ſumus; ſi ſpiritum in cordibus noſtris habemus clamantem, Abba pater; ſi non amplius ſerui, ſed filij, & hæredes Dei inſtituti per Chriſtum; ſi per eundem & reducti, & reconciliati, & reſtituti in gratiam cum Deo ſumus; certè cum Deo ſumus in gratia. Quiſquis enim de Dei erga ſe voluntate anceps, & incertus fuerit, ac non certò conſtituit, ſe eſſe cum illo in gratia; is nunquam credet, Deo ſe eſſe curae, remiſſa ſibi eſſe peccata, poſſe deniq; ſalutem conſequi, & vitam ſempiternam. Verè & ſapienter dixit Auguſtinus: Vnumquenq; fidem ſuam apertiſſimè,& planiſſimè videre. Niſi ergo certiſſimum habeamus, ac minimè dubij ſimus, tanquam de re, quae manuteneatur, nos eſſe cum Deo in gratia, nos placere Deo ratione Chriſti, cuius vnius gratiae confidimus; nos habere ſpiritum Chriſti: quem qui non habet, hic non eſt eius, vt Paulus ait; dubiae ſemper nobis erunt noſtrae omnes cogitationes, ſermones, actiones, & propterea ſine dubio peccata: *Omne enim, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

De Tri.lib. 13.cap.2.

Rom. 8.

Rom. 14.

REFVTATIO.

DISTINGVENDA ſunt, & accuratè, ac diligenter ſeparanda, non in Paulo ſolùm, ſed in omnibus ſanctis, religioſisq; libris, ad detegendas iſtius generis argumentorum fallacias, & fraudes, illa, quae ad fidem propriè pertinent, & ſine vlla haeſitatione credenda ſunt, ab his, quae fiduciam (nam ea quoq; fides crebriùs nominatur) ſiue excitant, ſiue confirmant: cum qua nihil prohibet, quemadmodum & cum ipſa ſpe (eſt enim fiducia, certa quaedam, & vehemens ſpes) nonnihil dubitationis eſſe coniunctum. Primi generis quaecunq; ſunt, cùm nihil habere poſſint vanitatis admixtum; in ijs credendis, neque errare, neq; falli poſſumus. At verò in ijs, quae ad alterum pertinent genus, quid vetat, cùm coniecturis ducamur, ſpe ſaepe nos falli, & incertos eſſe, atq; etiam nonnunquã aberrare à vero?

Fiducia quid?

Atq; vt haec distinctio, quam confundere modis omnibus haeretici, & permiscere nituntur, clara, & illustris appareat; exempli appositione non aliunde quàm ex Pauli ipsius doctrina petiti illustranda est. Haec omnia, quae de Galatis credentibus in Christum Paulus in hunc locum colligit, & coaceruat; quòd nō serui, sed filij Dei essent; quòd haeredes Dei, Christi gratia instituti; quòd spiritum Christi in cordibus suis haberent clamantem, Abba pater; haec inquam omnia ad fidem verè, ac propriè pertinent; & verissima absq; vlla haesitatione sunt, si ad Galatarum Ecclesiam, ad quā hanc ipsam scripsit Epistolam, referantur. Quàm plurimos enim in ea Ecclesia tunc, cum haec scribebat Apostolus, reipsa fuisse tales, quales eos depingit, nulli dubium esse debet. Quae autē de Galatarum Ecclesia dicimus, ad communem omniuū Christianorum hominum toto terrarum orbe longè, lateq; diffusam Ecclesiam traduci commodiùs possunt: in qua innumerabilis est multitudo filiorum, & haeredum, qui suas cogitationes, praedicationes, actiones, non suo, sed Christi spiritu gubernant, regunt, moderantur: quorum ratione vna sancta, & catholica praedicatur. At verò si eadem illa, quae ad Ecclesiam vniuersam pertinere diximus, sigillatim vnusquisque Christianus ad se transferre, & tam certa, quàm ea, quae de fide decreta iam facta sunt, habere velit; nisi id sibi licere diuina aliqua illustratione fuerit patefactum, inconsideratissimae profectò, ac demētissimae temeritatis plenus is erit existimandus, quantumuis licet virtute, & sanctitate excellat, nulliusq; culpae sibi sit conscius. Potest igitur, ac debet vnusquisq; Reip. Christianae ciuis, qui fidei, & renouationis sacramento renatus est, quiq; in domo Dei, idest in Ecclesia Dei viui, quae est columna, & firmamentum veritatis, habitat; & qui Ecclesiae pars, ac membrum corporis Christi est; potest vtique, ac debet omnia, quae de Dei erga vniuersam Ecclesiam beneuolentia, in libris sanctis recitantur oracula, ad se transferre: ita vt amari se à Deo, & cū eo esse in gratia, illisq; oraculis contineri, atq; comprehendi confidat, & credat: sed non eadem tamen id fide, ac religione, qua Ecclesiā ipsam γενικῶς amari à Deo, & illam, & oracula vera esse credimus, & qua omnia Ecclesiae dogmata suscipimus, & amplectimur. Haec enim sine summo infidelitatis, & haereseos crimine in dubium vocari non possunt. Quonam igitur modo, & qua

Galatarum Ecclesia.

Fidelis quanam ad se transferre possit, quae ad vniuersam Ecclesiam pertineant.

qua fide credemus, cum Deo nos esse in gratia, & ita amari, vt nosmetipsos Dei filios, & haeredes appellare audeamus? Ea nimirum, quae veriùs, ac propriùs bona quaedam, ac sancta spes est, quàm fides, quae tamen spes interdũ fides, interdum fidentia appellatur; contraria illa quidem desperationi, ac diffidentiae, sed non ea quidem praeditae vi, atq; virtute, vt omnem ex animo scrupulum euellat; & omnem penitus suspitionem, solicitudinem, dubitationem. Praestat enim haec, dum amaram, & periculosam hanc viuimus vitam, tanquam calcaria, & stimulos in animis nostris relinqui, vt eò saepiùs ad preces, ad lachrymas, ad vigilias, ad ieiunia, ad implorationem opis diuinae confugiamus; omnesq; sensus nostros, & appetitus, tanquam acceptissimas victimas Deo, mactemus, & sacrificemus. Haec autem nisi adhibitis grauissimis, clarissimisq; testimonijs confirmentur, parum firma, & à vero aliena aestimari ab illis poterunt, qui omnia sua Pauli doctrina, tanquam ex oraculo vnis ipsis noto, ac familiari, edita gloriantur, & satis quidem insolenter. At enim quid sibi quaeso voluit Paulus, cum ad Romanos scripsit ijsdem ferè verbis, quibus in hac ipsa, quae ad Galatas est, epistola vtitur, de diuina erga illos certa, firma, ac paterna planè beneuolentia? *Ipse* (inquit) *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij, & haeredes: haeredes quidem Dei; cohaeredes autem Christi*. At in eadem epistola omnem illam firmitatem, ac miram securitatem, quasi praecidens ait. *Noli altum sapere: sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioqui & tu excidèris: sed & illi si nõ permanserint in incredulitate, inserentur: potẽs est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, quantò magis ij, qui secundum naturam inserentur suae oliuae?* Nisi enim eam, quam diximus, adhibuerimus in explicando distinctionem, vt ea, quae ex octauo capite epistolae ad Romanos allata sunt, ad vniuersam non solùm Romanorum, ad quos scribit, sed omnium omnino fidelium Ecclesiam referantur; quae verò ex vndecimo, ad singula membra, quae & cõfidere, & timere, & bonae spei, sanctiq; timoris plena esse debent; Paulus sine dubio videri possit inconstans: qui eosdem

Spes interdum fides, interdũ fidentia appellatur.

Rom. 8.

Rom. 11.

Romanos & benè sperare, & timere iubeat: & quos se Dei filios, & haeredes existimare velit; eosdem & altum sapere vetet, & timere, ne ex bona oliua excidantur, admoneat. Inconstantiae autem Apostolum arguere, quàm indignum, ac nefas sit, quid attinet dicere? Sed ad Corinthios est tam latè haec explicata sententia, atque distinctio, Ecclesiae videlicet vniuersae, & singulorum, amoris Dei erga omnes, & irae aduersus aliquos, fidei certae vniuersi corporis Ecclesiae, & fiduciae singulorum membrorum cum timore coniunctae, & admixtae; vt satis admirari nemo possit, quomodo ad hanc violãdam veritatem importunis calumniatoribus aliquid loci relictum sit. *Nolo* (inquit) *vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt; & omnes mare transierũt; & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari; & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt; & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Haec autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupierunt. Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare, & bibere; & surrexerunt ludere. Neq; fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum deuenerunt.* Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Videtisnè quàm praeclara, & eximia sunt hoc loco expressa diuinae charitatis erga veterem illã populi Iudaici Ecclesiam argumenta: & ea quidem in Ecclesia multos fuisse, qui iure, meritoq; Deo minimè placerent? qui si ratione earum rerum, quae in Ecclesiam vniuersam conferebantur, Dei erga se voluntatem, & gratiam iactare voluissent, quàm temere id, & quàm audactèr, ac falsò fecissent, quis est, qui non intelligat? Quòd si (vt non obscurè docet Apostolus) illa omnia, quasi exempla, nobis ad doctrinam proposita sunt, praesignificabantq; res nostris his vltimis temporibus futuras; quis tam surdus est, qui non tanquam ad se, & ad singula

1. Cor. 10.

Eccle-

Ecclesiae membra spectantem conclusionem illam exaudiat? *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Quis tam insigni amentia caecus, qui in ea conclusione, & clausula non videat, standi confisionem cum metu cadendi coniunctam esse oportere? In hoc autem infringendo, concidendoq; errore tam creber, ac multus Paulus fuit, vt omnia, quae ab ea sumi possunt testimonia colligere, atque describere, & longum, & superuacaneum videatur. Diuinasse profectò visus est hanc,quā nostris oculis videmus, funestam,ac pestiferam sectam in Ecclesia futuram. Quid est illud, quod tam apertè ad Philippenses scripsit? *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Nunquid quem in metu,& tremore saluti operam dare iussit, eum tam securum, ac certum esse pateretur, quam haeretici dicunt, nihil omnino de salute adipiscenda dubitationis habentem, nihil formidinis? Sed quis nisi durissimo ore aduersus hanc veritatem hiscere audebit, cùm Paulum audierit, posteaquam dixisset. *Nihil mihi conscius sum;* haec de semetipso pronunciantem: *Ego sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm alys praedicauerim, ipse reprobus efficiar?* Cuius obsecro vox ista esse potuit, nisi eius, qui in summa fidentia nonnullam habebat, ne reprobaretur, haesitationem? Quare Domino seruiebat in timore, & exultabat ei cum tremore. Sit ergo (vt cum Paulo docet Augustinus) gaudium nostrum, qui per fidem ambulamus, & videmus per speculum in aenigmate; sit inquam gaudium nostrum in spe: quae si videtur, & tam certa est, quàm isti dicunt, nihilq; habet ambigui; non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Illam verò tam optatam à sanctis viris, & expeditam securitatem, quam nobis si ad eorum castra transfugiamus, haeretici pollicentur; cùm in ea, vita beata posita sit, per patientiam expectemus: quoad veniat, quod perfectum est, & euacuetur, quod ex parte est; & ambulemus non per fidem, sed per speciem; videamusq; facie ad faciem; atque ita cognoscamus, sicut & cogniti sumus. Quare quae hoc loco ad Galatas scripsit Paulus, & omnia ab eo in candē perscripta sententiam, tanquam ad Ecclesiam spectantia, firma fide credenda sunt: quae eadem singuli ad se non nisi in spe, & fiducia trepidantes transferre sine magna stultitia, & temeri-

Phil. 2. *1. Cor. 4. & 9.* *Psal. 2.* *Rom. 12.* *2. Cor. 5.* *1. Cor. 13.* *2. Cor. 5.* *Rom. 8.* *Rom. 8.* *1. Cor. 13* *2. Cor. 5.*

temeritate non possunt. Quid verò istis in mentem venerit, qui ad argumenti huius confirmandam conclusionem Augustini auctoritate abutuntur, dicentis: vnumquenq; fidem suã videre; satis diuinare non possum. An propterea, quia dogma istud, quod tuentur, ad fidem pertineat? At hoc illud est, de quo ipsis cum Ecclesia catholica, quae id constanter negat, est concertatio. An quia omni fide careat, qui non certo constituit, se cum Deo esse in gratia? At ea de re nihil eo loco

De Tri. lib. 13. cap. 2. exquirit Augustinus: illud tantùm explicat: quomodo vna sit fides omnium credentium: atque idipsum his verbis. *Ex vna sanè doctrina impressam fidem credentium cordibus singulorum, qui hoc idem credunt, verissimè dicitur: sed aliud sunt ea, quae creduntur; & aliud fides, qua creduntur. Illa quippe in rebus sunt, quae vel esse, vel fuisse, vel futurae esse dicuntur: haec autem in animo credentis est: ei tantummodo conspicua, cuius est: quamuis sit & in alijs non ipsa, sed similis. Non enim numero est vna, sed genere: propter similitudinem tamen, & nullam diuersitatem, magis vnam dicimus esse, quàm multas.* Deniq; nihil omnino verendum est, peccata non esse, quae à pijs hominibus inter spem, & metum, in hac vita tanquam in statione collocatis, siue cogitantur, siue fiunt. Nã Pauli axioma illud. Omne, quod non est ex fide, peccatum est: quo tanquam gladio quodam delphico ad omnia ferè sua decreta formãda, & stabilienda vtuntur haeretici; nihil omnino facere ad rem apparet: cùm Pauli eo loco oratio de illis tantùm actionibus sit, in quarum natura haeret animus, ac non satis constituit, placeant, an displiceant Deo: quemadmodum erat carnibus vesci, lege veteris post susceptam Iesu Christi liberatoris puram Euangelij religionem. Ea igitur, quae cum dubio vtrum peccata, necne sint, à nobis proficiscuntur, sunt sine dubio peccata; ideoq; deuitanda: quae enim sua sponte peccata non sunt, in ijs peccare si dubites, ipsa dubitatione peccata fiunt: quòd Deum, quem ea re offendi suspicabare, nihilominus agens, neglexisse videaris. Quae verò sunt eiusmodi, vt placere Deo liqueat; ea si ab homine haesitante an cum Deo sit in gratia, sed bona tamen spe, & stabili fiducia se erigente fiant, sub Pauli axioma nequaquam cadunt. Propterea sanctus ille, patientissimusq; vir dicebat. *Verebar omnia opera*

Iob. 9. *mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.*

QVAE-

QVAESTIO QVINQVAGESIMA SEXTA.

De legis à gratia seiunctae, & cum ea coniunctae, differentia.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEXTVS.

Quomodo conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis?

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

DOCEANT obsecro aduersarij nostri, qui in lege iustitiam quaerunt, quid ab ea subsidij, quid adiumenti expectandum sit: quam planè, & perspicuè hoc loco constat, infirmum quoddam, & egens esse elementum. Stupida certè, & obtusa ingenia aequè ac pecorum, non sentiunt adhuc nullam donandae, vel afferendae iustitiae vim esse in lege, quin etiam reddi ab illa homines egentiores, atq; imbecilliores. Qui de adipiscenda iustitia consulti, legem docent, idem nobis facere videntur, ac si medicus quispiam gregarius aegroto opis aliquid, atq; auxilij ad sanitatem poscenti, curationē adhiberet, quae cum morbum augeret; tum in grauius aliquod, ac periculosius malum induceret; tum deniq; excruciatum necaret. Per legis enim praecepta, atq; instituta peccati morbo adhibita, tanquam salutaria remedia, factum est excellenter, & egregiè scelestum peccatum: quod etiam ex ipso legis mandato occasionem accepit decipiendi hominis, atque etiam occidendi. Desinamus igitur egentissimum istud, atq; infirmissimum medicamentum animorum morbo difficillimo parare, & tanquam de narthecio promere: neq; malos, & indoctos medicos imitemur; qui & ludūt de alieno corio, & medicina non ad hominum salutem, sed ad necem abutuntur. *Rom. 7.*

REFVTATIO.

NVLLA vnquam verior excogitari potuit argumenti conclusio: nulla appositior similitudo: nullum acrius telum, & magis aculeatū: verùm manu Pauli aduersus illos immissum, qui rudium, & imperitorum

rum medicorum more, peccati morbo legis remedijs, quae nulla sunt, subueniri posse praedicabant. Quos cũ saepe aliàs, tùm maximè hoc loco perstringit: legem affirmans infirmum esse, atq; indigens elementum. At verò istorum manu, qui nobis bellum faciunt, contortum, tam leue est, & obtusum, vt à nobis iure optimo rideatur. Paulus quidem hac sententia, atq; alijs generis eiusdem, aërem non verberabat, sed falsos quosdam apostolos doctrinae suae apertos obtrectatores, & aduersarios redarguebat. Isti verò, qui contra nos infirma haec, & nugatoria sophismata toties, & tam multis verbis inculcant, aerem planè mihi verberare videntur, hoc est, sine aduersario luctari. Quis enim nostrorum hominum (nostros autem eos appello, qui purae, & catholicae veritatis simplices, & aperti cultores aut nunc sunt, aut vllo vnquam tempore fuerunt) legis remedijs animae morbo medendum esse docuit, aut (vt dicam apertiùs) iustitiam lege praestari asseuerauit? Nemo certè: id, quod pudet sanctorum Patrum toties repetitis sententijs ostendere. Sed instant, vrgent, premunt molesti, & importuni veritatis hostes, eadem frequenter vsq;
Quaest. 53. ad nauseae molestiam temerè effutientes. Diximus ex Augustini sententia; legem nudis humanae naturae viribus, ac nullo diuinae gratiae praesidio munitis impositam, vim quidem
1. Cor. 15. esse peccati, vt Paulus inquit. Addimus ad haec Paulo eodem
De grã, & lib. arb. c. 4. auctore, atq; Augustino interprete: eandem si nudam spectaueris, praeuaricatores efficere, & iram operari, non veniam:
Rom. 4. deniq; literam esse occidentem, & infirmum, atq; egens ele-
De grã, & lib. ar. c. 18. mentum: quod cùm ad conferendam iustitiam nihil in se roboris habeat, nihil virtutis, diuinae gratiae adminiculis sem-
2. Cor. 3. per indigeat. At verò cùm eius gratiae medicamento, quae
Aug. de gratia, & lib. arb. c. 18. ex fide in Iesum Christum prouenit, à peccati morbo anima sanata fuerit, & ab iniustitia liberata per iustitiam non suam, quae ex lege est, & litera occidente; sed Dei, quae ex Deo
Phil. 3. profluit, eiusq; sancto, ac verè vitali spiritu: tum quidem legem, quam horrebat, amare primùm incipit; ad eius deinde praecepta vitam, & mores instituit; & per eam deniq;, quam legis mandatis praestat obedientiam, in sanitate proficit, & iustitia. Dicam hoc loco, quod nonnulli quasi quiddam incredibile putabunt. Ad Pelagianos isti, contra quos nunc di-
De grã, & lib. ar. c. 13. sputamus, defecisse videntur: quorum inter caeteras illa fuit (Augustino teste) absurda, & haeretica sententia: Gratiam, quae

quae per fidem Iesu Christi data est, ad hoc tantùm valere, vt peccata praeterita dimittantur. Contra quos catholica cum Augustino decreuit Ecclesia: id quod Coelestini Pont. Max. grauissima, & summa auctoritate probatum est: Gratiam, quae per Iesum Christum Dominum nostrum datur, neque scientiam esse diuinae legis, neque naturam, neque solam remissionem peccatorum; sed eam, qua fit, vt lex impleatur, natura liberetur, peccatum non dominetur: qua item vocamur ad Deum; à nostris malis meritis liberamur; ac bona merita comparamus, quibus ad vitam perueniamus aeternam. Nec mirum videri debet, si in Pelagianam haeresim, quam maximè & odisse, & insectari videri volunt, istj delapsi sint. Quicunque enim semel à catholicae veritatis semita deflexerit, hunc in errores innumeros, atq; in eos praesertim; quos exagitare omnium maximè profitetur, horribili mentis caecitate, atq; animi furore ruere necesse est.

Vbi sup. cap. 14. Can. 10.

Vbi sup. cap. 1.

QVAESTIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

De legis abrogatione, & filiorum Dei vera libertate.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

Nos fratres secundum Isaac promissionis filij sumus.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

SARA libera mater Isaac liberos gignit. Quod ergo ad credentes attinet, omnis est abrogata lex, & antiquata. Neq; enim credẽtes sunt ancillae filij, sed liberae: neq; serui sed filij: neq; spiritum acceperant seruitutis, sed adoptionis, in quo clamat, Abba pater. Quamobrem non vt Ismahel secũdum carnem tantùm nati sunt, sed perinde atq; Isaac secundum promissionem, quam Abrahae seruare voluit Deus: ad quem inprimis spectat facere, quae dicit. Dixerat autem Abrahae: *Patrem multarum gentium constitui te*. Quod quidem oraculum diuino spiritu expendens Apostolus, ad cre-

Gal. 4. Rom. 8.

Gen. 17.

Rom. 4. dentes retulit, dicens. *Ideo ex fide: vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, quod ex lege est solùm, sed & ei, quod ex fide est Abrahae: qui pater est omnium nostrû, sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te.* Quae igitur audacia, quae est impudentia, credentibus, liberis, iustis, à Christo Iesu liberatis, denuo legis iugum imponere, eosq; in durissimam seruitutem tradere?

REFVTATIO.

ABROGATA quidem lex est, quod ad credentes attinet, & iustos: ita vt Paulus dixerit, illos mortuos esse legi per corpus Christi. Sed habet haec sententia multas cautiones. Prima est, ne ita accipiatur, quasi iustis, qui Dei, & Domini nostri Iesu Christi gratia liberati sunt, liceat diuinam legem aut negligere, aut perfringere, quae ab illis vnis religiosè, piè, & castè colitur, atq; obseruatur; verùm quia non sub lege, sed sub gratia esse dicuntur. Nam sub lege sunt (vt Augustinus: cuius in exponendis Pauli locis obscurioribus, admirabilis quidam fuit, & incredibilis, ac planè diuinus sensus; docet) illi, quos reos lex facit iubendo, non adiuuando. Gratia verò adiuuat, vt legis quisq; sit factor: sine qua sub lege positus tantummodo erit legis auditor. Talibus itaq; dicit. *Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Altera verò cautio est, vt intelligantur iusti ita sub lege non esse, sed sub gratia, vt tamen in lege Christi maximopere sint: quae non est litera occidens, sed spiritus viuificans: non est atramento descripta; sed spiritu Dei viui: non tabulis inscripta lapideis; sed tabulis cordis carnalibus. De quo Dauid. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius.* Tertia deniq; illa sit cautio, vt iustos homines existimemus à lege solutos, & liberatos: quia ex legis comminationibus, & mulctis nihil illis timoris incutitur, cùm sua sponte & voluntate, nullo terrore, aut formidine legis, mandatis obtemperent. *Non enim accesserunt* (vt Paulus inquit) *ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubae sonum, & vocem verborum: quam qui audierunt, excusauerunt se ne eis fieret verbum. Non enim portabant, quod dicebatur: sed accesserunt*

Rom. 7.
Rom. 6.
De grã, & lib. ar. c. 17.
Gal. 5.
2. Cor 3.
Psal. 36.
Heb. 12.

runt ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem coelestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in coelis, & iudicem omnium Deum, & spiritum iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm Abel. Quare in solerte illa beati viri descriptione, cum caeteris eius laudibus illa est maxima. *In lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Psal. 1. Haec igitur est, fratres, filiorum Sarae, & promissionis, qui secundum Isaac geniti sunt, vera libertas; non dissoluta ista, & intoleranda licentia, quam miseris his temporibus haereticorum hominum furor, ac petulantia peperit, quibus reddet Dominus secundum opera eorum.

QVAESTIO QVINQVAGESIMA OCTAVA.

De vexatione, qua Ecclesia ab haereticis vexatur, & qua ipsa vexat haereticos.

LOCVS QVINQVAGESIMVS OCTAVVS.

Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum; ita & nunc.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

VID est quaeso, quod Apostolus inquit; *Ita & nunc;* si hoc non est? quia semper quicunq; Christum pura fide amplectuntur, & praedicāt tanquam veram, & propriam credentium omnium iustitiam, ac spiritum sanctum facta carnis mortificantem hauriunt (hi enim secūdum spiritum cum Isaac verè nati dicūtur) ab Ismahelitis hominibus secundum carnē tantùm natis, hoc est à syncera fide, & diuino spiritu nudis, & vacuis affliguntur, ac modis oībus diuexantur. Hoc nobis vsu hodie euenit: idē nos hoc tempore patimur, qui sanctā hanc, & salutarem doctrinam amplectimur, & praedicamus. Quibus.n. conuitijs non iactamur? quibus probris non vexamur?

mur? quibus locis non extrudimur? quibus plagis non caedimur? qua morte non afficimur? Dicimur cũ Christo seditiosi; cum Paulo & Sila turbulenti; concitatores plebis; perturbatores orbis. Quae quidem omnia veritatis, quae nunquam nõ oppugnatur, argumenta sunt certissima, indiciaq; clarissima: quam nos praedicamus, atq; defendimus, ipsi autem odio habent, & vehementer oppugnant.

Act. 17. 24.

REFVTATIO.

ON ob eam, quam vos fingitis causam, sanctissima fidelium parens, & educatrix Ecclesia vos non (vt dicitis) affligit, aut inimicè insectatur, quòd veritatem ametis, defendatis, praedicetis; sed pio quodam, ac salubri quasi flagello, tanquam errantes oues ad gregem, & ad pastorum ouilia reuocare suis omnibus viribus nititur, & studet. Cùm enim id, quod de vestra sanitate vehementer optabat, nulla sibi alia successisse via videret omnes experta, filiorum suorum satagens, vim deniq; more maiorum adhibendam esse censuit, vt vos à turpi vestro consilio, & ab erroris vestri pernicie, ne dicam furore, retraheret, atq; hoc, non (vt vos impudenter fingitis) quòd Christi iustitia, & almi spiritus sanctitate iustos nos, ac sanctos effici praedicetis. Haec enim ab Apostolis praedicata, literisq; mandata, à Patribus accepta & declarata, ac quasi per manus tradita, purè, ac sanctè nos quoq; custodimus. Verùm quia veritatem hanc tot erroribus, tot mendacijs, tot vanitatibus, tot haeresibus contaminatam deturpastis, vt non tam commutandæ, quàm euertendae religionis cupidos vos esse ostenderitis: id, quod genti primùm vestrae, deinde quibusdam nimis credulis aliarum etiam nationum hominibus, quibus fucum (vt dicitur) fecistis, intolerandam licentiam, diuinarum, humanarumq; legum neglectum, calamitatem deniq; peperit perpetuam, sed vt non coniectura, verùm oculis, ac manibus teneamus, quàm falsum illud sit, in quo multi estis, & vsque ad summam impudẽtiam inepti, veritatis scilicet gratia vos vexari, cuius vos vnos defensores, & propugnatores facitis; dicite quaeso, an non prius à vobis multis nos vexati contumelijs, multis iactati sumus iniurijs? Quid aliud famosi vestri libelli, quibus omnia refersistis, continent, nisi Pontificum,

Caesa-

Caesarum, Regum, Episcoporum, Principum, Monachorũ, omnium deniq; catholicorum ordinum iniustas vexationes, calumniarumq; plenas accusationes, & tam infames, quàm falsas contumelias? An vos noui non fuistis Germaniae totius circuncelliones, plagis, rapinis, caedibus, incendijs omnia vastantes? coenobia, sacerdotia, praedia, villas, domos, bona omnia catholicorum hominum, quorum nemo vlla vos iniuria lacessiuerat, diripientes, & occupantes? Quorum incredibili audaciae, ac temeritati cùm alia mitiore ratione obuiam ire non potuisset Carolus Quintus Imperator & potentissimus, & religiosissimus, qui longè plurimum omnium Germanorum Imperatorum & virtute bellica, & opibus valet, maximo, ac fortissimo comparato exercitu, bellum vobis, & ipsi patriae propter religionem indixit, & intulit: pium illud quidem, & maximè necessarium, vt exitus belli prope diuinus, quem vidistis, facilè ostendit. Deuicit enim bellicosissimam, & omnibus nationibus formidolosissimam Germaniam, non hostium exercitu arte aliqua extra suos fines allecto, & extracto; sed in ipsius Germaniae medio, atq; visceribus. Duces verò non tam exercitus, quàm sceleratae impietatis in suam potestatem re bene gesta redegit: idq; anni tempore durissimo, summaq; hyeme, cum, iure gentium, omnia bella conquiescunt. Quod quidem bellum non tam à Caesare, quàm ab ipso Deo rerum omnium auctore, & moderatore aduersus vos fuisse susceptum, & administratum, & perpetua hybernorum mensium temperatio, & summa coeli alieno tẽpore serenitas apertè demonstrarunt. Sed vt ad argumentum reuertamur; qualis ea sit vexatio, quam vos primi in nos cõcitastis; qualis item ea, qua Pont. max., Caesar, catholiciq; Reges, ne Christianae religioni nocere pergatis, vestras propulsant, & vlciscuntur iniurias; quidq; inter vtramq; intersit; cognoscite, cognoscite inquam non meis, sed Augustini hominis, caeteroqui mitissimi, ac lenissimi, verbis his, quae sequuntur. *Si boni, & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tãtummodo patiuntur; cuius est in Psalmo vox illa; Persequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non conuertar, donec deficiant? Si ergo verum dicere, vel cognoscere volumus, est persecutio iniusta, quam faciunt impij Ecclesiae Christi: & est iusta persecutio, quam faciunt impijs Ecclesiae Christi. Ista itaq; beata est, quae persecutionem patitur propter iustitiam. Illi verò miseri,*

Caroli V. Imp. religio.

Germania ab eodem gloriosè deuicta.

Epist. 1. Psal. 17.

miseri, qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo; illi saeuiendo: ista vt corrigat; illi vt euertant: ista vt reuocet ab errore; illi vt praecipitent in errorem. Deniq; ista persequitur inimicos, & comprehendit, donec deficiant in vanitate; & in veritate proficiant. Illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad aeternam salutem, etiam temporalem nobis conantur auferre. Haec Augustinus: qui, quod ad hũc quoq; attinet locum, quem ex Apostolo Paulo ad vestrae causae commodum torquetis, alio loco sic inquit. *Duae mulieres Sara, & Agar; & duo filij earũ Isaac, & Ismahel, pro spiritualibus, & carnalibus figurantur. Et cùm legamus Ancillam, & filium eius à Sara passos graues molestias; Paulus tamen Apostolus dicit, quod ab Ismahele persecutionem sit passus Isaac. Sed sicut tunc* (inquit) *ille, qui erat secundum carnem, persequebatur eum, qui erat secundum spiritum; ita & nunc: vt qui possunt, intelligãt, magis Ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia, & impietate carnalium, quos temporalibus molestijs, atq; terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit vera, & legitima mater, etiam si asperum, amarumq; sentiatur; non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinae, expellendo malum iniquitatis, apponit; non odio nocendi, sed dilectione sanandi.* Ad hanc quoq; confirmandam sententiam varia colligit ex sacris literis exempla, quae totidem verbis recitare liceat. Inquit enim. *Cum boni, & mali eadem faciũt, eademq; patiuntur, non factis, & poenis, sed causis vtiq; discernẽdi sunt. Pharao populum Dei duris laboribus atterebat. Moyses eundem populum impiè agentem, duris coercionibus affligebat. Similia fecerunt, sed non similiter prodesse voluerunt. Ille dominatione inflatus: iste zelo inflammatus. Iezabel occidit Prophetas. Helias occidit Pseudoprophetas. Puto, quòd diuersa sint merita facientium, & diuersa passorum. Aspice etiam tempora noui testamenti, quando iam ipsa mansuetudo charitatis nõ solùm in corde erat seruanda, verùm etiam in luce monstranda, quando Petri gladius in vaginam reuocatur à Christo, & ostenditur non debuisse de vagina eximi neq; pro Christo. Legimus tamen non modò, quòd ceciderunt Iudaei Paulum Apostolum, verùm etiam quòd ceciderunt & Graeci pro Paulo Apostolo Sosthenem Iudaeum. Nonne similitudo facti quasi vtrosq; coniungit, & tamen eos causae dissimilitudo discernit? Tres cruces in loco vno erant: in vna latro liberandus; in alia latro damnandus: in media*

Epist. 48.

Epist. 48.

Pharao, & Moyses.

Iezabel, & Helias.

Petri gladius in vaginam reuocatus.

Paulus, & Sothenes cesi.

Tres cruces Caluarij.

dia Christus alterum liberaturus; alterum damnaturus. Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus? Traditus est Paulus includendus, & colligandus: sed quolibet custode carceris peior est vtique Sathanas: cui tamen ipse Paulus tradidit hominem in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Item cum ait idem Apostolus, tradidisse se quosdam Sathanae, vt discerent non blasphemare, malum pro malo reddidit, an potiùs etiam per malum emendare, bonum opus esse iudicauit? Si semper esset laudabile persecutionem pati, sufficeret Domino dicere; Beati qui persecutionem patiuntur: nec adderet: propter iustitiam. Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris; Detrahentem proximo suo, hunc persequebar. Semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos. Illi nocendo per iniustitiam; illi consulendo per disciplinam: illi seruientes cupiditati; illi charitati. Nam qui trucidat, non considerat, quemadmodum laniet; qui autem curat, considerat quemadmodum secet. Ille enim persequitur sanitatem: ille putredinem. Sed ne defatigemur, obsecro, Augustinum iterũ hac de re audire differentem: cuius saeculo eaedem erant hæreticorum voces, & querimoniae. *Vexamur à Regibus: vexamur à Principibus: cùm ne animas ipsi vel suas, vel aliorum delerent, ac perderent, exilijs, vinculis, carceribus, saepe etiam supremo supplicio à catholicis Regibus, & Principibus castigarentur. Et factum est* (Augustinus ait) *cùm luderet Ismahel, & Isaac, vidit eos ludentes. Quis persecutus est? quem persecutus est? Ludentes eos vidit Sara: & ait. Eijce Ancillam, & filium eius. Quare? Quia vidit eos ludentes. Sed lusum illum Paulus persecutionem vocat: quia lusio illa illusio erat: si illusio; seductio, & deceptio. Omnis lusus puerorum, simulachrum est negotij maioris: & quando maior ludit cum minore, quasi vt seducatur, sciens se habere negotia alia, quae intendit, & simulat quaedam puero, idest infirmo, ludens cum illo. Maior erat Ismahel, & roboratus in malitia: sed ludens cum puero Isaac, seducebat Isaac, & quasdam fraudes ludẽdi cum infirmo faciebat. Animaduertit mater lusum illum esse persecutionem. Si intelligit mater lusum illum, intelligit Ecclesia lusum illum. Sara dixit. Eijce ancillam, & filium eius. Non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac. Et Ecclesia dicit. Eyce haereticos, & filios eorum. Non enim haeredes erunt haeretici cum catholicis.*

Sed

Paulus carceri, homo Sathanae traditus.

Matth. 5.

Psal. 100.

Ex To. 11. in Io.

Gen. 21.

Isaac, et Ismahelis lusus cur persecutio dictus fuerit à Paulo ad Gal. 4.

Sed quare non erunt haeredes? Nonne de semine Abrahae nati? Et quomodo baptismum Ecclesiae habent? baptismũ habent. Haeredem faceret semen Abrahae, nisi ab haereditate superbia excluderet. Eodem verbo nasceris, eodem sacramento; sed ad eandem haereditatem non peruenis, nisi ad Ecclesiam catholicam reuersus fueris. Ex semine Abrahae nasceris; sed filius ancillae foris es propter superbiam. Cernitisnè iam, & intelligitis, qualis fuerit vexatio, qua vos tot annos in sanctam catholicam Ecclesiam insultastis, quantumq; ab ea dissideat pia nostra correctio: qua vel emendare vos; vel furori vestro resistere conamur, ne malorum contagiones, quae à vobis proficiscuntur, latiùs maneant: quemadmodum & in corpore nostro, siquid est eiusmodi, quod reliquo corpori noceat, vri patimur, & secari.

Ecclesia co natus in haereticos quorsum?

EX CAP. V.

QVAESTIO QVINQVAGESIMA NONA.

De iugo duplici, seruitutis, & amoris.

LOCVS QVINQVAGESIMVS NONVS.

Nolite iterum iugo seruitutis contineri.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

NIHIL est Christiano homini, & libertati Christianae tam aduersum, atq; oppositum, quàm sub iugo contineri: à quo nos Christus (vt Paulus hoc loco dicit) liberauit. Iugum ferant, suumq; munus, ac pensum sub iugo persoluant boues aratores, quorum ceruices ad iugum natae dicuntur. Romani turpe, & indignum existimabant, legiones suas sub iugum mitti: quorũ libertas inanis, breuis, & terrestris erat. Christiani homines quid facient, quorum animos omni iugo solutos, in coelestem, sempiternam, veram, solidamq; libertatem Christus vindicauit, vt ij nullo pondere grauati coelũ non terras intuerentur, & vt leues, atq; expediti propositum sibi certamen currerent, in vnum aspicientes auctorem fidei, & consummatorem Iesum? An Stephanus capitis accusatus, quòd contra legem loqueretur, cùm causam pro se diceret, iugo aliquo premebatur? Minimè omniũ: quinimmo libera, &

Heb. 12.
Act. 6. 7.

& erecta ceruice in altum suspiciens, patentes, & apertos vidit caelos, ac Iesum statem à dextris Dei. Nihil est à Christianae vitae professione tam alienum, & abhorrēs, quàm nomen ipsum seruitutis: quādo nos omni abiecto seruitutis metu sanguinis sui pretio, Dei Filius in verissimā asseruit libertatem. Nam & Paulus solerti hac, & breui descriptione, qua legem iugum seruitutis appellat, facilè declarat, quàm lex cum omnibus operibus suis à Christiana iusticia longè distet, atq; disiuncta sit; quàmq; cum iustitia non modò non cohaereat, sed tanquam cum suo contrario pugnet, & quasi bellum gerat. Iustitiae namq; proprium munus est, libertatem dare, atq; omnem amouere iugi, & oneris suspitionem.

R E F V T A T I O.

NIHIL est profectò Christianae professioni, ac libertati, quod infensiùs aduersetur, quàm iugum: iugum inquam illud durum, & asperum, adde etiam ferreum, si libet; de quo Paulus hoc loco agit: quod Deus populo durae ceruicis, cordibus, & auribus incircuncisо imposuit. Neq; enim erant tractandi molliùs, qui tanta animorum, sermonis, & morum erant insolentia, atq; duritia, tanta feritate, vt vix homines viderentur. Sed nihil rursum cū hac ipsa Christiana professione, ac libertate est adeo coniunctum, vt iugum illud, quo Christus benignè inuitat, & praemijs allicit suos. *Tollite* (inquit) *iugum meum super vos: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris*. Hic mihi vide, quàm inepti, & impudentes ij sint, qui in tanta caligine, tenebrisq; versantur, vt omnia miscentes; inter alba, & atra dijudicare non possint. Est enim iugum illud, quod detractare iubet Paulus, timoris: quod autem nos cū libertate coniungimus, amoris. Illud seruitutis: hoc libertatis. Illud literae occidentis: hoc spiritus vitam suppeditantis: Illud durum, & intolerabile: hoc suaue, & leue. Et praeclarè Chrysostomus, summoq; iudicio hanc Pauli sententiam expendens: *Etenim* (inquit) *cùm legis iugū detraxisset, ne subsilirent, aliud illis imponit iugum, nimirum charitatis; illo quidem validius, sed multo leuius, ac iucundius.* Vt verò de iugo dictum est, ita de seruitute dicendum. Duplicem enim Paulus docet esse seruitutem: quarum alteram cum

Matth. 11.

Chry. in epistola ad Gal.

Rom. 6. lege; cum iustitia alteram connectit. *Quid ergo* (inquit) *peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis; siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratia autem Deo, quòd fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde, in eam formam doctrinae, in quam traducti estis: liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiae.* Et in hac ad Galatas Epistola cùm dixisset; *Vos*

Gal. 5. *in libertatem vocati estis fratres*; statim addidit: *Tantùm, ne libertatem in occasionem detis carnis: sed per charitatem seruite inuicem.* Quos quidem locos, & alios praeterea multos ex eodem Apostolo saepè, & vberrimè tractauit Augustinus, nunquam ab hac sententia discedens, in sermonibus, quos ha-

De Tri. 85. buit de Euangelio Ioannis. *Sicut duo sunt timores* (inquit) *qui faciunt duo genera timentium; sic duae sunt seruitutes, quae fa-*

1. Io. 4. *ciunt duo genera seruientium. Est timor, quem perfecta chari-*

Psal. 18. *tas foras mittit: & est alius timor castus, permanens in saeculũ saeculi. Illum timorem, qui non est in charitate, attendebat Apo-*

Rom. 8. *stolus, cum dicebat: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Illum autem timorem castum attendebat, cum dicebat:*

Rom. 11. *Noli altum sapere: sed time. In illo timore, quem foras mittit charitas, est etiam seruitus simul foras cum ipso timore mittenda. Vtrumq; enim iunxit Apostolus, hoc est, seruitutem, & timorem, dicendo: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Ad hanc seruitutem seruum pertinentem intuebatur Dominus, dicens. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Non vtiq; ille seruus pertinens ad timorem*

Matth. 25. *castum, cui dicitur: Euge serue bone intra in gaudium Domini tui: sed ille seruus pertinens ad timorem, foras à charitate mit-*

Io. 8. *tendum, de quo alibi dicit. Seruus non manet in domo in aeter-*

In Psal. 99. *num: filius autem manet in aeternum.* Et alio loco: *Seruite* (inquit) *Domino in iucunditate. Libera seruitus est apud Dominũ:*

Gal. 5. *libera seruitus, vbi non necessitas, sed charitas seruit. Vos* (inquit) *in libertatem vocati estis fratres: tantùm, ne libertatem in occasionem carnis detis: sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Seruum te charitas faciat, quia liberum te veritas facit.*

Io. 8. *Si manseritis* (inquit) *in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* De illo verò Pro-

In Ps. 115. phetae, & Regis carmine. *O Domine ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillae tuae*; quo ad Deum magna voce

etiam

etiam nunc clamare videtur; quid dicat Augustinus, quaeso diligenter attendite. *Filius est* (inquit) *iste Hierusalem coelestis, quae sursum est, mater omnium nostrum libera: & libera quidem à peccato; sed ancilla iustitiae: cuius filijs adhuc peregrinis dicitur: Vos in libertatem vocati estis. Sed rursus eos seruos facit dicens: Sed in charitate seruite inuicem. Quibus item dicitur: Cum serui eratis peccato, liberi eratis à iustitia: nunc verò liberati à peccato, facti autem serui Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam aeternam. Dicat ergo Deo seruus iste. Multi se martyres dicũt: multi seruos tuos: quia nomen tuum habent, in varijs haeresibus, & erroribus. Sed quia praeter Ecclesiam tuam sunt, non sunt filij ancillae tuae. Ego autem seruus tuus, & filius ancillae tuae.* Nos igitur, & maiorum omnium nostrorum exemplo, atq; auctoritate, in comparanda iustitia, operum cum fide coniunctionem, & quandam quasi societatem defendentes, nullum omnino respectum habuimus, aut habituri sumus ad eam legem, quae in tabulis olim scripta lapideis, iugum seruitutis iure, meritoq; appellatur à Paulo: sed ad legẽ spiritus, quae in tabulis cordis carnalibus consignata, iugum est suaue, & leue, quod (vt Augustinus ait) occultè humanis cordibus diuina largitate imponitur, & à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Quod si vt eo tempore accidit, quo Dauid illud cecinit. *Astiterũt Reges terrae, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius:* ita scelerata nunc, & nefaria haereticorum manus: *Dirumpamus* (ait) *vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum:* id-ne se impij impunè laturos putent, sciant quòd, *Qui habitat in coelis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Gal. 4. *Gal. 5.* *Rom. 6.* *De pr. Sã. cap. 8.* *Psal. 2.*

QVAESTIO SEXAGESIMA.

De differentia circũcisionis ab operibus Christianis. Itemq; de perfecta Euangelij praedicatione.

LOCVS SEXAGESIMVS.

Si circuncidamini, Chr̃us vobis nihil proderit.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

HAC vna sententia, tanquam gladio, omnes eos conficit, & iugulat Paulus, qui iustitiam, aut salutem ab alia re, quàm ab vno de Christo Iesu Euangelio petunt. Nulla enim in re, quaecunq; ea sit, nullo in cultu, nullo in opere inesse potest salus, quae in vna, & solitaria, & simplici in Christum Iesum posita est fide. Quare audacter, ac liberè dicendum aduersus istiusmodi homines. Si iustitiae, & salutis gratia hunc, vel illum cultum obseruetis; hoc, vel illud opus amplexemini; nihil vobis proderit Christus. Nam vt hi, qui circuncidebatur, omnē sibi ipsi iustitiae, & salutis per Christum adipiscendae spem radicitùs praecidebant, nihil sibi cum Christo commune relinquētes: quibus Apostolus hic dixit, Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε: ita qui spem vel exiguam salutis, aut iustitiae in vlla re, non in Christum fide ponit, sese planè à Christo disiungit, ac separat.

REFVTATIO.

DVO potissimùm sunt in hoc Argumento peccata. Primum, quòd circuncisionem ab operibus ijs, quae Christus ipse suo ore, atque sermone fieri mandauit, neque ab ijs, quae illius iussu ab Apostolis praedicata sunt; neque ab ijs, quae ab incunabulis Ecclesiae, vsq; ad haec tempora sanctè, ac religiosè custodita sunt; omnino distinguunt. Magna porrò, & incredibilis mentis aut prauitas, si nolunt; aut stupiditas, si nequeunt dijudicare, quanta sit differentia inter Mosaicae legis praecepta, ab Apostolis postea sublata, & abrogata; & ea quae Christus confirmauit, ac iussit esse facienda: quantaq; sit distinctio inter signaculum iustitiae fidei; & opera, quae iustitiam ipsam fidei, hoc est charitatem, consequuntur, & à iustitia manant, ac fluunt: quanto denique interuallo inter se distent ea, quae tanquam vmbrae futurorum gratia fuerunt instituta, ab ijs, quae in ipsa diuinae gratiae luce fiunt. Quae, bonae Deus, societas est luci
Heb. 10. 2. Cor. 6. 1. Thess. 5. cum tenebris? quae cum tritico palearum? An ignoramus, eos, qui in carne tantùm circuncidebantur, (de hac enim circuncisione hoc loco agit Apostolus) noctis, atque tenebrarū fuisse

fuisse; nos verò filios lucis, & diei esse? An non Paulum exaudiuimus, qui cùm omnia legis mandata ad vnius charitatis mandatum, tanquam ad totius verae iustitiae fontem cōtraxisset, non de vitijs solùm, & sceleribus, sed de omnibus, quae ad res futuras designandas instituta erant, clara tūc voce clamauit: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus: non in commessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitijs: non in contentione, & aemulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum: & carnis curam ne feceritis in desiderijs?* Vt autem omnis in hac re tollatur imperitorum error, & omnis istarum vulpecularum fraus caueatur, attentè quid Augustinus de circuncisione doceat, audiamus. *Dominus* (inquit) *suscepit circuncisionem, ablaturus ipsam circuncisionem: suscepit vmbram, daturus lucem: suscepit figuram, impleturus veritatem. Et circuncisio vsque ad Christum indulta est. Abraham autem circuncisionem in Christo promisso accepit: vt tandiu circuncisio curreret, quandiu Christus nasceretur, Abrahae promissus: qui omnes gentes iustificaret per fidem, sicut fuerat Abraham iustificatus.* Perinde ergo est, quae sanxit Christus, cum circuncisione, & reliquis id genus scitis, in lege Moysi scriptis, comparare; atque cum vmbra lucem; cum simulachro veritatem; cum his, quae ad tempus instituta fuerant, perpetuò mansura conferre. Est & alterum in hoc Argumento peccatum, & id quidem valde perniciosum, quod sanctum illum, & latè patētem Euangelij campum in exiguum, angustumq; concludit. Neq; enim Euangelij praedicatio, vnius est fidei praedicatio, sed omnia comprehendit, tam quae Dominus noster Iesus Christus ipse per se & oratione, & factis docuit esse facienda; quàm ea, quae cum ab Apostolis, atque discipulis toto terrarum orbe mandauit esse praedicanda; tum ab illis clarissimis, auctoritateq; grauissimis quatuor viris, qui Euangelistae ab Euangelijs, quae scripserunt, appellantur, voluit esse scribenda. Quae omnia, siquis studiosè, diligenterq; perspiciat, non vnā duntaxat fidem complectuntur, sed & spem, & charitatem, & mandata cum additamento promissionis sempiternae vitae, quae lege non continetur, & opera iusta, & pro Christi nomine forti animo tolerandos labores, atque vexationes, & copiosae mercedis in coelo sepositae certas promissiones, si certa, & firma fides adhibeatur. Haec nos ex catholicis, & verae sapien-

Rom. 13.

Ser. 9. de Temp.

Quaest. 22. No. test.

sapientiae doctoribus hausimus, atque didicimus: ex Augustino praesertim: qui de fide agens, & operibus: *Hoc est* (inquit) *euangelizare Christum, non tantùm dicere, quae sunt credenda de Christo; sed etiam, quae obseruanda ei, qui accedit ad compagem corporis Christi; immo verò cuncta dicere, quae sunt credenda de Christo; non solùm cuius sit filius; vnde secundum diuinitatem; vnde secundum carnem genitus; quae perpessus, & quare; quae sit virtus resurrectionis eius; quod donum spiritus promiserit, dederitq; fidelibus; sed etiam qualia membra; quibus sit caput, quaerat, instituat, diligat, liberet, atque ad aeternam vitam, honoremq; perducat*. Et alio loco, narratores originis, factorum, dictorum, passionum Domini nostri Iesu Christi, Euangelistas propriè dici definiuit Augustinus. Item alio. *Cum Christianis* (inquit) *omnibus custodienda sit humilitas: quandoquidem à Christo Christiani appellantur: cuius Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inueniat*. Sed haec hactenus: satis enim apertè sunt à nobis (vt opinor) indicatae, atque detectae, quae latebant in hoc Argumento fallaciae.

Cap. 9.

Lib. 2. con. Faus. cap. 2.

De sancta Virg. c. 33.

QVAESTIO SEXAGESIMA PRIMA.

De Fide Christiana, quae scilicet per charitatem operatur.

LOCVS SEXAGESIMVS PRIMVS.

In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per charitatem operatur.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

INEPTE' Sophistae ex hoc loco arguunt, dum efficere nituntur ab vna fide iustitiam manare non posse, nisi sit cum charitate coniuncta: sed Pauli verba non attendunt. Non enim dixit; Fides, quae per charitatem iustitiam affert: sed, Fides, quae per charitatem operatur. Cur hoc quaeso? Non alia

alia profectò ratione, nisi quia posteaquam vna fides coram Deo iustum hominem reddiderit, tunc per charitatem, tanquam per suum instrumentum operatur. Iustus enim ex fide, languidus, aut iners esse non potest: sed operosus sit, & semper aliquid agens, necesse est. Nihil ergo accipit à charitate fides; sicuti neq; ab instrumento artifex. Acutae autem illius, atq; subtilis artis disserendi, quam tantopere iactant, ignaros se penitus esse hoc loco ostendunt. Perinde enim hoc eorũ peccat argumentum, ac si dicerent. Homo est anima, & corpus; non eorum alterum tantùm: ergo anima sola sine corpore non intelligit. Sic vita Christiana in fide posita est, & charitate. A sola ergo fide, nisi fuerit cum charitate coniuncta, iustitia non profluit. Totam igitur, integram, atq; perfectam Christianam vitam breuiter, & absolutè hoc loco describit Apostolus. Nam fides intra, charitas extra Christianum hominem facit: id, quod caeci isti, ac miseri nostri aduersarij videre non potuerunt.

REFVTATIO.

IDEM illam euangelicam Christianis hominibus salutarem, ab ipso in Epistolis tam crebrò celebratam, & commendatam, atq; cum lege comparatam; cui priscorum Patrum gesta omnia memorabilia, atq; mirifica tribuit; in qua ad iustitiam, & salutem per Iesum Christum adipiscendam, omnem vim, & rationem ponit; ijs verbis aut definit, aut breuiter quidem certè describit Apostolus, vt etiam Augustinus docet: Haec eiusdem Augustini testimonio non solùm gratia est sine meritis, sed ne adhuc quidem petenti gratuito datur, vt petere, precari, inuocare possit. *Quomodo enim inuocaret, in quem nõ crederet?* Neq; verò quale vos fingitis, nos sophistae ex hoc loco decerpimus argumentum: sed more vestro, cùm nostra diluere nequeatis, ea nobis tribuitis, quae tota sunt à vobis conficta, & ementita, à nobis ne cogitata quidem vnquam. Hoc enim est nostrum argumentum, cuius exitum videre nunquam vos haeretici poteritis: *In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; praeputium; sed fides, quae per charitatem operatur.* Haec Pauli verba sunt: ex quibus efficitur, vt fides, quae per charitatem non operatur, nihil valeat in Christo Iesu, quemadmodum neq;

Haebr. & Rom. 11.

Epist. 105. De fide & ope. c. 14.

Rom. 10.

neq; circuncisio, neq; praeputium. Quod si nihil valet, neq; iustitiam igitur affert; neq; salutare quicquam, nuda ista vestra à charitate seiuncta fides. Quo in argumento, dicite quaeso, quid est, quod vel ex Pauli doctrina, quã vobis vnis vendicatis; vel ex Dialecticae concludendi modis, cuius ignaros nos esse vultis; infirmare, & tollere valeatis? Cuius conclusio ad verbum confirmatur à Paulo, cum inquit. *Si habuero omnem fidem ita, vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Omnem fidem dixit, sermonem ipse suum de industria dilatans: ne quis illum, vt vos facitis, ad hoc, vel illud fidei genus arbitrio suo coarctaret. At vos contrà dicitis, Pauli verba non haec esse. Fides, quae per charitatem iustitiam tribuit. O miseros, & impudentes homines. Neque rursus haec sunt. Fides, quae vna iustum coram Deo hominẽ facit, deinde per charitatem, tanquã per suum instrumentum operatur. Quomodo enim diceret Dei spiritus, qui loquebatur in Paulo, tam impudens, & totum à vobis confictum mendacium? Charitas ne sit instrumentum fidei. Totum hoc certè nouum, & à vobis confictum est. Est enim in Ecclesia non solùm inusitatum; verùm etiam ante pestilentem istam haeresim inauditum; si verum illud est, quod summi philosophi docent. ἡ ἐντελέχεια χωρίζει. Charitas verò Christianorum hominũ fidem, à fide daemonum distinguit, ac separat. Est igitur Charitas ἐντελέχεια. Qua de re etiam Augustinus: *Fides* (inquit) *quae per dilectionem operatur, ista quippe fides est Christianorum, non daemonum. Nam & daemones credunt, & contremiscunt: sed & nunquid non diligunt? Nam si non crederent, non dicerẽt: Tu es sanctus Dei: vel, Tu es Filius Dei. Si autem diligerent, non dicerent: Quid nobis & tibi?* An si philosophis non creditis, vobis ipsis non creditis, qui in hoc ipso argumento dicitis: artificem nihil à suo instrumento recipere? Quis verò est, qui vel ex hoc ipso, quẽ tractamus, Apostoli loco non videat, fidem à charitate vim agendi accipere, quae ipsa per se ociosa alioqui esset, & languida? vt id omittamus, quod Augustinus effati loco habet. Sola charitas verè benè operatur. Nullus autem est artifex, qui ab instrumento accipiat, vt agere rectè possit: verùm ab arte, quae magistra est, & dux, ac quaedam quasi forma, & regula agendi. Praeclarè ergo Augustinus; cuius testimonio quamobrem frequentiùs vtar dicam loco commodiore: *Homines* (inquit) *non intelligentes, quod ait Apo-*

1. Cor. 13.

Vbi sup.

De grã. & lib. ar. c. 7.

Apoſtolus; Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine ope- Rom. 3.
ribus legis: putauerunt eum dicere; ſufficere homini fidem, etiam
ſi malè viuat, & bona opera non habeat. Quod abſit, vt ſentiret
vas electionis: qui cùm dixiſſet quodã loco. In Chriſto Ieſu neq; Gal. 5.
circuncisio aliquid valet, neq; præputium; mox addidit: ſed fides,
quae per dilectionem operatur. Ipſa eſt fides, quae fideles Dei
ſeparat ab immundis Daemonibus. Nam & ipſi (ſicut dixit Apo-
ſtolus Iacobus) credunt, & contremiſcunt; ſed non benè operã- Iac. 2.
tur. Non ergò habent iſtam fidem, ex qua iuſtus viuit; ideſt, qua
per dilectionem operatur: vt reddat ei Deus vitam aeternam ſe-
cundum opera eius. Sed quia & ipſa bona opera ex Deo ſunt, à
quo nobis & fides eſt & dilectio: propterea idem ipſe doctor gen-
tium, etiam ipſam vitam aeternam, gratiam nuncupauit. Nihil
haec dicetis ad nos, qui procul ab illorum ſententia ſumus,
quos Auguſtinus reprehendit. Nam de charitate, & ſanctis iu-
ſtorum hominũ operibus magnificè quidem docemus, & ſplen
didè; fidem inertem, & ocioſam non facimus; ſed operoſam,
& quae nunquam ceſſet. At quanquam de operibus multa, &
charitate dici à vobis exiſtimari velitis; nullum tamen illis
(id, quod Solis luce clarius liquet) ad ſempiternam felicita-
tem reſpectum conceditis: qui in vna fide, quam vobis prae-
ter charitatem actuoſam finxiſtis, ſalutaria ponitis omnia,
iuſtitiam, ſalutem, vitam aeternam. Reliqua à fide omnia
penſi nihil apud vos habent. Declarant tantùm, & oſtendunt
eam, quae in occulto latet, fidem. Sed quod penè praeterie-
ram, praetereundum certè non erat: quod acutiſſimi iſti ex-
cogitarunt dialectici, peccari in hac argumenti concluſione.
Homo eſt anima, & corpus, non eorum alterum tantùm: ani-
ma igitur ſine corpore ſola non intelligit. Ariſtotelem iſti præ
ſua dialectica ridebunt: qui cùm opinaretur hominem ex ani-
ma conſtare, & corpore, tam negauit rectè dici: animam per
ſe intelligere, cum de hominis cognitione, & intelligentia
loquimur; quàm texere, vel aedificare: ait enim. Βέλτιον γὰρ Lib. 2. de
ἴσως, μὴ λέγειν τὴν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ διανοεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον τῇ ψυχῇ. anima.
An verò noſtri iſti praeclari philoſophi, Platonis ſententiam
arripuerunt, affirmantis; Socratis animam diſputare, non
Socratem? Verùm ille definit, hominem animam eſſe, quae
corpore tanquam inſtrumento vtatur, non quod ex animae,
& corporis coniunctione factum eſt, vt iſti in ſuo argumento
aſſumunt, quod & redarguunt. Igitur fides, quae per charita-

tem operatur, quo nullum excellentius est, aut praestabilius Dei donum, Christianum facit hominem, intusq;, forisquè: quem nō à daemonibus modò separat (vt ante explicauimus) verùm etiam ab ethnicis: qui nunquam omnia, quae diuina lege praecipiuntur, praestent; non ex fide, quae per charitatem operatur, sed vel poenae metu, vel gloriae auiditate agūt omnia. Ab his praeterea, qui verbotenus Christiani sunt, quorum est fides sine operibus, & mortua. Deniq; ab haereticis, qui in vna fide omnia ponunt, charitatis vires nesciunt, cuius nomen tantùm vsurpant; quid verò ipsa valeat, ignorant. De

Ench. cap. 117. qua Augustinus: *Charitas* (inquit) *quam fide, ac spe maiorem dixit Apostolus, quantò in quocunq; maior est, tantò melior est, in quo est.* Cum enim quaeritur, vtrum quisq; sit homo bonus; non quaeritur, quid credat, aut speret; sed quid amet. Nam qui rectè amat, procul dubio rectè credit, & sperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiā si sunt vera, quae credit; inaniter sperat, etiam si ad veram felicitatem doceantur pertinere, quae sperat: nisi & hoc credat, ac speret, quod sibi petenti donari possit, vt amet. Haec de fide Christiana, quae per dilectionē operatur. Nulla est enim alia fides, quae Christiana, & salutaris possit appellari.

QVAESTIO SEXAGESIMA SECVNDA.

De scandalo.

LOCVS SEXAGESIMVS SECVNDVS.

Ego autem fratres si circuncisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior? ergo euacuatum est scandalum crucis?

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

PERDISCENDVM hinc, scandalo semper fuisse, futuramq; esse crucis praedicationem. Perdiscendum, eandem neq; puram esse, neque salubrem, si humanae rationi arrideat, & nihil habeat offensionis. Hoc nimirum illud est, quod Bernardus ait: Vexationes ex vsu esse Ecclesiae: proficiscun-

tur

tur enim à saeculi huius potentibus, ac sapientibus viris: in quorum odium, & offensionem non alia re magis incurritur, quàm syncera,& liquida veritatis praedicatione:in qua Deus per stulta mundi confundit sapientes; per infirma, fortia; per ignobilia, contemptibilia; & ea, quae non sunt, ea,quae sunt, destruit: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Nemini ergo mirum videri debet, si nostra praedicatione offenduntur & qui potentes sunt, & qui sapientes appellantur: quibus, vtpote pereuntibus, verbum crucis stultitia est. Neque enim praedicamus in sapientia verbi, ne crux Christi euacuetur: quae vna cum erigitur, & extollitur, perditur sapientia sapientium; & prudentia prudentiũ reprobatur; sapiens,scriba συζητητὴς huius saeculi perturbatur. Nam cùm in sapientia Dei non cognouisset mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes. Nemo ergo nostram arguat doctrinam,tanquã falsam,& mendacem, quòd ea potentes, doctique homines offendantur, & commoueantur: quo sanè argumento ad illius veritatem contra hominum calliditatem defendendam, nullum poterat esse firmius. *1.Cor. 1.*

REFVTATIO.

ARVM certè videbitur esse id, quod D. Bernardus de temporum suorum haereticis querebatur, atq; expostulabat, quòd Apostolorũ successores se esse iactarent, & Apostolicos nominarent, cùm nullum apostolatus sui signum ostenderent, si cum illis isti cõferantur, qui sanctam hodie, & catholicam Christi Ecclesiam insectantur, & exagitant. Pares Apostolis se faciunt, & aliquibus etiam rebus superiores. Multa sibi assumunt, quae ex Apostolis nullus vendicare sibi nunquam ausus fuisset. Quaecunq; de Apostolis vel narrantur ab alijs; vel ipsi scripsère de seipsis, ad se transferunt, ac si de se scripta fuissent nominatim. Sed de illorum insolentia, & arrogantia omittamus: & quod ad praesens argumentum pertinet, demus nunc illis, quod Geometrarum more non docent, sed concedi sibi postulant: Puram crucis praedicationem scandalo semper fuisse, & fore. Neq; enim Pauli hoc loco sermo tam latè patet, quàm isti volunt: vbi illud tantùm declarat: non praedicari à se amplius, neq; laudari circuncisionem: quemadmodum falsi illũ, *Bern. Ser. 66. Cant.*

& improbi calumniabantur Apostoli. Quam vnam si praedicarem, aut tolerarem (inquit) nihil profectò loci ex crucis praedicatione, Iudaeorum offensioni, & stomacho relinqueretur: qui mea crucis praedicatione, ea modò parte offenduntur, & indignantur, qua circuncisionem, legitimasq; alias legis ceremonias extinguit, deletq; funditus. Nullum igitur ex hoc loco duci potest argumentum ad declarandum: veram (vt aiunt) & synceram crucis praedicationem, perpetuò secum, & apud omnes gentes ferre offensionem. Sed simus quaeso liberales. Demus, quòd docere nulla ratione, nulla grauiore auctoritate possent. An ne haereticorum doctrina, & praedicatio, scandalum ipsa quoque, & multò id quidem affert magis pestiferum, magisq; perniciosum? Affert illa quidem (id quod explicatè docere possumus, & piorum nunc gratia docebimus) scandalū, quo nullum magis periculosum, & praeceps in Christo, & Ecclesia ex ea doctrina, & praedicatione concitari posse definit Augustinus. Cuius ratione multi desertores efficiuntur Christi, & Ecclesiae. Numerate nunc mihi, si potestis, quot homines, & illi quidem potentia, doctrina, ingenio praestantissimi, ex Arrij primùm, & aliorum deinceps haereticorum doctrina, & praedicatione à Christo defecerint, & Ecclesia. Orbis quippe terrarum vniuersus ex Donati perditissima secta offendebatur: cuius sectatores penes se solos Christi Ecclesiam constituebant, despicientes id, quod de ea diuino canitur vaticinio. *Dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam vsq; ad terminos terrae.* Praeterea quae nam illa sunt scandala, quae necessario euentura Dominus noster Iesus Christus praemonuit, nisi, quae primùm ex crudeli Tyrannorum violētia, deinde ex impia haereticorum fraude infestam Ecclesiam reddidère: quibus bonorum, iustorumq; hominum probatur cum fides, tum charitas; qui nulla tormentorum immanitate; nulla humanae doctrinae suasione adduci potuerunt, vt ab Ecclesia, & veritate desciscerent. Quare & Paulus dixit. *Oportet haereses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiāt,* & Christus ipse grauissimae poenae denūciatione ab offensionis scelere deterruit. Cùm enim dixisset: *Necesse est, vt veniant scandala*; adiecit: *Veruntamen vae homini illi, per quem scandalum venit.* Haeretici igitur, haeretici inquam sunt, qui aduersus filias matris suae scandalum ponunt: hoc est, qui multis auctores sunt defectionis ab Ecclesia:

In ep. Io. Tr. in Ps. 120. — *Psal. 2.* — *Aug. ep. 50.* — *1. Cor. 11.* — *Matth. 18.* — *Aug. in Ps. 40. 60.*

sia: cuius & ipsi Sacramentorum ratione filij dicuntur: & qui in via, qua ingredimur, abscondunt scandalum nobis. *Nam* Psal.141.
(vt Augustinus praedicat) *haeretici in nomine Christi, qui via est. qua nos ingredimur, abscondere nobis scandalum volunt; sed falluntur; quod ipsi in hac via putant se ponere, extra viam ponunt: quia & ipsi extra viam sunt. Muscipulam ponere non possunt, vbi ipsi non sunt. Sed dictum est hoc secundum cupiditatem ipsorum, secundum votum, & opinionem eorum. Nam expressè alibi dictum est. Iuxta semitas scandalum posuerunt mihi.* Psal.139.
Hoc, quod dictum est, In via: secundum cupiditatem eorum, & votum dictum est. Illud, quod dictum est, Iuxta semitam; secundum veritatem dictum est. Re vera enim non ponunt in semita, non ponunt in ipsa via: quia Christus est via, Non eos Christus sinit ponere in via: ne non sit, quà eamus. Sinit ponere iuxta viam; vt de via non declinemus. Igitur si offensionem habere, commune est haereticorum doctrinae, atq; illorum, qui castè, integreq́; in crucis Christi praedicatione versantur; quid tandem hoc argumento effecistis? qua nota secerni ab haereticis, & internosci catholici poterunt? Sed dicamus quod in hac re verùm, synceruḿq; sit. Offendit quidem, & conturbat pura crucis Christi praedicatio. Quosnam? Iudaeos (vt Paulus inquit) & infideles, ac pereuntes. Haereses verò prola- 1. Cor. 1.
psionem, immo potius casum, ac ruinam instruunt, ac parãt pijs, fidelibus, & his, qui salui fiunt: quales sunt, qui vestris argumentationibus, fallacijs, suasionibus, argutijs nouitatibus, ab Ecclesiae obedientia, & antiquis sanctorum patrum institutis, & decretis abduci non potuerunt. Quae vos omnia violare, atq; imminuere, & religionem ipsam quoque de suo gradu deijcere conamini; docentes cum Balaam mittere scandalum, coram filijs Israel edere, & fornicari. Non dissimula- Apo.2.
bo autem, verum esse illud, quod Diui Bernardi graui certè Num.27.
apud me testimonio comprobatur: prodesse Ecclesiae, vexa- 25.31.
ri, & exagitari, non ea tantùm ratione, quae in Argumento exprimitur; verùm & illa, de qua multò ante Gregorius Theologus scripserat: cuius verba latinè expressa haec sunt. *Nos igitur cùm humiles, & moderati essemus, ad hanc altitudinem peruenimus, & paulatim ita creuimus, vt ad hũc maiestatis gradum & honorum multitudinem, Dei ope, & propè manu ducti processerimus. Cum impinguati sumus; tum insolentes, ac petulantes euasimus: posteaquam dilatati sumus; tum rursus in angusti as*

gustias reiecti sumus: & quam in persecutionibus, & tribulationibus collegeramus existimationem & potentiam; hanc secundis rebus amisimus. Quid autem causae est, cur isti, qui se hoc loco D. Bernardi praesidio muniunt, illius eiusdẽ sancti viri vocem non exaudiunt? qui haereticos esse definit, detractores, &canes,illos à quibus catholica irridebatur Ecclesia,eo quòd baptizaret infantes; oraret pro mortuis; sanctorum suffragia postularet:qui,vt ait, in omni genere hominum,atq; in vtroq; sexu festinant proscribere Christum in adultis, & paruulis, in viuis, & mortuis: hinc quidem infantibus ex impossibilitate naturae, inde verò adultis ex difficultate continentiae praescribentes: porrò mortuos viuentium fraudantes auxilijs; viuentes nihilominus sanctorum,qui decesserunt, suffragijs spoliantes. Sed eos praestare dixit, gladio coerceri illius, qui nõ sine causa glaudium portat, quam permitti, vt ad suos errores multos quotidie traducant, & conuertant. Ad Tyresias isti se esse putant, qui soli sapiant, reliquos omnes velut vmbras vagari.

In Cant. Ser. 66.

QVAESTIO SEXAGESIMA TERTIA.

De vexatione doctrinae, an sufficiens sit signum veritatis.

LOCVS SEXAGESIMVS TERTIVS.

Si circuncisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior?

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

MAGNIS periculis quotidie impendentibus in Euangelij praedicatione Paulus versabatur. Tũ enim accusatur; tum in carcerem, & vincula cõijcitur; lapidibus appetitur; virgis caeditur: modò fluminum; modò latronum; modò maris pericula, atq; naufragia subit; incertae fugae se mandat; in capitis, & vitae discrimen saepe vocatur; saepe vltrò se ipse morti pro Christo obijcit, ac deuouet. Sed quinam hi tam infe-

infesti, atq; inimici veritatis praedicatori sunt? Vt vno omnes verbo comprehendamus, Mundus: hoc est, qui in mundo dominantur, & regnant, mundi potentes, atq; sapientes. Quae verò tanta causa est? cur tam acerbè Paulum insectantur? Odij Euangelij doctrina, & veritas: quàm longè magis quàm caput, ac famam suam ipse defendit. Nullum est igitur veritatis, & purae doctrinae verius argumentum, quàm cùm eam videas molestam, & odiosam esse mundo; eiusq; defensores, & propugnatores à mundo damnari. Hoc nobis accidit mox, vt docere, & praedicare veritatem coepimus: quam à nobis renouatam extinguere; & quasi renascentem opprimere mundus suis omnibus viribus est conatus. Qua quidem in re, & testimonium nobis syncerae doctrinae dedisse, & frustra in eo, quod cupiebat, laborasse videtur: quia non est sapientia, neque prudentia, neque consilium contra Dominum, veritatis patronum, & custodem. *Pro.21.*

REFVTATIO.

ATISSIME' suprà, cum de huius Argumenti vanitate, & fallacia; tum de intolerabili haereticorum insolentia disseruimus: qui causam suam cum sanctissimorum Apostolorum causa coniungere; & illorum tempora cum suis non modò comparare, sed paria planè facere contendunt. In quo ne falli nos sophismatibus, & fallacibus istorum conclusiunculis sinamus; quantum fuit in nobis, prospeximus, ita vt necesse nunc non habeamus plura de hoc Argumento verba facere. Vnum illud satis fuerit: Mundi nomine, potentes quidem, & sapientes intelligi, si sint à fidei, & pietatis veritate, ac religione alieni, & abhorrentes. At vexatio ista; vel correctio potiùs, de qua multa aduersarij assiduè queruntur, à sancta proficiscitur, & catholica Ecclesia, quae columna est, & firmamentum veritatis: atq; id non tyrannidis (vt saepe vobis in ore est) exercendae, sed salutis; cum vestrae; tum omnium, qui vestra causa ruunt, procurandae gratia. Verùm ne nihil distinguẽtes, omnia miscere, atq; confundere, vt facitis, & ita credulos homines inducere, ac fallere possitis; ad ea, quae supra ex Augustino contra morbum istũ veluti medicamenta parauimus, quantum inter hanc, & illam vexationẽ interessẽt, ostendentes, Chrysostomi quoq; regu- *Quaest. 58. & 62.*

regulam adiungemus, qua dicta, factaq; omnia discernere, & internoscere docet his verbis. *Non oportet verba nuda expendere: alioqui multae consequentur absurditates. Neque conuenit sermonem per se nudum examinare; sed obseruare mentem scribētis. In humanis enim sermonibus nisi hac ratione fuerimus vsi, expendentes quid senserit is, qui loquitur, multas inducemus simultates; omnia subuertentur, & quid attinet loqui de verbis, quando, & in factis nisi regulam hanc seruauerimus, omnia sursum deorsum miscebuntur? Nam & medici secant carnem, nonnunquam & ossa frangunt: quae frequenter eadem faciunt, & latrones. An non igitur fuerit extremae infelicitatis, si nequeamus latronem à medico discernere? Rursum homicidae pariter, vt martyres torquentur: at non quia patiuntur eadem tormenta, vtriq; eodem habentur loco: sed plurimum interest inter hos, & illos. Quod ni regulam hanc seruauerimus, nulla de re rectè iudicare poterimus, sed ipsum etiam Heliam homicidam cēsebimus: cumq; hoc Samuelem, & Phinees, quin & Abraham filij interfectorem dicemus: si res nudas expendimus, non addentes, quāobrem, quo animo id fecerit.*

In epist. ad Gal. c. 1.

QVAESTIO SEXAGESIMA QVARTA.

De charitate, quomodo est plenitudo legis.

LOCVS SEXAGESIMVS QVARTVS.

Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

TRIVMPHANT hoc loco, seq; immodicè iactant impij sophistae; ex quo sua omnia confirmari posse somnia putant, charitate parari iustitiam; praestari legem; salutem acquiri; vitā comparari sempiternam. Alacres itaque, & erecti volitant; laetum paeana canentes, inani laetitia elati, ac temere gestientes. At caeci nullum esse Argumentum, in quo fiat progressus à praecepto ad opus, non vident. Quis enim eam dederit conclusionem: Lex ita praecipit; ergo homines

ita

ita faciunt? Est igitur eorum argumentum & vanum, & irritum, & planè nullum. Nemo enim ne Sanctorum quidem, tam castè, & integrè dilexit, vt ex toto corde quod lex mandat, dilexisse dici possit, cupiditatis ratione, à vero, & perfecto amore retardantis. Hinc illae Pauli, quas de iustorum omnium persona deplorare solebat, frequentes querelae. *Scimus, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autē quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur lege, volenti mihi facere bonum; quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captiuantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Si quis verò sit tam stupidus, qui natiuum istud, ac domesticum bellum sentire se vel neget, vel dissimulet; is Augustinum audiat, qui in sermonibus de verbis Apostoli ita scripsit. *Vel sentis hanc rixam; vel non: si non sentis; vide ne fortè mens tua tota carni consentiat: vide ne fortè ideo non sit bellum, quia pax peruersa est. Quando vinces, qui nondum bellare coepisti? Si sentis, compatere dicenti: Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Et, Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Cùm igitur (vt constat) amor non sit talis, qualem requirit lex; neq; iustitiam afferre, neq; salutem valet; neq; homines, vt legi sint audientes, efficere potest. Quae quidem omnia ab vna fide petenda sunt. Fides enim duce Iesu Christo, ad gratiae, & misericordiae Dei sedem, & ad peccatorum veniam ducit: qua impetrata inchoatam quandam legis seruādæ rationem ingredimur, & peccatum, quod ne perfectè, & absolutè legi nos obedientes præbeamus, obstat, Christi merito nobis non imputatur. Haec qui nesciunt, se fidei, & religionis Christianae mysteria nescire fateantur, necesse est.

Matth. 22. *Rom. 7.* *Ser. 12.*

REFVTATIO.

V'M à durissima legis seruitute Galatas ad libertatem vocatos, & ad suauissimam fidei gratiam translatos esse Paulus docuisset, duplici admonitione tum eos commonefacit: altera, ne tuendae libertatis occasione carni fręna laxent; ne ne quicquam de virtutę pudoris, & modestiae magistra remittat: altera, vt charitatę mutua sibi vicissim omnes seruiant, hac potissimum ratione, quòd omnis lex in hoc sermone impleatur: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Qua de re latiùs, & enucleatiùs in Epistola ad Romanos egit. In qua cùm de eadem fidei libertate eos edocuisset; & non solùm à spiritu, ac timore seruitutis liberatos, sed etiam adoptionis spiritu donatos ostendisset, quo monente, & impellente clamare possent, *Abba pater;* vt sua illos cohortatione ad charitatis officia inuitaret, & reuocaret à vitijs, ne libertatis nomine fortasse decepti in alijs rebus cupiditate prolaberentur, ita cum illis loquitur. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam Non adulterabis; Non occides; Non furaberis; Non falsum testimonium dices; Non concupisces; & siquod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Ex quibus ita nos argumentamur, vt ad nostrum argumentum respondere, aut omnino hiscere haeretici planè nihil possint. Est autem hoc. Qui ex fidè in Christum Iesum peccatorum suorum veniam impetrauit, & promissum spiritum sanctum vnà cum charitatis diuino munere, quod illum semper cõsequitur, accepit; is iustus est: est enim charitas (vt Augustinus inquit) verissima, plenissima, perfectissimaq; iustitia: is legem obseruat, & implet: hoc est (vt Augustinus explanat) ita viuit, vt lex praecepit. Plenitudo enim legis charitas, sicut dicit Apostolus: quam charitatem Dominus exhibere, & donare dignatus est, mittendo fidelibus suis Spiritumsanctum. Vnde idem dicit Apostolus. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum, qui datus est nobis.* Et ipse Dominus. *In hoc scient omnes, quia discipuli mei estis; si vos inuicem diligatis.* Impletur ergo lex, cum fiunt, quae ibi praecepta sunt. Ex quo fit, vt nostrum argumentum à praecepto ad opus non sit, vt falsò iudi-

De natura, & gratia c. 47.
Lib. 12. cõ. Fau. cap. 6.
Rom. 5.
Io. 13.

iudicare deprehenduntur haeretici. Neq; enim praecepto aliquo tanquam fundamento nitimur rationis; sed illa Pauli asseueratione: *Qui diligit proximum, legem impleuit:* qua etiam asseuerantiùs vtitur, cum inquit: *Plenitudo legis est dilectio.* Est autem à diuinae gratiae, siue charitatis munere, & auxilio, quae nunquam est inanis, nunquā ociosa, aut cessans (id quod Paulus apud omnes testatum reliquit) ad opus, opus inquam de quo Deus summus legislator non modò seuerè praecipit, sed vt perfici possit, suum benignè pollicetur, & affert auxiliū. *Spiritum* (inquit) *meum ponam in medio vestri: & faciam, vt in praeceptis meis ambuletis, & operemini.* Quamobrem Augustinus, qui vnus quae apud Paulum occulta, inuoluta, & (vt Petrus ait) difficilia sunt intellectu; prompta, aperta, & facilia facere potuit; cùm illud ex Paulo recitasset: *Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus:* tum adiunxit. *Ex hac promissione, hoc est ex Dei beneficio, ipsa lex impletur: sine qua promissione praeuaricatores facit, vel vsq; ad effectum mali operis; si etiam repagula timoris concupiscentiae flamma transcenderit; vel certè in sola voluntate; si timor poenae suauitatem libidinis vicerit.* Explanat autem illud Dei beneficium, charitatem esse, his verbis. *Charitas quippe plenitudo legis est: & non nisi charitati sunt praecepta facilia. Vnde ipsa dilatatio commendatur, cum dicitur. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Legem igitur ne ab vllo quidem omnium, qui vnquā fuère, futuriuè sunt hominum, quātumuis sanctorum, ac Deo placentium, aut seruatam, aut impletā fuisse asserentes, perinde mihi facere videntur, atq; illi, qui defendere stultissimi conantur, vel neminem Sanctorum charitate à Deo donatum vnquam fuisse; vel Deum, quae nullo modo fieri possent, præcepisse: quorum vtrumq; à veritate plurimum abhorret. Alterum enim Paulo maximopere aduersatur: qui ad Romanos accuratè differens, rebus neq; secundis, neq; aduersis homines sanctos à Christi charitate posse separari ostendit: Corinthijs charitatis viam omnibus alijs excellentiorem, atque praestantiorem esse demonstrat, quibus etiam, vt omnia in charitate faciant, praecipit, & mandat. Ephesijs non solùm in cordibus eorum, vt Christus per fidem inhabitet, optat, sed etiam in charitate radicari, & fundari vehementer cupit; vt comprehendere valeant cum omnibus Sanctis, quae sit la-

Gal. 5. *Rom. 13.* *1. Cor. 15.* *Ezech. 36.* *2. Pet. 3.* *Gal. 3.* *De spiritu, & lit. c. 19.* *Qu. super Exo. c. 107.* *Psal. 17.* *Rom. 8.* *1. Cor. 12.* *1. Cor. 16.* *Eph. 3.*

1.Thess.4. titudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, Thessalonicenses charitatem suam erga omnes fratres cognitam facere in vniuersa Macedonia laetabundus exultat. Quam quidem
1.Io.4. charitatem etiam Ioannes ait, perfectam in nobis fore, si mutua nobis inter nos fuerit beneuolentia: vt intolerabilis omnino sit impudentia, & obstinatio ferro, flammaq; castiganda eorum, qui nemini Sanctorum diuinum hoc, atq; adeo necessarium Dei munus contigisse praedicant. Alterū verò & Mosi diuino legislatori, & Paulo diuinae legis interpreti, apertè,
Deut.30. palamq; repugnat. Ille enim in lege ita scripsit. *Mandatum, quod ego praecipio tibi bodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in coelo sursum, vt possis dicere. Quis nostrum valet ad coelum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atq; opere compleamus? neq; trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus audire, & facere, quod praeceptum est? Sed iuxta est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.*
Rom.10. Paulus autem locum hunc ad Christum ea potissimùm ratione transtulit, quòd fide in Christum, Spiritumsanctum, & iustitiam fidei, idest charitatem, concipiamus. Vt enim saepe iam diximus, & memoriae causa saepius erit repetēdum: illa ipsa iustitia fidei charitas est; quae mandata legis ita leuia, & suauia facit, vt & ferri possint, & voluptatem habeant, ac delectationem. Quibus autem verbis Paulus in hac interpretatione sit vsus, audite. *Quae ex fide* (inquit) *est iustitia, sic dicit. Ne dixeris in corde tuo. Quis ascendet in coelum, idest Christum deducere? aut, quis descendet in Abyssum, hoc est Christum à mortuis reuocare? Sed quid dicit? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis; saluus eris.* Quomodo saluus, inquies? Hac inquam ratione, quòd mens fide parata, spiritum sanctum, & charitatem concipit: cui vni quidem
1.Io.5. charitati (vt Ioannes inquit) mandata Dei grauia non sunt. Quapropter Augustinus, sine quo interprete si Pauli locos paulò obscuriores intelligere conarer, frustra laborare mihi ipse viderer; duo maximè aduersus haereticos diligenter tuetur, atq; defendit: alterum quidem, charitate legem impleri, diuinaq; mandata suauia, atq; facilia factu fieri. Qua de re inter caetera: *Dicit Apostolus* (inquit) *Plenitudo legis charitas,*

tas, & fides, quae per dilectionem operatur. Factum est itaque homini facile in nouo testamento, quod in vetere difficile fuit, habenti fidem, quae per dilectionem operatur, atq; illo digito Dei, hoc est in spiritu Dei intus eam in corde scribente; non foris in lapide. Alterum verò, Deum ἀδύνατα, idest, quae fieri nullo modo possint, non praecepisse. *Deus* (inquit) *impossibilia nō iubet: sed iubendo admonet & facere, quod possis; & petere quod non possis.* Iam verò libido, quam concupiscentiam vocant, nunquam tanti fuit, vt sanctos homines, ne quae de charitate mandata sunt, diligenter exequerentur, planè impedire posset. Bellum illa quidem gerit cum hominibus perpetuum, dum in huius vitae lubrico versantur, & dum adhuc per speculum in aenigmate Deum agnoscunt: vt grauissimo saepe certamine, & acerrima pugna omnino sit opus ad ea munia obeunda, & mandata exhaurienda, quae nobis charitas imposuit, atq; praefixit. Sed qui in hoc certamine cupiditate non frangitur, & sese praestat inuictum; is solidam illam, & constantem iustitiam tenet, quae homini mortali potest in hac vita contingere. Itaq; cum legitimè certauerit, corona iustitiae in coelo, vbi sempiterno aeuo fruetur, meritò donabitur: non iam amplius per speculum, & in aenigmate, sed facie ad faciem Deum contemplans, omni cadendi timore, atq; periculo solutus; & liber; summaq; Deum charitate, & amore complectens; iustitia, quàm dum mortalem hanc viueret vitam, esuriuit, & sitiuit, abundè saturabitur. In hac autem saturitate iustitiae, beatae, & sempiternae vitae merces posita est: vt sit gratia pro gratia, & iustitia pro iustitia, & deniq; triumphus pro victoria. Non ab re igitur Paulus certaminis illius, & pugnae, de qua diximus, non ignarus, cum de vitae praesentis iustitia loquitur, querelas illas cum dolore deplorat, de repugnantia, de corpore mortis, de intimo, & domestico peccato, & reliquis id genus. At ne quis propterea de ea iustitia detrahendi, quemadmodum hodie faciunt haeretici, occasionē arriperet; peccatum illud, de quo queritur, non verè, & propriè peccatum esse declarat: quod eos non condemnat, qui sunt in Christo Iesu, neq; secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant; hoc est (vt ipsemet Paulus interpretatur) qui spiritu facta carnis mortificant. Hisce querelis quid sibi vellet, & quid expeteret Paulus, paulò post ea verba, quæ sunt in Argumento recitata, exponit Augustinus. *Vult enim* (inquit)

De natura, et gratia c. 43.

1. Io. 1.

Rom. 8.

De ver. Ap. Ser. 12.

quit) *carere hoc inimico; & multo optabilius ducit, inimicum nō habere, quàm vincere.* Sed animaduertite quaeso malè sani, & malè acuti, ne quantum de charitate detrahere conamini, tantundem de fide detrahatis; quam vnam extollere dicendo videmini. Nam si iustitiam charitas non deserat, quia non quantum satis sit, non plenè, non toto corde, vt lege praescribitur, amemus; eadem certe ratione ne fides quidem ipsa iustitiam deseret. Quis enim ex toto corde, quis integrè, quis cumulatè credit? quod ad iustitiam requiri Philippus Diaconus ostendit, cum Aethiopi Eunucho, qui Euangelium iam tum degustare coeperat, dicenti. *Ecce aqua: quid probibet me baptizari?* respondit. *Si credis ex toto corde, licet.* Nemo certè, nemo inquam est, cui fidei non multum desit; cuiq; nō in credendo natura, cupiditasq; repugnet. Satis igitur fuerit, tantum habere fidei, & charitatis, idq; diuino beneficio, quantum habere militantes, peregrini, viatores possunt: nec ea requirenda sunt, quae victoribus, ciuibus, & in coelesti patria quiescentibus, mercedis loco, tribuuntur. Hanc autem mercedem, & laborum fructum fide quidem, & precibus postulare; patientia & perseuerantia expectare, atq; sperare; charitate diligere, & bonis omnibus anteponere omnino Christiani homines debent. Est enim bonorum omnium summum, & extremum: quo referenda sunt omnia, ipsum autem nusquā. Ita Paulum imitabuntur; qui non aliò, quàm huc suum omne certamen, cursum, fidem referebat. Qua de re *Bonū* (inquit) *certamen certaui; cursum consummaui; fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae; quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.*

Act. 8.

2. Tim. 4.

QVAESTIO SEXAGESIMA QVINTA.

De idololatria, quam ad monachorum statū, & missae sacrificium transferunt haeretici.

LOCVS SEXAGESIMVS QVINTVS.

Manifesta sunt autem opera carnis: quae sunt adul-

adulterium, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

DE carnis operibus, quae hoc loco Paulus enumerat, venire in dubium nemo potest, quin illis omnibus nō modò mundus, sed & ipse Christianus orbis affluat; praeterquam de eo quod appellatur εἰδωλολατρία: quam ex Christianorum hominum pectoribus eiectam penitus, atq; exterminatam aduersarij volunt. Sed si, quid, & quale sit, quod hoc vno nomine Paulus significare voluerit, subtiliùs intellexerimus, statim cognoscemus nullum esse aliud carnis opus, quod aequè atq; istud in Christianis finibus regnauerit, puramq; foedauerit religionem. Significat enim hoc vno verbo Paulus quicquid humana ratio probat, atq; optimum esse decernit: cuius generis sunt Monachorum professio, Missa priuata, aliaq; id genus sexcenta, secundum praecepta, & doctrinas hominum: quae sunt rationem quidem habentia, sapientiae in superstitione, & humilitate, & ad non parcendum corpori non in honore aliquo ad saturitatem carnis, vt Paulus inquit. A quibus omnibus qui Christum purè, & castè colere volunt, & non in duas partes claudicare, tanquam à mortifera idolorum seruitute longissimè abhorrere oportet. *Colos. 2.*

REFVTATIO.

NEQVE Monachorum professio, neq; nostrum sacrificium, quam vos Missam priuatam appellatis; vt alia omittamus, quae ne vos quidem ipsi quemadmodum oportebat, omnia hoc loco enumeratis; humanae rationi probantur. Nam quod ad primum attinet, quis nunquam qui iudicandis, examinandisq; rebus humana tantum ratione niteretur, hominem probauit, qui libertatem eam, quam αὐτονομίαν Graeci appellant, reijceret; ac voluntariè cuiusdam seruitutis genus sectaretur? quis eum, qui diuitijs paupertatem, rerum abundantiae inopiam, vitae omnibus delitijs circunfluenti egestatem, atq; indigentiam antepo- *Monachorum professio.*

tepresnisset? quis deniq; vllum hominem, qui vt pudicitiam sequeretur, omnem respueret posteritatis spem; prudenter, & ratione aliqua fecisse asseruit? Propterea Christus humanae salutis consiliarius, & administer de his rebus consilia nō omnibus hominibus, qui ratione quasi quadam vitae luce vtuntur, dedit; sed illis tantùm, qui diuino numine, ac spiritu gubernati, ipsum aliquanto propiùs erant secuturi: & cùm in interiore cordis parte diuinam vocationem admisissent, omnibus numeris absolutiores, atq; perfectiores erant euasuri, ac intimo corde percepturi, quidnam esset Eunuchum fieri

Luc. 9. propter regnum coelorum. Ait enim: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Si*

Matth. 19. *vis perfectus esse, vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in coelo, & veni, sequere me. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat.* Vt autem haec non necessaria, sed voluntaria; non omnium, sed paucorū esse intelligamus; adhibenda est mandati, & consilij facilis illa, & expedita distinctio, quam Gregorius Theologus complexus est: quem latinè lo-

Con. Iul. or. 1. quentem audiamus. *Eorum* (inquit) *quae legibus Christianis sancita sunt, quaedam necessitatem habent, quibus qui non parent, sibi ipsi periculum creant: quaedam verò non necessitatem, sed electionem habent; quae si seruetur, honorem, & praemium afferunt; si non seruetur, nullum omnino periculum.* Et de Mo-

Missa priuata. nachorum professione quidem haec. De Missa verò priuata, quid est, quod humana ratio per se ipsa percipere, nedum probare possit? Num illa, quae ex sanctis libris Dei verba ad nostram siue doctrinam, siue cohortationem, siue consolatio-

1. Tim. 2. nem recitantur? Num obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones? Num quod maximam habet admirabilitatem, diuinum, & singulare mysterium humana mens, aut ratio intelligere potest, quae nihil, nisi, quae sub sensum

1. Cor. 2. cadunt, agnoscit? Cumq; haec omnia Dei spiritus sint, ea spiritus Dei tantùm non alij cognoscūt; &, qui non spiritum huius mundi tantum acceperunt, sed eum quoque, qui ex Deo est: vt sciant, quae sunt ipsis à Christo donata. Totum igitur hoc, quod de idololatria hoc loco philosophamini, fictum quiddam, & inane est. Quomodo enim dixisset Paulus. *Manifesta sunt opera carnis;* cùm tot saeculis ad vestra vsq; tem-

pora

pora occulta ista, & arguta verbi huius vis, atq; potestas in mentem venerit nemini? Hanc scilicet idololatriam Ambrosius sanctus Episcopus ignorabat, quando Mediolani monasterium extra vrbis moenia bonis fratribus plenum paterno sustentabat amore: cuius rei certissimus est testis Augustinus. Ignorabat Augustinus ipse, quando monasteria, & monachos instituebat: qua de re à Donatista Petiliano acriter accusabatur; quod vitae genus (vt Augustinus ait) vel ille nesciebat, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingebat. Ignorabat, quando cum Manichaeis de moribus differens Ecclesiae catholicae, monachorum institutionem, atq; disciplinam his verbis eximia laude ornabat. *Quis non illos miretur, & praedicet, qui contemptis, atq; desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamq; congregati, simul aetatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi; nulla peruicacia turbulenti; nulla inuidentia liuidi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt: nemo quicquam possidet propriū: nemo cuiquam onerosus est: operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit: opus autem suum tradunt eis, quos decanos vocant, eo quòd sint denis praepositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neq; in cibo, neq; in vestimento, neq; si quid aliud opus est vel quotidianae necessitati; vel mutatae, vt assolet, valetudini. Illi autem decani cū magna solicitudine omnia disponentes, & praesto facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt vni, quem patrem vocant. Hi verò patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, nulla superbia consulunt ijs, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisq; habitaculis, dum adhuc ieiuni sunt, ad audiendum illum patrem: & conueniunt ad singulos patres terna, vt minimum, hominum millia: nam etiam multò numerosiores sub vno agunt: audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eis pepulerit, differentis oratio vel gemitu, vel fletu; sed modesto, & clamore vacuo, gaudium significātes. Corpus deinde reficitur quantum saluti, & salubritati sat est, coercente vnoquoq; concupiscentiam, ne se profundat, vel in*

Conf. lib. 8. cap. 6.
Lib. 3. con. Pet. c. 20. 19.
De mo. eccl. cath. c. 30. 31.
Decani qui?
Patrū auctoritas.
Subditorū obedientia.
Refectio.

Abstinentia. *ea ipsa, quae praesto sunt parca, & vilissima. Ita non solùm à carnibus, & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum; sed ab his etiam, quae tanto concitatiùs ventris, & gutturis prouocant appetitum; quantò quasi mundiora nonnullis videtur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè, turpiterq; defendi. Sanè* *Eleemosyna.* *quicquid necessariò victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est. Nullo modo nanq; satagunt, vt haec sibi abundent: sed omni modo agunt, vt non apud se remaneat, quod abundauerit, vsque adeo vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quae inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neq; dignè valeo, & vereor ne iudicare videar, per seipsum tantum expositum, placere non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. Haec Manichaei reprehendite, si potestis: nolite caecis hominibus, & discernere inualidis, ostentare nostra zizania.* His omnibus adiungo non Augustinum solùm Donatistas; & Ecclesiam catholicam Manichaeos; verùm & Basilium magnum illum Caesariensem Episcopum, Sabellium Lybicum, & Marcellum Galatam, de Monachorum institutione, & consuetudine habuisse accusatores. Qua de re quid ad Ecclesiam Neocaesariensem scripserit, ex ipso discite: cuius verba siquis latinè audire velit, haec planè sunt. *In epist. ad Eccl. Neocaes.* Reprehendimur autem, quod homines pietatis cultores habeamus, qui mundo, mundanisq; curis omnino renunciarint, quas quidem curas Dominus spinis verbum fructum ferre prohibentibus assimilat. Huiusmodi homines mortificationem Iesu Christi circunferentes in corpore, crucemq; suam tollentes Deum sequuntur. Ego autem quanti meam omnem vitam, tanti haec esse peccata mea, & tales homines apud me, & sub me magistro hanc vitae rationem, exercitationemq; professos habere libenter aestimarim. Sed nunc & in Ægypto eadem virtute viros esse audio: & in Palestina fortasse quosdam, qui hanc secundum Euangelium viuendi rationem, & viam egregiè tenent. Atqui & in Mesopotamia quosdam esse audio perfectos, atq; beatos viros. Nos verò pueri sumus, si cum perfectis comparatio fiat. Haud profectò tales (vt dicitis) hodierni sunt monachi, in quos acer-

bè

bè inuehi, & contumeliosè vestrum est. Quis negat? At non est haec de personis instituta disputatio, sed de institutione, professione, & statu monachorum? Est etiam iniqua in omni hominum genere malorum praetermissis bonis enumeratio. Ad illam igitur magni Patris Augustini regulam nostra omnis siue laus, siue vituperatio formanda est, & dirigenda. *Tu, qui laudas* (inquit) *dic mixtos malos: tu, qui vituperas, vide ibi & bonos. Nemo vos fallat fratres, si non vultis falli, & vultis amare fratres: scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere personas fictas. Sunt Christiani mali; sed sunt, & boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana peruenire non permittunt. Sunt ibi & grana; accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium; inuenis sanctimoniales indisciplinatas; nunquid ideo sanctimonium reprehendendum est?* Sed popularis ista, & vetus de monachis perpetua fuit in Ecclesia querela, qui neglectis temporalibus bonis conuolant ad diuina. *Nam etsi alij* (vt Augustinus inquit) *cedunt eorum virtutibus, & laudant, quod imitari non audent; pauci tamen murmurant, & inani liuore torquentur: aut qui sua quaerunt in Ecclesia, quamuis videantur catholici: aut ex ipso Christi nomine gloriam quaerentes, haeretici: aut peccatum impietatis suae defendere cupientes, Iudaei: aut curiositatem vanae licentiae perdere timentes, Pagani. Sed Ecclesia catholica per totum orbem longè, lateq; diffusa, impetus eorum prioribus temporibus frangens, magis, magisq; roborata est, non resistendo, sed perferendo.* Sed de primo idololatriae genere, quod sibi finxerunt haeretici, hactenus. De altero verò, missae videlicet sacrificio, dicere quid refert? quando si verum sit, quod in Argumento comminiscuntur, ab Apostolorum temporibus, hoc est ab ipsis apparentis Ecclesiae incunabulis, Patres ad vnum omnes, Episcopi, Sacerdotes, omnis denique in Ecclesia gradus, ordo, aetas, Oriente toto, atq; Occidente Idolis operam nauarunt: quibus sanctum, & solenne fuit hoc, quod hodie nos facimus sacrificium: id, quod ex antiquis, & patrijs ritibus homines sancti, & religiosi accuratè collegerunt: ac inter caeteros Ioannes Hoffmeysterus Germanus, homo mihi de facie nunquam notus, sed professione, studio, officijs, amore, voluntate coniunctissimus. Nobis autem satis, superq; hoc loco fuerit, Augustini auctoritate ostendere huius sacrificij eundem

In Ps. 99.

De Agone Chr. c. 12.

Missae sacrificium.

Ioã. Hoffmeysterus.

planè fuisse ritum, eandemq; formam eo tempore, atque no-
Epist. 59. stro: ne quis cum haereticis heri, aut pridie inuentam fuisse missam, & institutam arbitretur. *De verbis* (inquit) *Apostoli multa dici possunt, quae improbanda non sint: sed eligo hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia: vt* δεήσεις*, obsecrationes scilicet, seu precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, ante quam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici,* προσευχὰς*, orationes scilicet, seu vota, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur: quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia, Dominica oratione concludit.* εὐχὴ *enim ea propriè intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, idest* πρὸς εὐχήν*. Vouentur autem omnia, quae offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio: quo sacramento praedicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vouimus, in Christo esse mansuros, mansuros vtiq; in compage corporis Christi: cuius rei sacramentum est, quod vnus panis, vnum corpus multi sumus.* ἐντεύξεις*, postulationes scilicet, seu interpellationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimae offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto sacramento,* εὐχαριστίαι*, idest gratiarum actiones, cuncta concludunt: quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus.* Saepius quoq; commemorat id, quod in hoc verissimo singulariq́ue sacrificio dicitur. *Sursum corda*, vt habeamus ad Dominum, Domini ipsius munus esse: perinde moneri nos à Sacerdote, vt *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Et cùm sanctos martyres virginibus compararet, inquit. *Perhibet praeclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco martyres, & quo defunctae sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur.* Hac igitur voce illud carnis opus significauit Paulus, & declarauit, quod latiùs descripsit, cum de mundi huius sapientibus ait. *Cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*. De quo item Corinthios monuit, ne Idololatrae efficerentur: neuè illorum Iudaeorum impietatem imitarentur, qui conflatum vitulum adora-

1. Tim. 2. — Post pauca. — De bo. per. cap. 13. — De spũ, & lit. cap. 11. — Epist. 57. — De Sa vir. cap. 45. — Rom. 1. — 1. Cor. 10.

adorauerunt: de quo illorum peccato scriptum est. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Ephesios quoq; docuit, Idolorum cultum esse auaritiam, non illa tantùm (vt arbitror) ratione, quia in argento, & auro suas omnes spes, & cogitationes collocat auarus, quemadmodum simulachra colit ex auro, & argento fabricata; verùm quia aeris, quo maximè fidunt auari, primus vsus cùm diu fuisset sine nota, pecudum postea nota signatum pecuniae nomen, accepit. Vnde mutare videtur auarus immortalis Dei gloriã in similitudinẽ quadrupedis. Vtinam autem quemadmodum hoc carnis opus, idolorum scilicet seruitus, propriè non est in Ecclesia; ita neq; illud in ea serperet infinitum malum, quod reliquis carnis operibus annexum hoc loco est, appellaturq; Haeresis, pestiferum, ac funestum malum, malorum omnium fons, & origo. Huic enim vni accepta referenda sunt ea omnia mala, quae miseram hanc Remp. Christianam tam malè habent, vexant, lacerant: pro obedientia, dissoluta libertas: pro modestia, omnium scelerum licentia: pro paupertate, rerum omnium sacrarum direptio; vectigalium occupatio: Sacerdotum, & omnium, qui piorum testamẽtis alebantur, eiectio, & oppressio: pro castitate, non coniugia, vt dicitis; sed stupra, sacrilegia, & effusae in omni intemperantia libidines: pro monachis, & monasterijs, ingens desertorum, & transfugarum numerus, & mira templorum solitudo: pro sacrificijs, & sacramentis, sacrilegia, sanctarum ceremoniarum, totiusq; religionis contemptus. Quorum scelerum magnis, atque potentibus principibus, ac populis auctores fuère homines, qui paupertatem, castitatem, & obedientiam vouerant. Sed cùm his querelis nihil proficiatur, ad duo, quae res restant eorum argumenta reuertamur.

Exo. 31. *Eph. 5.* *Cur auaritia dicatur idolorum cultus.*

QVAESTIO SEXAGESIMA SEXTA. EX CAP. VI.

De legibus humanis, & Pontificijs.

LOCVS SEXAGESIMVS SEXTVS.

In Christo Iesu neq; circuncisio aliquid valet, neq; praeputium, sed noua creatura.

ARGV-

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

I neq; circuncisio, neque praeputium in Christo Iesu aliquid valent, sequitur, vt neque tota Iudaeorum lex, neq; omnes omnium gentium leges ad comparandam per Iesum Christum iustitiam, aut salutem aliquid valeant. Circuncisio enim cùm legis Iudaicae proprium, ac perpetuum sacrum sit, legem significat, legem inquam, quam à Deo Iudaei acceperunt in dispositione Angelorum: quod Stephanus illis in Concilio sedētibus exprobrauit. Praeputium verò leges omnium gentium, ac nationum, quae circuncisione non vterentur, significare haud dubium est: quae quidem leges à ratione, ac mente sapientum profectae, rectè facere iubent; delinquere vetant. Cùm igitur neq; diuina, neq; humana vlla lex iustitiā afferre possit, impiè profectò Romanus Pontifex agit, qui iustitiae, & salutis gratia Christi populum ad leges suas animū, & fidem applicare compellit. Hac enim ratione, & via homines pretio pretiosissimo redemptos, ac liberatos à Deo, seruos suos facit, contra illud Pauli. *Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum.* Quid diceret Augustinus, si leges audiret, quae seruitute nos hodie indigna, & intoleranda oppressos tenent; de ieiunijs, ciborum differentijs, diebus festis, votis, matrimonijs, confessionibus, excommunicationibus, alijsq; id genus innumeris? qui Iudaeorum conditionem sub lege, Christianorum conditione sub gratia tolerabiliorem iam tum esse dixit. *Iudaei enim* (vt ipse ait) *quanquam tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subijciuntur.*

Act. 7.

1. *Cor.* 7.

Epist. 119.

REFVTATIO.

ELIS, remisq; ad αὐτονομίαν hoc tendit Argumentum, & ad plausibilem quandam, popularemq; licentiam inducit, vt humana primùm omnis sensim, deinde diuina quoque abrogetur lex, nostroq; viuamus omnes arbitratu. Duplici nanq; via, haereticorum doctrina vulgi sensus, animosq; titillat, atq; ad eos affluit cum suauitate. Altera quidem est, qua diuinae legis interpretationem omnibus promiscuè, communiterq; concedit: neq; illorum

rum propriam esse vult, quorum potissimùm industriae, & curae suas Christus oues ipse commendauit, pascendasq; cōmisit. Altera verò, quae legum omnium, non humanarum tantùm, sed diuinarum etiam auferunt metum; & Ecclesiae catholicee debitam de medio planè tollunt obedientiam, quibus blanditijs vulgares animi deliniti, atq; corrupti, adiuncta peccatorum impunitatis spe, quae maxima est ad peccandum illecebra, facilè à patrum, atque maiorum nostrorum seueritate, ac disciplina, ad illorum immoderatam libertatem, dissolutamq; licentiam euolant, atq; transfugiunt. Quoniam autem de prima via alio loco disputatum est à nobis, de altera quod praesens requirit Argumentum, ad operis huius finem properantes, breui percurramus. Duplex omnino est hominum genus: vnum eorum, qui sua quodammodo sunt natura habiles, atque idonei ad Christi gratiam amplexandam: quibus in ea quoque perseuerare, & ad virtutum normam, de quibus Christus ipse praecepit, vitam omnem, actionesq; instituere, naturae bonitate adiuuante, haud multum difficile est, haud laboriosum. Alterū illorum est, qui ad haec eadem naturam habent non modò tardam, atque remissam; verùm etiam repugnantem: cumq; in vitia ipsi, turpesq; vitae actiones facilè dilabantur, tum ea in alios infundunt: neque solùm obsunt, quòd ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt, exemploq; malo plusquam peccato nocent. Primi generis hominibus, qui sua sponte rectè agerent, diuinisq; mandatis obtemperarent, admonitio quaedam, atque animaduersio sufficit, non tam de rebus, quas oporteat agere, quàm de attributis rebus ipsis ἐν οἷς καὶ περὶ ἃ ἡ πρᾶξις, &, vt exempli gratia ad minima veniam, non de ieiunio, sed de modo, tempore, fine ieiunij admonendi sunt, eodemq; de reliquis modo. At secundi generis hominibus poenae metus necessariò adhibendus est. Vt enim equis ferocitate exultantibus domitores inijcere solent fraenos, quò mansuefacti, vel inuiti equiti parere condiscant: & vt gubernacula nauibus gubernatores, quò in altum, cùm libet, è portu, & ex alto in tutum, atq; tranquillum portum inuehi possint, adhibere naualis disciplina iubet; ita hominum ferocitati, & insolentiae poenarum metus necessariò est adhibendus, quò vel inuiti sceleribus abstineant, paulatimq; naturam illam in leges, & magistratus contumacem, atque superbam exuant, & desuescant

Duplex hominum genus ad Christianam disciplinā nanciscendam.

Poenae metus peruicacib. adhibendus.

tra-

tractabilioresq; sensim effecti, humanitatem, & obedientiam induant, atque suscipiant. Euenit enim saepenumero, vt, qui initio poenam horrentes, ac reformidantes, in officio tanquam serui sese continent, mutata post diuino beneficio mente, ac voluntate; amoris, & charitatis vinculis irretiti; voluntarij, & tanquam filij diuinae gratiae, & sanctissimarum legum iussis morem gerant, & obsequantur. Multi etiam naturae vitia, diuina primùm gratia, sine qua nihil sumus omnes, deinde virtutum exercitatione sustulerunt. Quod si hæc non contingant, iudiciorum saltem, legumq; metu alios perturbare, ac malo exemplo, & impunitate ad peccandum incitare desinant. Non inutiliter Augustinus: *Legum* (inquit) *etiam metu humana coercetur audacia, vt & tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, dum formidato supplicio fraenatur facultas, inuocato Deo sanetur voluntas*. Huc igitur Pontificum leges, quas Canonicas, siue Ecclesiasticas appellamus, tendunt omnes: quarum maiestatem eleuare quicunq; student, rem illi quidem perniciosissimam in Ecclesiam, & domum quamcunq; inducunt confusionem, atque discordiam, vt vno, eodemq; tempore alij esuriant, alij ebrij sint; alij gaudeant, lugeant alij; alij Deum precentur, alij ventri indulgeant, & somno. Nihil autem est in vniuerso, quod magis moderatum, concors, ordinatum esse oporteat, quàm Ecclesiæ, & Christianae cuiuscunq; familiae status: à quibus Paulus, vt perfecti sint, mutua se consolatione sustentent; idem sapiant, pacem habeant; omnia honestè, & secundum ordinem faciãt, requirit. Mittamus, quòd qui legum vim eneruant, probos admonitionibus priuant; improbis laxant habenas; vt absq; vllo metu præcipites ruant ad interitum sempiternum. Quid? an ipsa nos vsitata, ac ferè quotidiana experientia non docet, multis de rebus, quae neque natura, neque diuina lege satis apertè explicatae sunt, inter Christianos quoq; ab initio exercitas fuisse, in diesq; singulos oriri controuersias, de quibus decreta facere, & leges sancire illos oportuit, quibus de pascendo grege suo Christus ipse mandauerat? Nã & hoc quoq; praecipuum, maximeq; necessarium est, pastorale munus, atq; officium de ijs, quae eueniunt, quaeq; euenire possunt, generatim statuere, quò pauciora in singulis quoad fieri potest, hominum iudicio, ac voluntati dijudicanda relinquantur; cùm rarissimi semper extiterint, ab ira, odio, amicitia, ac miser cor-

Epist. 54.

Leges canonicae quò tendant.

1.Cor. vlt.

1.Cor. 14.

Pastoralis est muneris leges condere.

ricordia vacui; quales esse decet, qui de quauis re integrè, & incorruptè sunt iudicaturi. Quare sapiens quidam scripsit. *Qui legem praeesse vult, is velle videtur Deum, ac leges imperare: qui autem vult hominem, is etiam belluam adiungit: cùm praesertim tale quid sit cupiditas, & iracundia, & magistratus, & optimus quisque à recta via detorqueantur.* Quapropter nihil aliud est lex, nisi mens à cupiditatibus libera. Hinc Apostolorum leges illae sanctissimae de circuncisione, de abstinentia ab ijs, quae Idolis immolabantur, à suffocato quoque, & sanguine; aliaeq; multae: de quibus legimus in Actis. *Paulus, & socij cùm pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis, & senioribus; qui erant Hierosolymis.* Hinc Pauli leges de constituendis Episcopis; de mulierum capite operto; de earundem ornatu, & silentio; de coniuge infideli; de vsu sacramenti Eucharistiae; de iudicijs; de viduis; & illa, de quibus ad Thessalonicenses scripsit. *Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* De quibus item scripsit Augustinus. *Illa, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atque statuta retineri: sicuti quòd Domini passio, & resurrectio, & ascensio in coelum, & aduentus Spiritusancti anniuersaria solennitate celebrantur.* Referam hoc loco, quae Tertullianus scriptor vetustissimus, Apostolorum temporibus propinquus multa collegit, quae in Ecclesia diligentissimè obseruabantur: de quibus cùm nihil diuina lege statutum reperiretur, non potuerunt nisi ab humana proficisci, vt antiquissimam eam fuisse, & non à recentioribus Pontificibus in Ecclesiam inuectam intelligamus. *Vt à baptismo* (inquit) *ingrediar: aquam adituri ibidem. Sed & aliquanto priùs in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompae, & angelis eius: De hinc ter mergitamur, amplius non aliquid respondentes, quàm quod Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis, & mellis concordiam praegustamus: exq; eo die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiae sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quàm Praesi-*

Pol. 3.
Act. 15. & 16.
Tit. 1.
1. Cor. 11.
1. Tim. 2.
2. Cor. 7.
1. Cor. 12.
1. Cor. 6.
1. Tim. 5.
2. Thess. 2.
Epist. 118. Cap. 1.
Lib. de co. mil.

dentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschae in Pentecostem vsque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum, & exitum; ad vestitum, & calceatum; ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frontem signaculo terimus. Haec Tertulliani sunt: quibus si adiungere velim, quae apud Cyprianum, vetustosq; alios scriptores humanae leges leguntur; siue de lapsis, hoc est illis, qui feruente Tyrannorum in Christianos odio ad idolatriam delapsi, ad Ecclesiam postea resipiscentes reuertebantur; siue de reprimendis, compescendisq; haereticis; siue de commessationibus, libidinibus, sumptibus, omniq; vita delicata, & molli; praeter modum orationis huius cresceret magnitudo. Ad Argumentum igitur reuertamur. Non eò pertinent Pontificum, & Ecclesiae catholicae leges, vt pretio emptos seruos hominum faciant; sed vt, qui serui sunt peccati, liberi efficiantur iustitia: vt praeparentur animi ad diuinae gratiae semen recipiendum, fructusq; vberrimos ferendos: vt neque ab haereticis fides, neque ab improbis hominibus charitas labefactari possit; vt sacrosancta sint diuina omnia mandata, & sacra omnia summa religione conficiantur, celebrenturquè: vt denique honestè omnia, & secundum ordinem in Ecclesia gerantur. Quibus omnibus, alijsq; pluribus, quae breuitatis sunt causa transilienda, cùm nihil sit haereticis molestius, nihil odiosius, quid miramur, si omnes huiusmodi leges per seditionem abrogare, & rescindere student? Quae autem humana sint scita, quae legis nomen non attingunt ab Augustino damnata, Augustinus nos ipse docebit, si eius verba non dimidiata, sed integra recitentur. *Omnia* (inquit) *enim, quae neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur; neque in concilijs Episcoporum statuta inueniuntur; neque consuetudine vniuersae Ecclesiae roborata sunt; sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix, aut omnino nunquam reperiri possint causae, quas in eis instituendis homines sequuti sunt; vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo.*

Solutio Argumenti.

Epist. 119.

QVAE-

QVAESTIO SEXAGESIMA SEPTIMA.

De noua creatura, quae vna valet ad ſalutem per Chriſtum Ieſum adipiſcendam.

LOCVS SEXAGESIMVS SEPTIMVS.

In Chriſto Ieſu neq; circuncißio aliquid valet, neq; praeputium, ſed noua creatura.

ARGVMENTVM HAERETICORVM.

OVA tantùm creatura, hoc eſt interioris hominis mutatio, ac renouatio, nos cum Chriſto conciliat, atque coniungit, habetq; ad iuſtitiam, & ſalutem efficacitatem: quod manifeſtè hoc loco Paulus affirmat. Collige ergo mihi, quae extrinſecus ſunt omnia; mutationem veſtis; capita raſa; omnia, quibus monachi confidunt; quae iactant; oſtentant, oſtendantq; alijs, tanquam firmiſſima ad ſalutem praeſidia: collige ieiunia; preces illas, quas canonicas horas appellant; reliquaq; id genus innumerabilia: audacter dicam, vt ſtercora reputanda ſunt omnia, vt damna, vt impedimenta, vt incommoda, vt detrimenta; quae non plus ad gratiae cum Chriſto coniunctionem proficiant, quàm vel circuncifio, vel praeputium. Omnia nobis in hac vna, per vnam fidem noua procreatione, & inſtauratione ponenda ſunt, vt in Chriſto inueniamur noſtram non habentes iuſtitiam, quae ex lege eſt, externa, fuco, & fallacijs plena: ſed veram illam, & ſynceram, quae ex fide eſt Chriſti, quae (vt Paulus inquit) ex Deo eſt iuſtitia in fide ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius: qua notitia & nos manemus in Chriſto, multũ fructũ ferentes, & chriſtus ipſe in nobis, ſine quo nihil facere poſſumus. *Phil. 4.* *Io. 15.*

REFVTATIO.

IHIL ſanè opus eſt de his, quae ad monachorum ſtatum, & vitae normam pertinent, hoc loco diſputare: de quibus quid eſſet ſentiendum, ſuprà non

tam argumentis, quàm calumnijs prouocati, & iniurijs, satis expressimus, docuimusq́; : non illis monachos praesidijs magnopere niti, & confidere, quae risus captandi gratia in Argumento cumulantur. Ea enim omnia instructiones quaedam sunt, & exercitationes ad Christianas virtutes (neque pluris à nobis aestimantur) adipiscendas, & ad benè, beateq́; viuendum. In ijs enim virtutibus beatam ponimus vitam. Ἀσκητικὰ igitur ea omnia sanctissimi Patres appellarunt. Verum enimuero ne perniciosam istam simulationem interioris renouationis, quae intus nulla est, vbi foris non apparet, mandatorum quoque Dei, & Ecclesiae in alijs negligentia, in alijs despicientia consequatur; id, quod istis accidere videmus, qui interioris gratiae, ac renouationis spiritus simulatione, & populari quadam iactatione, suum in religionis negotio sensum contumaciter, arroganterq́; tuentur: in quorum interea dictis, factisq́; omnibus, quae sub nostrum cadunt aspectum, nouum nihil, sed vetera omnia videmus; operaepretium erit, quid nouae creaturae nomine intelligendum sit, non nostro sensu, sed Pauli ipsius perspicua, & dilucida expositione interpretari. Is enim, vt haec verba, *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque praeputium, sed noua creatura*; non peruersam, sed rectam intelligeremus; quid nouo isto nouae creaturae vocabulo accipiendum esset, & qua potissimum re haec siue nouitas, siue procreatio efficeretur, diligentiùs explanandum duxit, inquiens. *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per charitatem operatur*. Est igitur noua creatura, non quae vnam fidem, sed & quae eam habet cum charitate coniunctam. Sed ne munera ista Dei, quae occulta intus in animo latent, orationis vanitate simulare, aut mentiri quispiam posset, qua ratione cerni oculis possent, in ea quam ad Corinthios primùm
1.Cor.7. scripsit Epistola planissimè explicauit, cum dixit. *Circuncisio nihil est, praeputium nihil est*. Quod perinde est, ac si dixisset, quod iam bis in hac Epistola dixit. *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque praeputium*. Adiungit autem. *Sed obseruatio mandatorum Dei*. Digito sanè his mihi locis Paulus ostendit, totum hominem sanum factum, ac renouatum, intus quidem fide, & charitate, foris verò sanctis operibus, quibus diuina mandata perficiuntur. An

verò

verò ad diuina mandata non pertinet, vt quae iam fecimus vota, nos monachi persoluamus? An vt Christiani omnes statis quibusdam diebus ieiunemus? An vt semper precemur, & ne defatigemur? An vt in egentes liberales simus? An vt de ratione, & via, qua haec à nobis agenda sunt, praepositis nostris obtemperemus, qui peruigilant, tanquam rationem pro animabus nostris reddituri? An alia nonnulla, quae diuina lege decreta sunt, & in Euangelio instaurata, atque corroborata? quibus interior mutatio conseruatur, augetur, ad summamq; illam tendit in coelo sitam perfectionem, quae bonorum est omnium summum, atque excellentissimum. Huius renouationis origo, lauacrum est regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè Deus per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hoc est ab omni iniquitate redempti, sobriè, iustè, & piè viuentes in hoc saeculo, ac bona opera sectantes, haeredes essemus secundum spem vitae aeternae, expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Haec est illa noua creatura, in cuius ortu vetera transeunt; fiunt omnia noua; nouum cor; nouus spiritus, nouum mandatum. Hic ille nouus homo, qui veterem hominem exuens cum prauis actibus suis, ira, indignatione, malitia, maledicentia, turpiq; sermone, nouum induit; eum scilicet, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum: vbi non est gentilis, & Iudaeus; circuncisio, & praeputium; barbarus, & Scytha; seruus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus cum benignitate, humilitate, modestia, patientia, charitate, quod est vinculum perfectionis. Hic ille nouus homo, qui vetere posito, hoc est pristina consuetudine, non loquitur mendacium, sed veritatem cum proximo suo, irascitur, & non peccat, super cuius iracundiam Sol non occidit, nullum denique diabolo relinquit locum, ambulat in nouitate vitae, seruit in nouitate spiritus: cuius totam procreationem, ac renouationem ijs verbis depinxit Paulus. Gratia saluati estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ecce tibi bonorum omnium fons, atq; origo, fides in Christum Iesum. Ecce gratia, quae per fidem contingit, qua nobis omnia peccata condonantur, saluiq;

Psal.75. & 115. *Matth.6.* *Luc.18.* *Heb.13.* *Tit.2. et 3.* *2. Cor.5.* *Ezec.18.et 36.* *Io.13.* *Eph.2.*

ab eis efficimur: idq; nullo nostrorum operum promerito; sed diuinae misericordiae maxima quadam copia, atque affluentia: cuius hoc totum singulare donum est: in quo ne consisteremus, nihil iam ad perfectam, consummatamq; salutem superesse arbitraremur, de longa, quae restat via ascribit. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Quibus verbis edocemur, nouam creaturam, hoc est eum, qui in Christo Iesu procreatus est, & instauratus per bona opera, quae ordinauit, instituit, designauit Deus; ad beatam, securam, sempiternamq; vitam proficisci oportere. Sed quoniam hoc loco argumentando haeretici consistunt, nos quoque contra eos disputandi modum, & finem constituamus.

QVANTI verò hae nostrae disputationes ad illos conuincendos futurae sint, esto Tu aestimator, & iudex, MARCELLE Pater amplissime: mihi certè, scriptorum meorum momenta perpendenti, haud multum ponderis habiturae videntur, tum quòd non ingenua illi, vt iactant, & simplici scripturarum tractatione disserunt, sed vafris quibusdam, & tenebricosis argutijs, ex quibus tanquam à fructibus arborem, tenebrarum principem istiusmodi disputationum parentem possis agnoscere: tum quòd & disputando, & scribendo quantum vel ad sanandos aegros, vel ad integros conseruandos profici posset, nostrorum hominum ingenia his annis xxx. & amplius iam satis experta sunt. Quid enim à summis in omni doctrinae genere praestantibus aetatis nostrae viris, quibus ego nulla sum ratione comparandus, est scribendo praetermissum, quod vel ad illorum pertinaciam retundendam, vel ad nostrorum mentes confirmandas facere posset? Et tamen quae in vna tantùm Europae regione, vbi primùm exortae erant haereses, sese continebant, nostris disputationibus, & scriptis irritatae, inflammataeq;, veluti pestilentissima quaedam contagio, vel Aethneus ignis halitu Gigantis supplicia expendentis longè, lateq; diffusus; contineri non potuère, quin latiùs manarent, & Europam ferè totam omnino peruaderent. In quo mihi sese inexpiabili propè scelere contaminasse illi

Hæreses ab ipso ortune

videri

videri solent, qui mederi, & sanare cùm possent, atque deberent, tam graui, & periculoso morbo nascente, aut negligebant; aut palam, & apertè gaudebant, aut quidem certè conniuebant. Quod si qua κοσμήτορας ποιμένας τε λαῶν de Republica, & religione cura attigisset, vel leui medicamento recens malum ipso initio esset extinctum: quod inueteratum negligentia, atque socordia, adeo robustum factum est, vt ne ferro quidem, & igne nunc medicina fieri posse videatur. Ad iudiciorum igitur seueritatem tandem aliquando ventum est, vt à Patribus esse faciendum accepimus. Quod quidem & necessarium, & salutare remedium cum doctrina, & suasione temperatum, atque coniunctum, quàm vellem à principio detestabilis huius, & execrandae pestilentiae fuisset adhibitum. Profectò aut oppressum iam tum esset malum; aut tam latè certè mortiferum hoc virus non emanasset. Nunc vereor, ne sera fuerit haec, quae per seipsam est admodum salutaris medicina, & quod hac tempestate vidimus, ex apertis hostibus occultos insidiatores, ex manifesto bello latentes insidias, ex patente periculo, quod agnitum caueri faciliùs potuisset, obscuras quasdam, & asperas salebras, in quas multo procliuiùs incidunt imprudentes, nobis comparemus. Malus est enim custos semper existimatus religionis; metus, quippe qui non ignem extinguit, sed obtegit tantùm; & quasi supponit cineri doloso. An verò non videmus in Christianae religionis primordijs quanto potiores ad veritatis tutelam linguae, hoc est verbi, orationis, suadae, quam πειθὼ Graeci dicunt, & doctrinae fuerint vires; quàm gladij, imperij, comminationum, ac terrorum omnium, quando inermes, & imbecilli piscatores ne cogitantes quidem quid dicturi essent ore, & sapientia ad eos diuinitùs delapsa, regum potentiam, sapientum sapientiam, prudentum prudentiam reprobarunt? Praeclara igitur, simplex, & directa via (vt mea fert opinio) fuerit ad praesentem non haeresum modò, sed & aliorum omnium malorum sedandam tempestatem, illa quae vna in Christo Iesu valet *Noua creatura*, quae si non ad singulos, sed ad vniuersum Ecclesiae corpus referatur; ciuitas est illa sancta Hierusalem noua de coelo descendens, à Deo parata sicut sponsa ornata viro suo: in qua scilicet nihil profanum, nihil vetus, nihil terrenum, nihil non diuinum, nihil denique quod

candae; ne succrescentes, vix ferro, igneq; pereant.

Metus, malus custos religionis.

Noua creatura, Ecclesia.

quod maximam sponsae aduersus virum suum charitatem non testetur. *Haec noua creatura* fide, quae per charitatem operatur, fingitur, & formatur: quae si in medullis, & visceribus haereret nostris, neque tanta contentione decertaremus, vtra plus apud Deum valeat, fides, an charitas: nam si alteram ab altera seiunxeris, erit illa tanquam corpus sine spiritu; haec tanquam aedificium sine fundamento: neque tot odia; tam ardentes inuidiae; tot inanes, & immensae cupiditates in nobis conspicerentur. Si enim haeresis, carnis est opus (vt Apostolus definit) nunquam (mihi crede) opprimetur, nisi fructibus spiritus, fide, charitate, patientia, modestia, & reliquis, quos Paulus carnis operibus opposuit. Formanda quoque est *Noua creatura* obseruatione mandatorum Dei, cum nostras omnes cogitationes, sermones, actiones ad Dei voluntatem conformamus: quod quando in Ecclesia diligenter curatur, vel nullae oriuntur haereses, dissensiones nullae, nulla in moribus turpitudo; vel exortae statim extinguuntur, quoniam idem sentimus omnes, loquimur, agimus; nempe quod Deus vult, & in nobis, siue per nos efficit per spiritum suum, qui idem est totius corporis Ecclesiae spiritus, iuxta illud. *Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrae.* Nisi ergo quod Deus ipse per sanctos Prophetas Hieremiam, & Oseam nos monuit, nouemus nobis nouale, & super vepres, ac spinas, quae nostra desidia iam sunt in vniuersa terra, serere desinamus; nunquam diffidia, discordiae, seditiones, perditi mores de Ecclesia exterminabuntur: quae tot annis in eam caeco impetu incurrunt. Sed de nostrorum temporum calamitatibus cogitanti mihi, id accidisse videtur Ecclesiae, quod de Romanorum Republica scripsit Cicero, qui cùm Ennij poëtae vetustissimi carmen illud attulisset. *Moribus antiquis res stat Romana, virisq;:* mox adiunxit. Quem quidem illae versum vel breuitate, vel veritate, tanquam ex oraculo mihi quodam esse affatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata ciuitas fuisset, neque mores, nisi hi viri praefuissent, aut fundare, aut tandiu tenere potuissent tantam, & tam iustè, lateque imperantem Rempublicam. Itaque ante nostram memoriam & mos ipse patrius praestantes viros adhibebat; & veterum morem, ac maiorum instituta retinebant excellentes viri.

Noua creatura quib' formatur.

Eph. 4.

Hier. 4. Ose. 10. Isa. 7.

Lib. 5. de Rep.

Roma quibus tandiu steterit, & imperauerit.

Nostra

Noſtra verò aetas cùm Rempubl. ſicut picturam accepiſſet egregiam; ſed euaneſcentem vetuſtate, non modò eam coloribus ijſdem quibus fuerat, renouare neglexit; ſed ne id quidem curauit, vt formam ſaltem eius, & extrema tanquam liniamenta ſeruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem ſtare Romanam, quos ita obliuione obſoletos videmus, vt non modò non colantur, ſed iam ignorentur? Nam de viris quid dicam? Mores enim ipſi interierunt virorum penuria: cuius tanti mali non modò reddenda ratio nobis, ſed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda cauſa eſt. Noſtris enim vitijs non caſu aliquo Rempub. verbo retinemus, reipſa verò iampridem amiſimus. Et haec quidem Cicero. Ita ſanè & nos virorum penuria, qui iuxta cor Dei non ſuo arbitratu gregem Dei paſcerent, priſciſq; moribus, ac ſanctiſſima diſciplina neglecta, res multas, quarum nuda nomina retinemus, amiſimus, & in tam varias, ac periculoſas incidimus calamitates, vt niſi Deus ille, qui Filij ſui puriſſimo, ac innocentiſſimo ſanguine genus noſtrum ex acerbiſſima ſeruitute in Chriſtianam libertatem aſſeruit, id erga nos efficiat, quod mirabili excogitata inuentione erga veterem Iudaeorum populum facturum ſe declarauit: actum de nobis exiſtimare poſſimus, & ita noſtrum omne aedificium dirutum, vt de reaedificatione deſperandum ſit. *Surge* (inquit ad Hieremiam) *& deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea, & deſcendi* (Hieremias inquit) *in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis, conuerſuſquè fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius, vt faceret. Et factum eſt verbum Domini ad me dicens. Nunquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſrael, ait Dominus? Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael. Repente loquar aduerſum gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego poenitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei, & ſubito loquar de gente, & de regno, vt aedificem & plantem illud.* Sed quid ego ad te haec, oratione tam longa, quaſi quod ipſe videam, id te videre non putem? Vtinam

PAV-

PAVLO III. PONT. MAX. οὐ δέκα συμφράδμονες, sed duo tantùm tui similes contigissent; in viam certè nos, quae summa erat illius probitas, & virtus, placatae, quietae, tranquillae, salutarisq; vitae deduxisset. Vtinam quemadmodum summam in retinenda religione seueritatem, cum summa in eadem persuadenda, doctrina, & humanitate Deus optimus maximus in te coniunxit; ita cum summa restituendae in pristinam dignitatē Christianae Reip. voluntate, summam potestatem aliquando coniungeret, maxima profectò, & certa spe consequentis, ac posteri temporis erigeremur.

Coniuncta vtique fuit ĩ eo summa potestas, q postea dict9 est Marcellus secūdus: sed (hem) vigesimo post creationem die, naturae concessit.

-:-

DEO, BEATAEQVE VIRGINI GRATIAE.

IO. FRANCISCI LOMBARDI in laudem R. P. Felicis Vic. Gen. Congregationis Carbon.

TETRASTICHON.

FELIX Hieronymus dum FELIX scripta recludit
Abdita, quæ longa docta fuere die.
Nestoreos viuat simulac feliciter annos,
Docti hominis dum sic viuere fecit opus.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΠΡΟΣ ΑΝΑΓΝΩΣΤΗΝ.

ΙΕΡΟΝΥΜΟΣ γράφει ἐτύμως
Χαλεπώτατον εἶναι,
Εν προς ῥωμαίους Παύλου ἐπιστολίοις
Αυτό τό γράψε ΠΕΤΡΟΣ
Πρότερον θ᾽ ὡς δυσ ταμοητὰ
Α στρέβλους᾽ ἀμαθεῖς εἰς ἴδιον τὸ βλάβος. β. κεφ. γ.

Imprimatur. Hercules Vaccarius Vic. Gen. Neap.

Rutilius Gallac. Canon. Dep. vidit.

M. Cherub. Veron. Aug. Theol. Cur. Archiep. Neap. vid.

FINE